This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

L 9

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE LIBRARY OF

JAMES JACKSON HIGGINSON
(CLASS OF 1857)
OF NEW YORK

JUNE 15, 1917

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

LIBRI QUI SUPERSUNT.

VOL. XII.

Digitized by Google

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

LIBRI QUI SUPERSUNT,

EX EDITIONE G. A. RUPERTI

CUM SUPPLEMENTIS

NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

INDICE LOCUPLETISSIMO

ET

GLOSSARIO LIVIANO

ACCURATE RECENSITI.

VOLUMEN DUODECIMUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1828.

Digitized by Google

Harvard College Library
June 15, 1917
From the Library of
James J. Higginson
New York

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Inter hæc Syriam Q. Cæcilius Bassus, privatus ille quidem, sed animi consiliique non egens, Sex. Cæsari cum vita et duabus legionibus ereptam obtinebat. Nec prohibere dictator Cæsar potuerat, Africano tum bello, deinde aliis intervenientibus. Et duces contra se missos facile Bassus repellebat, Apamea constituta arce belli: circa quam opimus ager alendo exercitui sufficiebat omnia, et vicini reguli multi, levitate insita, et odio Cæsaris, in commilitium pertrahebantur. Inter quos et Jamblichus fuit, Emessenæ gentis regulus, Lysiadisque et Chalcidis tyranni. His opibus, aliquot Romanorum ducum, legionibus et equitatu magno instructorum, vim sustinuit.

Cic. Phil. xi. 13. Dio, xlvii. Appian. Civ. iv. Strab. xvi. p. 752. Dio et Appian. Strabo. Joseph. Antiq. xiv. 17. et de B. Jud. i. 8.

2. C. primum Antistius obsederat eum Apameæ: deinde cum æquo Marte aliquamdiu certatum fuisset, velut tacitis induciis diremti, utrimque ad comparanda auxilia, bello interim omisso, se contulerunt. Antistio et finitimi, quotquot Cæsari studebant, mittebant auxilia, et ex Judæa procurator gentis Antipater, cujus filium Herodem, e judicio capitali ad se confugientem in honore habuerat Sextus, Samariæque et Cavæ Syriæ præfecerat. His deinde ab Roma missæ copiæ accesserunt. Sed Alchaudonius Arabs Rhambæorum rex, infidi semper animi,

Dio. Joseph. Dio. Strab. Dio.

Digitized by Google

cum ab utrisque vocatus esset, medio inter Apameam et Antistii castra loco consedit, et mercede se militaturum professus, plura danti Basso accessit: bonamque ei operam, quod arcu perite utebantur Arabes, præstitit.

Cic. ad Att. XIV. 9.

3. Nec ideo minus ad Apameæ obsidionem Antistius redierat, magna cum spe boni eventus: donec arcessiti a Basso Parthi, maximis copiis duce Pacoro affuerunt. Hi Antistium repulisse contenti, multis ejus occisis militibus, propter hyemem (nam in exitu December erat) nulla alia re gesta, domum redierunt.

Dio.

Cic. Phil. XI. 13. et ad Fam. XI. 1. Supra, CXVI. 84. Joseph. Vell. II. 69. Dio. Appian.

4. Ab hoc tempore res Cæcilii Bassi satis firmæ fuere, robustusque exercitus, et ex victoria plenus animi: ut etiam patribus, Italicarum rerum perturbatione anxiis, solatio esset. Ceterum quia Cæsaris confirmata acta fuerant, quanquam eo jam peremto, L. Statius Murcus* ex prætura Syriam provinciam habiturus, cum tribus legionibus bellum intulit Basso, supervenitque Q. Marcius Crispus prætorius et ipse cum legionibus totidem ex Bithynia. Ita duobus magnis Romanis exercitibus et equitatu firmo circumsessa Apamea, defendebatur tamen intrepide, donec in Syriam C. Cassius venit, Trebonianis militibus instructus, quos a Dolabella P. Lentulus transduxerat, et pecunia ab eodem Lentulo: nam is Trebonii quæstor fuerat.

Cic. ad Fam. XII. 14. et 15.

Joseph. Vell. Liv. Epit. Appian. Dio.

5. Ad hunc omnia propere concesserunt, sive propter senatusconsultum, quo parere ei omnes eæ provinciæ exercitusque jubebantur; sive propter ipsius virtutem, famamque, et amicitias. Quippe commemorare adversus singulos multa sua merita atque officia poterat: et, ubi hæc deerant, reipublicæ salus erat obtentui.

6. 'Scire ipsos, quam ex præclara et potenti subito in miserrimam conditionem res Romana incidisset, ambitione paucorum, qui sublata libertate, communibus com-

* *L. Statius Murcus*] Murcus a Cæsare ipso adhuc vivente missus fuerat, ut colligitur ex Appiano, successor Sex. Julio Cæsari, teste Josepho. Prætor nimirum fuit eo anno qui præcessit mortem Cæsaris; Syriam obtinuit anno sequente. Ceterum scribimus *L. Statius*, cum Cicerone, Phil. XI. 12. Cæsare, III. de Bell. Civ. Dione, XLVII. non *L. Staius*, quomodo hic prius ex quibusdam Velleii editionibus legebatur. *Crev.*

Digitized by Google

modis debitas curas, suam ad dominationem universas transtulissent. Esse vero tantam in hominum animis regnandi dulcedinem, ut ne Cæsaris quidem exitu perterriti, paria concupiscant. Sic Antonium, degustato sub Cæsare imperio, sic Octavianum, hæreditate avunculi et ipso nomine incitatum, patriam, amicos, famam, salutem denique ipsam cupiditatibus suis posthabere. Nam Dolabellam quidem immani audacia atque crudelitate latronem, factis ipsis omnia ab senatu populoque Romano recens concordiæ causa constituta violasse: C. Trebonium Asiæ proconsulem occidisse: nihil ad se pertinentem occupasse provinciam: nunc etiam in procinctu esse, ut decretam C. Cassio Syriam eripiat. Cic. Phil. XI. 2.

7. 'Se vero non ita cognitum aut domi populo Romano, aut foris sociorum cuiquam esse, ut conjunctam cum publico periculo injuriam ferat. Sibi certe, ipso illo Dolabella consentiente, ipso illo Antonio, decretam Syriam esse. Hanc se provinciam et debere obtinere, et posse. Neque hanc modo concessam sibi, sed in vicinas omnes datum ab senatu imperium esse. Neque tam adhuc eviluisse sanctissimum hoc nomen, ut non ubique venerationi sit gentibus. Igitur et has copias, quibus utatur, parare isto senatusconsulto instructum celeriter potuisse: et habere certum, multos circum sponte vocantium populos regesque sibi futuros auxilio. Sed malle se Romani imperii salutem Romanis maxime copiis ducibusque defendere: atque adeo abominari illam fortunam, ut externis potissimum præsidiis inniti necessum sit publicæ libertatis assertores.

8. 'Igitur se a Murco Crispoque imperatoribus, itemque a Cæcilio Basso petere, ut, positis inimicitiis, ad concordiam redeant, et ad communem omnium salutem secum administrare rempublicam occipiant. Frustra inter se pugnare, quibus esse nulla salus, præterquam in publica, possit. Jam et Octavianum sentire cum senatu, neque lenius hujus, quam consulum armis Antonium premi. Ne sibi jam aut pro Cæsare bellandum, aut contra ipsum putent, quando partes eas suo ad rempublicam reditu filius ipse Cæsaris sustulerit.' Cic. ad Fam. XII. 11.

Digitized by Google

Vell. Dio. Appian. Cic. ad Fam. XII. 12. Dio.

9. His atque similibus causis inducti Murcus atque Marcius Cassio tradiderunt copias; et Bassum misere cupientem retinere suos milites, reliquerunt ipsi, seque ad C. Cassium transtulerunt. Ille omnes eadem in castra contraxit. Quo tempore magnus repente imber extitisse traditur, et irrumpentes in castra portis omnibus apri[1] confudisse ac conturbasse pleraque: neque defuisse, qui celerem Cassio et potentiam et interitum prædici opinarentur.

Joseph. Antiq. XIV. 17. et de B. Jud. I. 9.

10. At Cassius, his copiis auctus, omnia circum terrebat imperiis; gravesque exigendo pecuniarum summas, civitatibus terribilis imminebat. Tum et quatuor oppida Judææ, propter non soluta stipendia, venierunt: Gophna, et Lydda, et cum Emmaunthe Tamna. Sed et Malichum ex Judæorum principibus interfecturus erat Cassius, nisi pro eo regulus gentis Hyrcanus centum talenta[b] misisset. Profectus enim erat in Palæstinam Cassius, uti venientem ex Ægypto legatum Dolabellæ A. Allienum occuparet. Is Alexandria legionum quatuor instar reducebat, reliquias Pompeianæ Crassianæque cladis; aut ex iis cohortibus, quas apud Cleopatram reliquerat Cæsar. Neque ausus adversus octo legiones contendere, cum exercitu in Cassii partes transiit. Hæc ante Nonas Martias acta perscripsit in Urbem Cassius ex castris, quæ in oppido Galilææ Tarichæa posuerat.

Dio. Appian. Cic. Phil. XI. 12. et 13. Dio. Appian. Cic. ad Fam. XII. 11. et 12.

11. Post mensem deinde, Dolabellam in Ciliciam venire audiens, dimissis sine injuria Basso Crispoque, et si qui præterea manere gravabantur, classisque præfectura Murco tradita, eodem instituit ducere, auctus etiam equitum sagittariorum aliquo numero, qui ex Parthis, quam apud gentem fama erat clarissimus, ad eum venerant. Tum cognito classem Dolabellæ esse in Cilicia, ipsum isse Laodiceam, eodem cum omnibus copiis est profectus.

Dio. Appian. Cic. ad Fam. XII. 12. et 13.

12. Quippe Dolabella post interfectum Trebonium, tri-

Appian.

1 *Apros* edd. ante Crev.

b *Centum talenta*] Marcas argenti nostrates 9875. *Crev.*

Digitized by Google

butis Asiæ civitatum, classem a Rhodiis Lyciisque, atque e Pamphylia et Cilicibus, opera L. Lucilii Figuli,[c] mercede conduxerat: Syriamque Figulus navibus, Dolabella pedestri itinere cum legionibus duabus petebant. Animos Tarsus et Laodicea dabant, hæc inter insignes Syriæ civitates, illa Ciliciæ caput. Sed classis ad Corycum[2] clauso portu se tenuit, cum eam Q. Cassius[d] secutus esset; deinde hoc ad castra Cassii profecto, Turulius quæstor cum navibus, quas anno superiore Tullius Cimber in Bithynia compararat, cursum præcluderet. Dio. Cic.

13. At Dolabella Tarsensium, deinde Laodicenorum juventute centuriata, exercitus instar fecit: dejectaque parte muri, castra oppido conjunxit; postquam præsidio Cassii apud Ægeas, Ciliciæ civitatem, dejecto, ab Antiochiæ oppugnatione cum detrimento rejectus aliquoties, deinde desertus in itinere a plerisque militibus Asiaticis fuerat. Laodicea, in peninsula sita, præclaras a terra munitiones, a mari portum optimum habebat. Et cum ager frugum vinique feracissimus esset, commodam sane stationem atque securam Dolabellæ præstare videbatur. Sed Cassius cum decem legionibus, et cohortibus auxiliaribus viginti, et quatuor millium equitatu suggressus, os Laodiceni portus obstruere[e] satagebat, non sacris, non religiosis parcens, quominus ex suburbanis ædificiis saxa materiamque comportaret.

Dio. Tac. Ann. XIII. 8. Dio. Cic. ad Fam. XII. 14. et 15. Appian. Strabo, XVI. p. 751. Appian. Cic. ad Fam. XII. 13. Appian.

2 In edd. ante Crev. legitur *ad Corcyram*, quod mutavit Crev. ex Cassii Ep. ad Cic. XII. ad Fam. 13.

[c] *L. Lucilii Figuli*] Hunc Appianus vocat simpliciter *L. Figulum*. In epistola Cassii Q. ad Ciceronem dicitur *Lucilius* præfuisse classi Dolabellæ. Hinc Freinshemius effecit *L. Lucilium Figulum*. Quod ne pro certo amplectamur, id moræ est, quod Figulus, notante Manutio, non Luciliorum cognomen est, sed Marciorum et Nigidiorum. *Crev.*

[d] *Q. Cassius*] Epistola hujus Cassii ad Ciceronem inscribitur *Cassius* Q. quod Manutius, et post eum plerique interpretes, exponunt *Cassius quæstor;* alterius nempe Cassii proconsulis. Itaque dubium est utrum *Quinti* prænomen gesserit. Inclinat tamen animus, ut cum Freinshemio sentiamus; cum non insuitatum apud Romanos fuerit prænomen nomini postponere. *Crev.*

[e] *Os Laodiceni portus obstruere*] Non hæc mens est Appiani; sed isthmum qui Laodiceam continenti littori jungebat duo stadia latus, exstructo aggere, interseptum esse a Cassio. *Crev.*

Digitized by Google

Cic.

14. Per hæc res angustæ fiebant Dolabellæ, jamque triticum penes eum ternis tetradrachmis[f] erat. Sed erant tamen adhuc solatio Laodicenæ naves, quas Cassiana moles[g] non satis exitu prohibebat. Mox et classis Dolabellæ supervenit. Qua confisus transmittit Aradum, pecunias et naves inde quoque coacturus. Sed deprehensus cum paucis, periculum ægre vitavit fuga. Igitur Cassius, missis in Phœniciam Lyciamque et Rhodios, qui classem adducerent, nec adjutus, præterquam a Sidoniis, commisit tamen prælium, quo plures utrimque demersæ naves sunt, quinque una cum remigibus et classiariis Dolabella captas abduxit.

Dio.

Appian.
Cic.
Appian.

15. Ergo Cassius tum ad eosdem iterum, a quibus erat contemtus, tum ad reginam Cleopatram misit. Et Tyrii quidem Aradiique cum eo numero navium, quem conficere potuerant, affuerunt: parque studium Serapionis fuit, qui Cleopatræ prætor in Cypro, regina inconsulta, Cassium juvit. Nam illa propter familiaritatem Cæsaris dictatoris Dolabellæ favebat; et hujus in gratiam passa erat abduci legiones ab Allieno: classemque paratam habebat, quam ei summitteret, sed ea ventis retinebatur. Pecuniam tamen grandem subministraverat. Cassio autem ne auxilium mitteret, famem pestilentiamque excusabat, quo simul utroque malo Ægyptus premeretur.

Dio.
Appian.

16. Rhodiorum Lyciorumque perplexius responsum fuit: 'Semper Romanam magnitudinem colere solitis nihil accidere tristius potuisse, quam quod Romanæ civitatis principes inter se collidi mutuis discordiis sentiant; nec sciri possit, utra partium justius senatus populique Romani auctoritatem præferat. Iisdem enim vocabulis utrosque niti, nec alia nunc afferri a Cassio, quam quæ Dolabella prius asseverasset. Scire se nuper admodum, M. Marcello, Ser. Sulpicio consulibus, renovatum esse fœdus, quo eosdem cum senatu populoque Romano hostes sibi futuros jurassent. Sed ejusdem nimirum populi jussu Dolabellæ Syriam datam cognosse, cujus senatus eandem

Cic. ad Fam. XII. 15.

[f] *Ternis tetradrachmis*] Sescuncia argenti nostrate. *Crev.*

[g] *Cassiana moles*] Vid. not. ad c. proxime præcedens. *Crev.*

Digitized by Google

Syriam Cassio dederit. Sane Dolabellam hostem ab senatu judicatum dici: sed ab eodem senatu, prioribus decretis abolitis, Cassium et qui cum eo sentiant hostium numero esse.

17. 'Non debere Romanos irasci externis civitatibus, si non satis dijudicent utrorum sit causa justior: cum inter ipsos ea de re constet nihil, armisque decidi necessum sit omnia. Nihil se potuisse aut rebus ipsis æquius, aut in nomen Romanum reverentius statuere, quam ut neutris partibus auxilium præstent ad civilia bella, seque ita gerant, ut nemo habeat adversum ipsos odii causam. Idque sibi necessarium esse propter agros, quos in continenti habeant Rhodii; qui facilius a quolibet hoste vastari queant, quam defendi vel a potentissimis sociis.

18. 'Audire se hoc ipsum consilium ipsis probari, qui semper existimati sint multum valere prudentia. Sane Dejotarum regem, cum semper fuerit Pompeianis partibus addictissimus, et ab adversis gravia damna acceperit, auxilium Cassio non mittere. Idemque ab aliis regibus atque civitatibus fieri, quos nulla alia causa attineri arbitrentur, quam quia, quid sibi faciendum sit inter hæc incerta rei Romanæ fata, nesciant. Cic. Phil. XI. 13. Dio. Appian.

19. 'Neque vero recte sibi objici, quod naves Dolabellæ dedissent. Simili enim conditione et Cassio fuisse daturos, et cuilibet, dum ne hostium in numero esset. Non enim ad bellum ei concessas, sed deducendi tantum gratia: neque se scire, si his ad bellum abutatur; neque si sciant, esse probaturos. Legationes ad Dolabellam missas crimini sibi dari mirum esse,[3] nisi forte ad proconsulem populi Romani, denique modo consulem, legatos mitti fuerit nefas. Neque arbitrii sui, neque modestiæ esse, quos a populo Romano mitti oporteat in provincias, anquirere. Sibi putare colendos, quicumque mittantur. Aut igitur operam det Cassius, ut, quidnam voluntatis in re qualibet senatus populusque Romanus habeat, intelligi possit, aut rem tantam dijudicare nescientibus ne irascatur.' Hæc ideo minus habebant ponderis, quod ab inimico animo Cic. ad Fam. XII. 15. Cic. ad Fam. XII. 14. et 15.

3 *Esse miratur* edd. ante Crev.

Digitized by Google

profecta putabantur, quia tunc maximos magistratus iidem gerebant Rhodi, qui ante aliquot annos Pompeium ceterosque fugientes oppido et portu non receperant.

Cic. ad Fam. XII. 13. Appian. Dio.

20. Sed Cassius jam classem luculentam, præfecto Sextilio Rufo, habebat: et a tribus aliis, quas Q. Cassius, Turulius, Patiscus, ducebant, adjuvabatur. Ergo non dubitavit denuo cum Dolabella confligere, quanquam huic Ægyptiæ naves accesserant. Sed tum quidem dubio Appian. Marte pugnatum. Paulo post a Cassianis hac arte parata est victoria.

Cic. ad Fam. XII. 14. et 15.

21. In Lycia Sex. Marius et C. Titius legati Dolabellæ classem habuerant rostratarum, cum onerariis magnis navibus centum: hoc, Dolabellæ consilio, ut pulsus Syria, copiis in naves impositis, Italiam peteret. Sed a Lentulo quæstore Asiæ disjecta classis, onerariæque ad unam omnes captæ sunt. Cum igitur hoc genere navium Dio. abundare Cassius cœpisset, Statio Murco quasdam earum, Frontin. Strat. IV. 7. haud magni ad alia usus, attribuit; quas incensas opportuno vento in classem hostium mitteret. Ille feliciter 14. Appian. Dio. executus consilium, et in prælio victor fuit, et in portum invectus navibus, exitum Dolabellæ penitus interclusit.

Appian. Dio. Appian.

22. Jam et a terra perfectis operibus aries admovebatur: et, nequicquam eruptione tentata, repulsus intra mœnia hostis erat. Sed resistebatur adhuc, et, ne corrumpi nocturnæ excubiæ possent, M. Octavius Marsus pervigili cura impediebat. Igitur qui interdiu in stationibus erant, quieti se tradente Marso,[4] fecerunt proditionem, Quinto Appian. quodam auctore, et per diversa parva ostia, quæ in muris v. p. 673. Appian. IV. ad subitas eruptiones veterum industria reliquerat, intromissus hostis est. Urbe capta, cum Dolabella suum exemplum metueret, ne, quod in Trebonio fecerat, ipse pa- Vell. II. 69. teretur, servo suo præbuit cervicem, caput afferre jubens Appian. Cassio, suæ salutis præmium. Ille superesse tam bono Dio. hero gravatus, cum illum jugulasset, se quoque eodem ferro interemit. Sed et M. Octavius sua manu invenit necem. Corpora sepeliri jussit Cassius, quanquam Tre- Senec. Suasor. 1. bonium inhumatum abjecerant. Q. Dellium, qui pactus

4 Ita ex App. emend. Crev. pro *Murço* in edd. priorr.

Digitized by Google

erat salutem, si occidisset Dolabellam, tanquam impleta conditione, inter suos habuit.

23. At Laodicenos, publica sacraque pecunia ablata, gravibusque impositis tributis, ad extremam miseriam redegit: cum et bellum multas ejus oppidi partes afflixisset, et nobilissimum quemque supplicio peremisset victoria. Ceteris tamen abstinuit injuriam, militesque Dolabellæ, quanquam erant ab senatu hostes judicati, in sacramentum accepit, pœna remissa: neque postea etiam, cum multorum insidiis peteretur, quenquam eo nomine interfici passus est. Appian. et Strabo, XVI. p.752. Dio.

24. Sed inter cetera Dolabellæ spolia nobilem equum fuisse ferunt, singularis cujusdam et pulchritudinis et fati. Hunc se vidisse C. Bassus tradidit, Argis, ubi natus erat, ex genere illo decantato, uti constanter est creditum, Diomedis equorum, quos, occiso domino, Herculem deduxisse Argos fama ferebat; haud credibili pulchritudine, et vigore, omnibusque [5] aliis equorum laudibus longe præstantem. Hunc Dolabella nuper, cum fama ejus adductus Argos venisset, grandi summa emerat. Sed observatum est, omnes illius equi dominos cum familia fortunisque omnibus misere disperisse. Nam primus omnium Cn. Sejus, unde et 'Sejanus equus' appellatus est, a M. Antonio capitali supplicio affectus fuerat. Et modo P. Dolabella gravi exitio erat consumtus. Sed postea quoque et Cassius interiit, et ipse M. Antonius, inter Cassianam cladem hoc equo potitus. Sed ad institutum revertor. A. Gell. III. 9.

25. Occiso Dolabella, multi reguli tyrannique Laodiceam cum muneribus et coronis ad Cassium accurrerunt. Quos inter ab Hierosolymis Hyrcanus venerat, Herodem adducens et Malichum, qui patrem Herodis intercepisse veneno putabatur. Idcirco cum venia Cassii Herodes eum in conspectu regis sui per aliquot centuriones Romanos contrucidandum curavit. At Cassius, constitutis Syriæ rebus, præfectoque cum una legione fratris filio, quos sibi fidos putabat homines civitatibus tyrannos impo- Joseph. de B. Jud. I. 9. et Antiq. XIV. 20. Appian.

5 Tò *que* add. Crev. ex Gellio.

Digitized by Google

Joseph. Antiq. XIV. 21. Dio et Appian.

nens, quo in numero Marion Tyrius fuit, in Ciliciam proficisci statuit, inde Cleopatram, ob missa Dolabellæ auxilia, petiturus: postquam obiter Tarsenses propter favorem adversarum partium mulctasset.

26. Nam illi divisi in factiones, et unaquaque nomen civitatis obtendente suis consultis ausisque, primo Cassium, mox Dolabellam coronaverant: deinde Cimbrum Tullium, ad opem Cassio ferendam properantem, arcere transitu Tauri statuerant: mox pacti cum eo, simul pauciores habere opinione copias viderunt, excluserant oppido, neque commeatu juverant. Ille prævertendum ad majora ratus, omissa oppugnatione Tarsi, contendit in Syriam. Interea Tarsenses, occupato quod Cimber opposuerat castello, vicinos, eoque semper invisos infestosque, Adanenses bello petierunt, Cassianos esse improperantes. Ergo, vivente adhuc Dolabella, L. Sextilium Rufum Cassius misit, a quo victi venerunt in deditionem. Cassius mille quingenta talenta[h] victis imperavit. Ea pecunia cum acerbe exigeretur, Tarsenses, venditis omnibus publicis templorumque ornamentis, mox etiam ingenua corpora coacti sunt addicere: multique horum servitutis tædio sibi consciverunt mortem. Huic fortunæ Cassius superveniens, misertus est hominum, et reliqua civitati condonavit.

Dio.

27. Hæc ubi Romæ sunt audita, tresviri, ne suarum partium homines concidere animis paterentur, Tarsensibus publice collaudatis, operam daturos ostenderunt, uti clades eorum sua liberalitate ocyssime sublevarent. Iidem et Cleopatram laudaverunt ob summissa Dolabellæ auxilia, permiseruntque uti filio Ptolemæo, quem tanquam ex Cæsare susceptum, ne ipso quidem Cæsare prohibente, Cæsarionem vocare solebat, regis Ægypti appellationem tribueret.

Sueton. Cæs. 52. Dio.

Appian.

28. Sub eadem tempora Cassium quoque irrumpere parantem in Ægyptum, M. Bruti literæ revocarunt, triumvirorum apparatum contra se et consilia nuntiantes.

Plut. Brut.

Neque vero se parandæ seorsim potentiæ causa, sed ut

[h] *Mille quingenta talenta*] Marcas argenti Parisienses 140625. *Crev.*

Digitized by Google

contra tyrannos exercitum contraherent, Italia relicta longinquas regiones petivisse. Memores igitur propositi, non debere longius evagari ab Italia, sed eo convertere cogitationes, quemadmodum patriæ civibusque suis possint esse præsidio.' Igitur et Parthos equites, quorum opera erat usus, cum legatis et muneribus remisit ad regem, majora simul auxilia petens, quæ, perditis demum rebus, affuerunt. Interim equites a Cassio præmissi in Cappadociam, Ariobarzanem, tanquam insidiatorem imperatoris sui, occiderunt, magnaque cum pecunia et cetero regis instrumento ad Cassium reversi sunt. Dum ea geruntur, M. Brutus mortibus tot clarissimorum virorum, sed præcipue D. Bruti et M. Ciceronis, irritatus, ad vindicandam tum propinqui sui, tum amicissimi viri necem, scripsit Q. Hortensio, ut C. Antonium, quem hactenus summa cura defenderat, interficeret. Sunt qui necatum a C. Clodio Antonium tradant, timente ne per summissos a Marco fratre custodia eriperetur. Sed jussum Bruti fuisse satis constat, itemque ministerium Hortensii: quando et hoc mortuo jam Bruto M. Antonius exprobravit, et Hortensium velut inferias fratri dedit.

Appian.

Dio et Appian.

Plut.

Dio.

Liv. Epit.

Plut. Anton. et Bruto.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Civiles discordiæ bellis externis eo quoque nomine pestilentiores esse deprehenduntur, quod hic hostes et alienigenas timeas, tuorum fide ac benevolentia te consoleris; ibi nihil ne quidem ab intimis, nedum quibuslibet amicis, tutum est. L. Gellius Poplicola L. F. M. Messalæ frater, qui antiqua familiaritate Bruto erat conjunctissimus, et eodem apud Cassium loco fratrem esse sciebat, M. Bruto insidiatus, et, pro cetera viri clementia, ob eadem illa quæ exasperare pœnam debuerant, dimissus est. Ea quoque lenitas profuisse viro creditur, ut plures ad ejus amicitiam se applicarent.

Liv. Epit. Dio, XLVII.

2. Idcirco et classem haud pœnitendam colligere in Bithynia et apud Cyzicum potuit; et, pedestri itinere provincias obiens, constituit res civitatum, litibusque regulorum operam dedit, ea tum moderatione ac mansuetudine, tum etiam æquitate, ut et inter se omnes, et sibi amicos fidosque efficeret. Tum et Dejotarus accessit partibus, licet longa senectute morosior, qui nuper etiam Cassium auxilia petentem spreverat. Atque erat in hoc haudquaquam leve præsidium, opibus et auctoritate prævalido. Nam et ademta nuper a C. Cæsare, cæde ejus cognita, suo Marte recuperaverat: et Dolabellam, fines

Plut. Brut.

Dio.

Cic. Phil. II. 37.

Digitized by Google

suos ingredi volentem, junctis cum Tullio Cimbro copiis profligarat: et filium habebat, ipsum quoque regem appellatum ab senatu, egregiæ spei atque indolis adolescentem. Cic. ad Brut. I. 6. Cic. Phil. XI. 18.

3. Enimvero Brutum, rebus in Asia ex voto succedentibus, M. Antonii conatus in Europam revocarunt. Cujus licet spes in exercitu seditionem serendi, interemto fratre Caio, in irritum reciderant; tamen verendum Bruto erat, ne qui per absentiam suam similes alii motus orirentur. Igitur in reditu per Thraciam, regionem quam sine liberis decedens Sadales populo Romano reliquerat, recepit. Inde in Bessos fecit expeditionem, ut simul maleficia horum ulciscereturet, et sibi nomen imperatoris pararet, ornamento atque utilitati futurum ad bellum, quod sibi adversus Cæsarem et Antonium post gerendum esse videbat. Et initia quidem belli adversus feram et pugnacem gentem paulo duriora fuerunt: sed egregia Rhascupolidis opera victorem Brutum, votique compotem fecit. Dio. Liv. Epit. Dio.

4. Atque is, ut causam suam latius commendaret, pecuniam signari hinc imagine sua jusserat, inde pileo, libertatis indice, et duobus pugionibus, quibus se atque Cassium in libertatem[1] asseruisse Romanum populum, sublato domino, significaret, tempore quoque rei gestæ sic ascripto, EID. MART. Appian. Dio. Pigh. ad Ann. 711.

5. Omnes jam trans mare provincias in potestate Brutus atque Cassius habebant: neque tantummodo suppetebat otium communicandis consiliis, sed etiam necessitatem imponebat paratus prope, et mox in Græciam transmissurus hostis. Igitur Cassius e Cilicia, Brutus e Macedonia, profecti, Smyrnæ ad ordinanda futuri belli consilia coierunt, iis pedestribus navalibusque copiis, et apparatu pecuniæ, ut minime impares ad decernendum de Romano imperio viderentur. Pari honore et erat, et haberi volebat Cassius; sed detulit ei Brutus, ut crebrius ad eum ventitaret, tanquam ætate majorem, et corpore haud æque validum. Liv. Epit. Dio. Liv. Epit. Plut. Brut. Appian. Civ. l. IV. Plut.

6. Neque discessum a prioribus animis erat, quin et Dio.

1 Carent edd. ante Crev. verbis *in libertatem*.

Digitized by Google

tueri causam suam conarentur, et non nisi concordibus tantam subeundam molem scirent: apparebatque nihil esse melius, quam ut in Macedoniam cum omnibus copiis proficiscerentur, propulsaturi hostem, aut cessantem in Italia quæsituri; penes quem jam esse legiones circiter quadraginta cognoverant. Sed Cassio placebat 'Rhodios prius Lyciosque in ordinem cogi, validos classibus, adversos animis, et, si contra Cæsarem et Antonium res parum procederet, terga invasuros. At nunc, priusquam majoribus rebus distineantur, facile hos auctoritate aut vi cogi in ordinem posse.' At Brutus opus sibi pecunia esse dictitabat: 'nam ad parandam classem insumtum quod habuisset.' Nec deerant inter amicos Cassii qui dandam negarent, cum aliena invidia paratis ambitiose abusuro. Sed vicit æquior sententia, ac, jubente Cassio, ex omni præsente copia trientem Brutus accepit.

Appian. et Dio.

Plut.

7. Tum et M. Messalæ egregio juveni Poplicolam fratrem communi consilio condonarunt; qui venia nihilo factus melior, insidias Cassio paraverat. Sed indicium ejus rei Polla detulit, Poplicolæ mater, utrique consulere cupiens, et Cassio salutem paratura, filio veniam. Sic ille iterum absolutus, ne tum quidem retulit benefactoribus gratiam, quin ab his ad Cæsarem et Antonium perfugeret.

Liv. Epit. Dio.

8. His ita ordinatis, partiti sunt inter sese, ut Brutus Lycios, Cassius Rhodum oppugnaret. Igitur gnarus cum populo rei nauticæ peritissimo rem fore, Myndum deducit classem ornatam instructamque, ac ibi remiges exercuit. Eo venerunt ab Rhodiis legati, 'neque contemni civitatem' petentes, 'quæ semper ulta sit injurias suas: neque fieri aliquid contra fœdera, quibus diserte cautum sit, ne alteruter populus ab altero bello et armis petatur. Quod si forte ob auxilia non missa succenseat, ituros Romam oratores senatus consulendi gratia: illo auctore gnaviter et benigne missuros.' Responsum est, 'verborum præterisse tempora: nunc finiendas armis controversias esse. Fœdus, quod allegent Rhodii, prius violatum ab ipsis esse, Dolabellæ partes secutis. Sed et eodem fœdere de mittendis auxiliis perscriptum esse. Ipsos a Cassio ro-

Dio. Plut. Appian.

Digitized by Google

gatos illudere senatus obtentu, quem sciant oppressum per tyrannos patriæ, dissipatum atque dispersum per provincias. Sed brevi pœnas daturos et illos, et illorum socios Rhodios, ni confestim imperata faciant.'

9. Hæc relata diversimode affecerunt civitatem inter se contrariis studiis opinionibusque divisam. Prudentiores, et quibus res erat, bellum Romanum haud secus atque certum exitium expavescere: vulgus per se stolidum, et periculorum ante experientiam appetens, Alexandri Mnaseæque concionibus inflari, veteres civitatis laudes resonantium, 'et quanto majori numero navium petita a Mithridate, a Demetrio, regibus, invicta stetisset.' Ad hæc conspectu suæ classis erigebantur. Nam ex omni copia navium tres et triginta delectas deduxerant. Igitur cum forte creandis magistratibus comitia haberentur, Alexander factus Prytanis, quæ præcipua tum erat dignitas, Mnaseas classi præfectus est.

10. Iterum tamen ad Cassium mitti Archelaum placuit, quo magistro Cassius olim Græcis literis operam Rhodi dederat. Atque is, pro veteri familiaritate apprehensa Cassii dextra, 'Dii vero,' inquit, 'meliorem tibi mentem, C. Cassi, quam ut Græcam urbem exscindas, Græcæ nationis amator; aut liberam, assertor libertatis. Sed neque Dorici nominis dignitatem contemseris, oblitus pulcherrimarum artium, quas partim Rhodi, partim etiam Romæ didicisti: Rhodi quidem, contra reges pro legibus, quarum quoque te vindicem præfers, egregia gesta; Romæ, magna erga Romanum nomen civitatis nostræ merita, eximiamque fidem, quam et Antiochi bello vobis, et multis aliis locis temporibusque Rhodii præstitimus. Et hæc quidem summatim, ut in rebus notis, et adversus hominem eruditum, de dignitate generis, et originis nostræ, de intemerata hunc usque in diem libertate, de meritis, atque perpetuo erga populum Romanum studio ac prolixissima voluntate, dicta sunto.

Strabo, xiv. p. 653. Appian.

11. 'Privatim vero tecum plura esse debuerunt amicitiæ benevolentiæque vincula, C. Cassi: quæ nequaquam sine probro abruperis. Rhodi educatus es, Rhodi institutus: in illa urbe ægrotus remedia valetudini, peregrinus

Dio. Appian.

Digitized by Google

hospitium, rudis magistros et scholam meam reperisti. Non potes harum rerum omnium, quæ mentio totam in vitam solet esse jucundissima bonis, ulla ex parte recordari, quin Rhodi memoria subeat, atque tantorum commodorum hanc tibi largitricem fuisse recogites. Atqui nostram quidem amicitiam nunc quoque tanti esse puto, ut spem mihi magnam præbeat, mea quoque causa benigniorem te Rhodiis fore; neque commissurum ut hac ætate duarum rerum tristissimarum expectatione conficiar, ne forte aut Rhodii omnes deleamur, aut vincatur Cassius meus. Illud vero omen Dii Deæque omnes prohibessint!

12. 'Et quando me Deorum admonuit hæc mentio, precibus meis me consilium etiam addere, non ægre feres. Deorum maxime gratiam parandam esse magna et præclara molientibus semper admonui. Nunc vero etiam singulariter, pro libertate Romani nominis tanta cœptantem hortor atque oro, ut ante omnia summam tibi horum habendam esse rationem putes. His auctoribus, nihil non prospere cedet: his adversantibus, parum erit in quantislibet præsidiis spei. Ceterum ante paucos hos annos, cum ex auctoritate Cæsaris fœdus nobiscum renovatum est, jurati dextras accepistis dedistisque. Ea fides, ea fœderum religio summæ hominibus curæ esse debet, et qui apud immortales Deos adipisci gratiam postulant, et qui retinere bonam inter homines famam: ut de utilitate jam taceam, quæ servantes pactorum atque fœderum ultro sequitur. Nam et cum his cupidissime jungunt amicitiam prudentes; et hanc deserere, quantumlibet necessitate pressi, verecundantur. At quorum suspecta aut credita levitas est, eos et ab aliis falli nec admiratur quisquam, nec irascitur. Hæc autem cum etiam inter infensissimos hostes obtinere debeant, quanto magis præstanda sunt amicis, hospitibus, alumnis? Non possum plura præ lacrymis loqui. Sed neque verborum magis hoc quam pietatis opus est: et si hæc contemnere poteris, supervacua omnis est oratio: neque enim moveare, tametsi plurima et gravissima proferantur.'

13. Hæc largo cum fletu prolocutus senior, adeo commovit Cassium, ut præ verecundia colorem mutaret.

Digitized by Google

Educta tamen ex Archelai manibus dextra: ‘ Si persuadere Rhodiis noluisti ut abstinerent injuriam a nobis, mihi suadere non debes ut acceptam ulcisci supersedeam. Sin vero hæc agentem audire neglexerunt, pœnas ab his expetam, a quibus contemtus es. Ubi vero erant illi Rhodii, gens studiosa libertatis, amicitiæ tenax, hospites, magistri et educatores mei, cum nuper auxilia petentem rejecerunt? At Dolabellæ miserunt naves, qui nec educatus ab his, nec eruditus est, et libertatem conabatur opprimere, quam ego et Brutus cum aliis principibus defendimus.

14. ‘ Neque vero prodest Rhodiis hic color, quasi misceri nolint civilibus Romanorum armis. Essent civilia, si nos quoque faceremus partes, et nostram ad potentiam res trahere conaremur. Nunc ubi aperto bello hinc rempublicam stare, inde tyrannos intelligitis; frustra poscitis a nobis oratisque libertatem, pro qua nobiscum propugnare contamini. Adeone vos tot clari viri, amici plerique hospitesque, a quibus defensi semper, a quibus ornati estis, nihil commovent, indicta causa condemnati, proscripti, exuti bonis, ejecti patria, vita ac luce depulsi, ut succurrere nolitis populo Romano, cujus societatem atque amicitiam jactare non desinitis?

15. ‘ Sed enim senatus prius vobis exploranda voluntas est. Scilicet ejus, quem præclare scitis vi obsessum oppressumque sententiam suam non audere profiteri. Quod si vero discere vobis curæ sit, quid liber et suæ potestatis senatus censeat, senatusconsultum introspicite, quo mihi Brutoque opem ferre socii amicique omnes jubentur. Tu vero, si quid unquam a Rhodiis profectum est in Romanos officii, diligenter meministi: præmia, quæ vobis abundantissime sunt reddita, præteris. Quid autem vobis prodesse possunt benefacta majorum, si dissimiles his esse pergitis? Juverunt illi rem Romanam. At vos deseritis, cum maxime opus bonis fidelibusque sociis habeat respublica. An non, siquidem Dorienses censeri magnum est, subvenire pulcherrimo imperio, nunc sub iniquorum civium maleficiis laboranti, vos oportuit; et vel hinc ordiri amicitiam, etiamsi nulla vobis antiquitus cum nomine

Digitized by Google

Strabo, xiv. p. 653. Appian.

Romano fuisset? Vos autem ita vos geritis, tanquam adhuc a Telchinibus incoleretur insula; ne forte oblitum Rhodiæ historiæ putes. Sed ista quidem mitto.

16. 'At quia provocatis ad fœdus quod auctore Cæsare, qui et dominationis fuit auctor, factum est; an non eo ipso continetur, Romanum Rhodiumque populos, uti cuivis opus esset, invicem auxiliari debere? Quin igitur adestis hoc tempore summo in periculo constitutis? En adsum C. Cassius, Romanus certe, nec civis modo, sed, si qua senatusconsultis fides est, imperator; et ex lege fœderis auxilia postulo. Easdem vobis fœderis leges M. Brutus, easdem Sex. Pompeius ingerunt, præfectus a senatu maritimæ rei. Accedunt senatorum preces, qui ad me, et Brutum, et, hunc quem dixi, Pompeium ex Urbe confugerunt. Tot et talibus viris suppetias ire negabitis, qui ex formula fœderis ad auxilium vel uni cuivis Romano ferendum tenemini? Sin vero hos tantummodo qui nunc Romam urbem obtinent, Romanorum loco; nos pro exulibus et peregrinis habetis: at vos Romana fœdera objicere nobis desinite. Serventur ea inter quos scilicet convenerunt. Interim, Rhodii, nisi sponte imperata facietis, ab his exulibus atque peregrinis justo pioque bello petemini.'

17. His ab Archelao Rhodi expositis, Alexander et Mnaseas, cum illa, quam prædiximus, classe, Myndum adnavigarunt, tanquam hac audaciæ ostentatione Romanos territuri: compedesque magno numero monstrarunt eminus, tanquam captivos plurimos in potestate mox habituri: hinc, quia portu se Romana tenebat classis, Gnidum petierunt.

Dio. Appian.

18. Postridie, cum pari contemtu Rhodii adessent, L. Statius Murcus contra eduxit naves; certatumque est acriter, patrias utrisque artes gnaviter adhibentibus. Quippe Rhodios nemo tum æquabat nauticæ rei peritia: Romani contra lacertis et robore nitebantur. Hos numerus et magnitudo navium adjuvabat, quæ neque rostrorum ictibus cedebant temere, et ferreis injectis manibus, cito redegerant hostes a discursando ad statariam pugnam. Igitur, duabus Rhodiorum navibus depressis,

Digitized by Google

tribus cum ipso remigio captis, ceteræ male mulctatæ Rhodum refugerunt. Hanc pugnam ex promontorio spectavit Cassius, neque moratus diutius, quam ad reficiendas naves opus erat, Loryma petiit, Rhodiorum castellum oppositum insulæ. Inde pedestres copias onerariis navibus transjecit, ducibus Fannio et Lentulo. Ipse Cassius in naves se contulit, ut terra marique Rhodus oppugnaretur. Oros. VI. 18.

19. Neque defuit his audacia iterum tentandæ pugnæ, quanquam semel jam superati, cum multo paucioribus navigiis adversus octoginta rostratas dimicarent. Sed tum quoque victi sunt, duabusque navibus amissis ad urbem compulsi, cujus mœnia mox armatis compleverunt, undique propugnantes. Nam et a mari turres plicatiles navibus advectæ erigebantur. Hoc terrore, quod in civitate sanum erat, colloquia cum Fannio Lentuloque de pace habebant; cum subito conspectus est in oppido Cassius, neque scalis superato muro, neque ulla externa vi adhibita. Reclusas ab amicis ejus et educatoribus portulas, quæ multæ in mœnibus erant, creditur, timentibus, ne vi capta Rhodus omnino diruereturus. Appian. Dio. Appian.

20. Sed ipse tanquam sine exceptione victor, licet 'regem et dominum' appellantibus, 'neque regem se neque dominum esse, sed interfectorem regis atque domini,' respondisset, hasta sub tribunali proposita consedit: interdicto severe militibus, 'ne quis corporibus aut rebus Rhodiorum injiceret manum.' At ipse quinquaginta nominatim citatos, ex auctoribus belli Rhodiis, duci ad supplicium jussit: quinque et viginti, quos negabant comparere, damnavit exilio: pecuniam publicam omnem ad se comportari præcepit, ne sacra quidem, et donariis Deum abstinens: orantibusque Rhodiis, ne cunctis numinum simulacris spoliarentur, 'Solem a se relinqui' respondit: intactum enim nihil præter currum ejus Dei siverat. Sed ea vox ominosa paulo post est habita, tanquam celeriter luce cariturum præsagientis. Plut. Brut. Appian. Dio. Euseb. Chron. Val. Max. I. 5. Dio. Val. Max.

21. Sed et edictum proposuit, 'uti quod quisque privatim auri argentive possideret, intra dictam diem proferret,' morte celantibus denuntiata, indicibus promisso Plut. Appian.

Digitized by Google

præmio: servis libertatem, liberis decimas constituerat. Multi tamen occultandis rebus suis perstiterunt, plura minari Cassium, quam facturus esset, existimantes. Ceterum ubi ex edicto pœnas mercedemque decerni viderunt, prorogari diem postulantes, ex puteis et foveis, ubi rerum pretiosissima condiderant, tantam opum vim attulerunt, ut octo millia talentorum[a] inde confecta referantur. Neque his contentus, quingenta insuper talenta imperavit civitati, præsidioque imposito, L. Varum ibi reliquit.

Plut.

Appian.

Vell. II. 69.

22. His rebus alacer Cassius, ausum enim immanis operis celerrime confecerat, Asiæ quoque tributum ingens imperavit, decuplum ejus, quod pendere quotannis consuevisset: idque statim exegit. Dum in his occupatus est, valida classis ab Ægypto navigare ad hostes nuntiatur, mittente Cleopatra; quam et amicitia illarum partium, et recens a Cassio metus, ut potius ei negotium alibi facesseret, acribus stimulis impulerat. Itaque Murcum cum sexaginta navibus, et fortissima legione, atque aliquo numero sagittariorum, occurrere ad Tænarium Peloponnesi promontorium jussit, ut illius maris transitum opportuna statione custodiret: ei quoque peninsulæ non satis æquus, quam incursionibus, et abducta, quanta poterat, præda vexaverat.

Appian.

Plut.

23. Multo ubique lenior Brutus, sub eadem tempora Lycios conferre pecuniam et dare milites jusserat. Sed illi, Naucrate quodam impellente populum, objecerunt arma, tumulosque nonnullos arcendi transitus causa insederunt. In hos dum cibum capiunt impetu facto, Brutus per equites suos interfecit ad sexcentos; simulque cum fugientibus irrupit castra. Tum ad castella et oppida circumlato bello, plerisque deditione potitus, præsidiarios sine pretio dimisit incolumes.

Dio. Plut.

24. At illi non tam deliniti beneficio, quam infensi ob illata damna, Xanthum se contulerunt hostilibus animis, quod oppidum tota Lycia maximum, summa ope ad re-

Strabo XIV. p. 665.

Appian.

[a] *Octo millia talentorum*] Murcæ argenti nostrates 750000. *Quingenta talenta.* Marcas 46875. *Crev.*

Digitized by Google

sistendum se parabat. Suburbiis enim dirutis, ne receptaculum hosti, neve materiem ad opera præberet, fossam circum urbem duxerant pedum in altitudinem quinquaginta, et pro portione latam; cujus e margine in adventantes jacula et sagittas torquebant, tanquam profundo flumine et vadari nescio diremti. At Brutus, quamvis e longinquo petenda erat materia, tam fuit in oppugnatione diligens, ut, qui multorum mensium futurus credebatur labor, paucis diebus conficeretur. Partitus enim copias in diurnam nocturnamque operam, ut parte dimidia pugnante, reliqui interquiescerent, penetravit ad mœnia portasque: et, quia recentes subinde fessis succedebant, oppidanos, quibus haudquaquam eadem erat copia, ad extremum discrimen adduxit.

25. Repugnabant illi tamen, donec pinnæ turresque steterunt: sed ubi sunt ab his destituti, una reliqua spes atque contentio fuit, si quam fugiendi reperire viam possent. Amnis præterfluebat urbem, eodem atque illa nomine: sub hoc quidam urinando conabantur evadere. Sed excepti sunt retibus, sub aqua in transversum tensis, quibus appensa in summo tintinnabula, ut quis inciderat, capturam significabant. Strabo. Plut.

26. Postremo omnium eruptio placuit. Quod ubi Bruto nuntiis, aut rebus ipsis proditum est, reduxit a portis milites, ut spatium concederet. Id Xanthii negligentiam interpretati, noctu eruperunt cum ignibus, quos injicerent machinis. Vehemens inde certamen ortum. Sed Bruti milites, facto per incendium impetu, nudum Xanthiorum agmen, neque enim præter faces et tela quicquam extulerant, disjecere, multis interemtis, quia metu ne simul irrumperet hostis, clausum oppidum fuerat. Appian. Plut. Dio. Appian.

27. Et hos quidem hunc ad modum occlusa porta, reliquos aperta prodidit. Namque sub meridiem eruperunt iterum, incensisque machinis, oppidum repetierunt, libero relicto, propter priorem casum, aditu. Igitur, confertim irrumpentibus Romanis, oppidum capiebatur, nisi repente funibus ruptis cataracta decidisset. Duo millia ferme intraverant. Ii cum premerentur a Xanthiis, neque subducere sine funibus gravem portam, neque con-

Digitized by Google

cidere tectam ferro possent,[b] multis amissis, in ædem Sarpedonis penetrarunt, ejusque munimento se tuebantur.

28. Sed anxius de his Brutus omnia tentando diversis aditibus invenit viam. Alii, scalis incendio amissis, subito fabricabant novas: alii antennas[c] admoventes mœnibus, per eas surrepebant: nonnulli uncos restibus ejaculantes in murum, ubi forte quis adhæserat, attollebantur. Œnoandenses, vicini Xanthiis, et plerumque discordes, notitia locorum, per abruptas rupes enitebantur, Romanis etiam quibusdam sequentibus. Sed laboriosus ascensus fuit, multique, fallente vestigio, in præceps lapsi perierunt. Eodem tempore quidam eorum qui muros transcenderant, portulam quandam aperuerunt, ante quam vallum erat exstructum præacutis sudibus. Super eas audacissimus quisque transcendentium, sublevatus a commilitonibus, evadebat; donec numero jam multi portam, quæ intus ferro non erat munita, diffringere cœperunt. Accendebantur enim periculo suorum, invadi hos a Lyciis arguente clamore. Igitur cum intus forisque idem plurimi summo conatu agerent, effracta porta dissiluit: ad quod spectaculum ingens sublatus clamor gestæ rei pugnantibus indicium fecit, diremitque certamen.

Lips. Poliorc. II. Dial. 2. Appian.

29. Interim ignis a machinis ad propinqua mœnia devolutus, pinnas et, his conjuncta, ædificia comprehendit. Idcirco Brutus perniciem oppidi timens, extingui a militibus flammam jussit. Sed hæc ab oppidanis ultro augebatur, picem, sarmenta, quicquid alendo igni reperiebatur, cupide injicientibus. Bruti potius hanc patriam esse putares, cum deleretur a suis, ab hoc defenderetur. Ille et

Plut.

[b] *Neque concidere tectam ferro possent*] Atqui illa porta intus ferro tecta non erat, ut observatur c. seq. Sed nec Appianus, quem hic auctorem sequitur Freinshemius, portam concidi potuisse negat ab iis Romanis qui in urbem penetraverant, sed ab iis qui cum foris essent, suis urbe inclusis auxilium ferre satagebant. Hos ergo porta extrinsecus ferro munita arcebat. *Crev.*

[c] *Antennas*] Quas nempe e navibus sustulerant, ut, iis ad murum admotis, tanquam adminiculis quibusdam in altum enitterentur. Sic exponit Lipsius Græcum vocabulum κεφαλας, quod interpres Appiani vertit *cervos*, non satis ad rem præsentem accommodate. *Crev.*

Digitized by Google

in urbe, et, quia propter tumultum incendiumque nihil profici poterat, egressus porta, muresque circumvehens, tendebat ad Xanthios manus, 'sibi parcerent, seque et oppidum servarent.'

30. At illi fatali rabie tela incendium extinguentibus ingerebant. Postremo, clausis domibus, se parentesque et liberos occiderunt. Alii, nec firmior tantum ætas, sed parvi pueri atque puellæ, insiliebant in ignem, aut in præceps demittebant corpora: pars jugulum præbentes paternis ensibus, in libertatem asseri postulabant. Relatum etiam ad Brutum est, mulierem conspici pendentem ex laqueo, quæ parvulum infantem e collo suo suspendisset, altera manu adhuc teneret facem ardentem inflammandarum ædium gratia raptam. Id videre non sustinuit Brutus; sed illacrymans, præmium pronuntiari jussit in milites, si quis Xanthium conservasset. Sed illi, jugulatis suis omnibus, et in rogos conjectis, super incensam lignorum struem se transfodere malebant. Igitur summa Bruti cura vix ad templa quædam servanda profuit. Homines quidem ingenui centum quinquaginta superfuisse traduntur, molliores ceteris, et amantiores vitæ.

Dio. Appian. Plut. Appian. Plut. et Appian.

31. Sic Xanthii perierunt pro libertate, majores æmulati, quorum par pervicacia antea quoque patriam civium manibus perdiderat. Ab Harpago certe oppugnati, regis Cyri præfecto, ne Persicam servitutem paterentur, incendio et ruinis oppidi se tumularunt. Idemque iterum accidisse Appianus tradit, Alexandri bello Persico. Sed Arrianus et Diodorus, quibus credere malis, ille Xanthios venisse deditione in fidem scribit; Diodorus, Lyciis quidem, sed Marmarensibus nescio quibus, eandem ferociam exitumque fuisse.

Herodot. I. Arrian. de Exp. Alex. I. Diod. XVII.

32. Xantho capta, Brutus ad Patara descendit, quod oppidum videri navale Xanthiorum poterat. Sed vim admovere contabatur, eandem in his vecordiam metuens, quam expertus in Xanthiis esset. Idcirco prius captivos in conspectum eorum adduxit, hortaturos, ut sua clade admoniti saniora consilia capesserent. Quin et nonnullos necessariis suis dono dedit. Cum nihil responderetur, concessa ad deliberandum reliqua parte diei, abduxit copias.

Dio. Appian. Plut. Dio et Appian.

Digitized by Google

Dio. 33. Postridie rursus affuit, et quam proxime muros constituta catasta, captivos in conspectu oppidanorum cœpit vendere: et ne sic quidem motis Patarensibus, ceteros omnes sine pretio dimisit. Erant in eo numero fœminæ quædam Patarensium: quæ ubi viris atque propinquis suis lenitatem atque moderationem Bruti diligenter exposuerunt, eo res adducta est, ut qui modo extrema maluerant, aperirent portas, seque et sua omnia in fidem potestatemque Bruti contraderent.

Plut.

Appian. 34. Atque ille neminis aut supplicium aut fugam jussit: sed, recepta quæ in publico erat pecunia, edictum simile Cassiano proposuit, de conferendo a privatis auro argentoque. Forte quidam a servo proditus aurum abdidisse, ad Brutum ducebatur. Eum ut eriperet mater, cum clamore sequebatur, 'innocenti negotium exhiberi, se criminis ejus ream esse.' Tum conversus ad eam servus, quanquam interrogatus non esset, coarguere mendacium cœpit, et aurum a domino celatum asseverare. Hæc ubi renuntiata Bruto sunt, juvenis patientia, matronæ pietate collaudata, abire cum auro suo incolumes, servum improbum in crucem tolli jussit.

35. Inter hæc, missus cum parte classis Lentulus, Andriaca, quod navale Myrensium est, rupta, quæ portum claudebat, catena, cepit, Myrensium prætore simul deprehenso. Et hunc dimitti Brutus jussit: eoque pacto Myra quoque recepit in deditionem: ubi, similiter exacta pecunia, Lentulus ad imperatorem rediit. At ille, recepta omni Lycia, communique Lyciorum non amplius centum quinquaginta talentis[d] imperatis, classem eorum Abydi præstolari jussit, quo et ipse pedestres copias erat adducturus, ut inde Sestum transmitteret. Prius tamen deflectit in Ioniam, instituti sui tenax, et ubique justitiæ atque moderationis edens præclara specimina. Sed nihil fuit hominibus supplicio Theodoti gratius, quem, propter Pompeium Magnum hoc auctore interfectum, communiter omnes erant perosi. Hunc igitur, dum ceteri puniuntur a Cæsare, fuga ereptum ex Ægypto, et per Asiam vagabundum, corripi Brutus, excruciatumque necari jussit.

Dio.
Appian.
Plut.
Appian.
Plut.
Pomp. et Brut.

[d] *Centum quinquaginta talentis*] Marcis argenti nostratibus 14062. unciis 4. *Crev.*

Digitized by Google

36. Inter hæc, et Cassius Rhodo subacta in continentem redierat. Hunc arcessivit Brutus Sardes, venientique cum amicis occurrit. Magna ejus diei species fuit, cum tanti exercitus starent in armis, et propter res bene gestas, utrumque pariter imperatorem concordibus vocibus salutarent. Sed ipsi statim a via, colloquendi causa, diverterunt in conclave quoddam, semotis arbitris. Nam, ut inter viros tanta potentia subnixos, multisque ducibus et amicis stipatos, suspiciones ortæ erant. Dio. Plut. Brut. Dio. Plut.

37. His ultro citroque proferendis, in contestationes et objurgationes ibatur, fletamque audire erat, et vehementiores interim voces: ut magno in metu pro foribus amici utriusque essent, quibus, ne injussu ingrederentur, acriter interdictum erat. Sed ad extremum M. Favonius, M. Catonis ineptus imitator, quanquam prohibentibus ministris irrumpens, recitatis Homeri versibus,* quibus Nestor 'parere sibi natu minores' jubet, Cassio risum, Bruto iram movit; isque exesse jussit inscitum canem, et adulterinum canem, Græcis verbis hunc in sensum conviciatus.

38. Tamen ille finis altercationis imperatoribus fuit: et ad cœnam Cassii Brutus amicique ejus comparuerunt. Tum et Favonius affuit, et cum supremum in lectum rejiceretur a Bruto, neutiquam invitatum testante, magna contentione corporis contra repellentes usus, in medio se reposuit.

39. Postridie virum prætorium L. Pellam, postulantibus repetundarum Sardianis, damnavit Brutus publice: momorditque ea res Cassium, quia non ita pridem ipse duos ex amicorum cohorte paris criminis compertos, privatim admonuisse contentus, palam absolverat. Objecit igitur hoc Bruto, atque amicis utendum monuit indulgentius, ni deseri velint. Contra Brutus Idus Martias testabatur: 'neque ideo interemtum Cæsarem, quod ipse per se læderet singulos, sed quia hoc agentium robur præsidiumque esset. Quod si ita sit agendum, tolerari Cæsarem præstitisse. Tunc enim,' inquit, 'una nobis hærere pot-

* *Homeri versibus*] Immo, Homerico versu, Iliad. l. I. Ἀλλὰ πίθεσθ· ἄμφω δὲ νεωτέρω ἐστὸν ἐμεῖο. *Crev.*

erat ignaviæ nota: nunc si eadem committamus, cum tot laboribus ac periculis injustitiæ crimen sustinebimus.' Hinc apparet animus Bruti, et quid in nece Cæsaris spectaverit. Alia Cassio mens erat, qui acer et belli peritus, sed asper ira, potentiam magis et metum, quam æquam omnibus libertatem quærebat. Idem inter familiares solutus erat risu et dicax.

40. Contra Brutum vulgo carum, amicis dilectum, optimo cuique admirationi, ne hostibus quidem invisum fuisse tradunt: quia mire lenis, magnanimus, iræ, voluptati, avaritiæ inexpugnabilis, verum atque honestum indeclinabili constantia sectabatur. Igitur etiam ex Antonio multos audivisse ferunt, eum dicere consuevisse, 'solum Brutum virtutis et honesti specie motum ad inferendam Cæsari necem; ceteris omnibus alia proposita fuisse.' Sed neque vulgo dubitabatur, unum hunc bono animo descendisse ad civilia arma. 'Nam neque Pompeio victori[2] mansuram fuisse modestiam, quin ille consulis, aut dictatoris, aut cujus alius magistratus nomine, perpetuam dominationem retineret: et hunc ipsum Cassium, nihilo Carbonibus et Mariis et Cinnis meliorem,[f] sæpe ab honesto ad utilitatem flecti, neque communem salutem magis, quam privatæ potentiæ rationes respicere.'

Tac. Hist. II. 38. Plut.

41. At Brutum animo quam opibus nisum fuisse, vel ipsius epistolæ doceant, vicino jam discrimine compositæ. Nam ad Atticum scribit, 'nunc equidem esse res suas in pulcherrimo statu. Nam aut victoria libertatem populo Romano comparaturum, aut morte sua confirmaturum sibi. Et cetera quidem in incerto; unum haud dubiæ veritatis esse, aut victurum se liberum, aut moriturum. M. Antonium autem meritas vecordiæ pœnas pendere, qui cum censeri cum Catonibus Brutisque et Cassiis potuisset, Octaviani vilis accessio esse maluisset, quem et

2 *Victore* edd. ante Crev.

[f] *Cassium, nihilo Carbonibus et Mariis et Cinnis meliorem*] Hæc non ex sua mente disputat Plutarchus. Ipse enim, eo loco ubi de initiis conjurationis in Cæsarem agit, in eadem Bruti vita, eorum opinionem refellit qui Cassium non tyrannidis, sed Cæsaris odio motum fuisse memoraverant. *Crev.*

Digitized by Google

ab se præsens maneret periculum, et, si hoc vitasset, aliud expectaret ab ipso Octaviano gravius.' Et in his quidem Brutus atque Cassius erant.

42. Romam[g] miserandum in modum vexare non desistebant tresviri. Novus etenim annus,[h] quo M. Æmilius Lepidus iterum, ex fœdere triumvirali, L. Munatius Plancus, pridem a Cæsare designatus, consulatum gesserunt, novam proscriptionem attulit, non quidem in capita, sed in fortunas civium:* eamque ut mitiorem per se, ita latius patentem, cum ab hac injuria ne infirmior quidem sexus immunis fuerit. Tributa jam partim ex longa vetustatis desuetudine relata fuerant, partim nova constituta. Edictum fuerat, quantum quisque pecuniæ ex agrorum modo, ex servorum numero, conferret. Sed et hæc, et proscriptorum bona, quoniam qua violentia rapiebantur, eadem profundebantur libidine, aut licentia militari diripiebantur, tantum aberant ab eo ut tresviros explerent, ut illi in concione ad populum testati sint, sibi ad belli sumtus octies millies[i] etiamnum opus esse. Itaque, cum in omnes partes versarent animum, pecuniasque sibi undeunde extricandas statuerent, tandem ad inauditum antea consilium decurrerunt, ut tabula proposita mille et quadringentarum mulierum, quæ ditissimæ haberentur, nomina proscriberent, juberentque eas profiteri bona, et inde in sumtus belli conferre quantum ipsi edixissent: gravi imposita pœna, si quæ quid celaret aut mala fide æstimaret; et præmiis in indices, sive liberos, sive servos, pronuntiatis.

Dio. Supra, cxx. 19. Supra, cxvi. 82. Dio. Appian. Dio. Appian.

43. Illæ autem, nova re atque atroci percitæ, non tamen sibi defuerunt. Sed, in malis licet, decoris matro-

[g] *Romam*] Hic quædam omiserat Freinshemius memoratu digna, quæ supplenda nobis esse duximus, et suo loco inserenda. Hoc igitur caput et octo sequentia a nobis adjecta sunt. Omissa autem hæc esse a Freinshemio per incogitantiam, non consulto neglecta, patet ex eo quod mentionem harumce rerum facit in oratione Cassii ad milites, l. seq. c. 20. *Crev.*

[h] *Novus . . . annus*] Forsitan aliqua pars rerum gestarum Cassii et Bruti, quæ hoc et superiore libro memorantur, in hunc annum excessit, quo M. Lepidus iterum cum Planco consul fuit. Sed nulla satis certa nota earum tempora apud veteres scriptores distincta reperimus. *Crev.*

* A. U. C. 710. A. C. 42.

[i] *Octies millies*] Marcas argenti nostrates 3125000. *Crev.*

Digitized by Google

nalis memores, primo adeundas sibi existimaverunt propinquas triumvirorum mulieres. Ac sororem quidem Cæsaris Octaviam, (nam mater Attia paulo ante obierat,) et matrem Antonii Juliam, propitias faventesque nactæ sunt. Sed ab impotenti muliere Fulvia, Antonii conjuge, repulsæ, non tulerunt ignominiam: ac statim in forum ad ipsos tresviros progressæ, discedente, præ verecundia majestatis earum, populo, atque etiam satellitibus, illatas sibi injurias in hunc modum, Hortensia verba faciente, conquestæ sunt:

Dio. Appian.

44. ‘ Quod fœminas decebat vobiscum expostulaturas, primo ad propinquas vestras confugimus. Quod vero non decebat, a Fulvia passæ, et rejectæ ab ea, in forum ad vos accedere invitæ cogimur. Quid tandem fiet? Ademistis nobis parentes, et filios, et maritos, et fratres, quod eos vobis iniquos fuisse arguebatis. Si igitur bona quoque nobis eripueritis, ad indecoram nos et generi nostro, et moribus, et ipsi etiam sexui vivendi conditionem adigitis. Si nobis, itidem ut viris, hostilis in vos animi crimen impingitis, nostra quoque capita proscribite. Sin neminem ex vobis hostem fœminæ judicavimus, neque ædes vestras evertimus, neque aut exercitus abduximus a vobis, aut in vos immisimus, nec denique vobis impedimento fuimus, quominus concupitos honores et imperia teneretis, quo tandem jure in pœnarum partem expertes culpæ vocamur? Cur tributis gravamur, quibus vobiscum de honoribus, aut imperiis, magistratibusve, aut de republica denique, quam invadere per tot mala, tot cædes, ardetis, nullum est nec potest esse certamen?

‘ 45. ‘ Instant nimirum bella! Quando autem bella defuerunt? In quæ tamen nunquam mulieres conferre coactæ sunt, ab omnibus gentibus eam quam ipsis natura tribuit immunitatem adeptæ. Matres olim nostræ, cum, Pœnis prementibus, non de imperio magis quam de salute communis patria certaret, supra conditionem sexus rempublicam opibus suis juverunt; at volentes, nec ullis coactæ imperiis; at non ex rusticis urbanisve prædiis, non ex dotalibus pecuniis, sine quibus non est ingenuam vitam degere, sed ex solo muliebri mundo: at non æstimatis

Digitized by Google

bonis, non sub indicum delatorumve calumniis, nulla denique aut vi aut necessitate, sed per voluntariam plane liberamque collationem. Vos quid imperio, quid patriæ timetis? Si, quod Dii omen avertant! aut Parthi, aut Galli huic Urbi infesti minarentur, non nobis maternorum exemplorum indoles deesset. Ad civilia bella absit ut opes conferamus, aut ad mutuas vobis cædes auxilio simus. Nec bello Pompeiano ullas exactiones tulimus: non Marius nobis, non Cinna hoc oneris injunxerunt; non denique Sylla, oppressor reipublicæ, quam vos scilicet constituitis.'

46. Hæc dicente Hortensia, indignabantur tresviri, si, cum viri tacerent, fœminæ eo proveherentur audaciæ, ut palam in foro concionarentur, et rationem a se reposcerent, et viris operam sibi in bello navantibus, ipsæ ne pecunias quidem contribuerent. Itaque summoveri eas per lictores jusserunt. Verum exortus clamor circumstantis multitudinis et cohibuit lictores, et tresviros ipsos coëgit molliore responso populi indignationem deprecari, totamque rem in posterum diem rejicere.

47. Nec tamen incepto abstiterunt, omni jampridem pudore per scelerum assuetudinem exuto: numerum tantum imminuerunt, et pro mille et quadringentis, quadringentas solas proscripserunt: simulque edictum est de viris, ut quicumque supra quadringenta millia[k] possideret, civis, peregrinus, libertus, sacerdos, cujuscunque gentis, nemine excepto, bona profiteretur, iisdem pœnis, si quis contra faceret, præmiisque in indices pronuntiatis; atque ex facultatibus suis quinquagesimam tribusviris partem fœnori commodaret, ac præterea unius anni reditus[l] ad bellum conferret. Dio decimas ab omnibus locupletibus, et quidem, proscriptis eorum in tabula nominibus, exactas esse scribit, atque ita ut decimæ imperarentur verbo, re autem ipsa vix decimæ possessoribus relinquerentur. Cum enim ipsi æstimare bona sua juberentur, variis postea calumniis, quasi non bona fide professi, eo usque vexabantur Dio.

[k] *Quadringenta millia*] Sestertium. Marcas argenti nostrates 1562. uncias 4. *Crev.*

[l] *Reditus*] Vox Græca φόρον potest quoque exponi *tributum*. Crev.

Digitized by Google

donec omnia amitterent. Postremo servos ad remum vel dare de suis, vel, si non idoneos haberent, emere coacti sunt. Senatoribus quoque curatio viarum ea lege imposita, ut hoc etiam onus suis sumtibus sustinerent: adeo ut urbani omnes exuti facultatibus, soli militares viri immensum in modum opibus aucti fuerint.

48. Neque enim illis aut stipendia, aut imperatorum præmia sufficiebant, aut pro cædibus proscriptorum numeratæ pecuniæ, aut denique occisorum bona ipsis vilis-
Appian. simo pretio ad triumviralem hastam addicta. Cum enim intelligerent sibi obnoxios esse duces suos, qui raptam armis dominationem nullo modo poterant, nisi armorum ope, retinere, nullum aut insolentiæ, aut aviditati ponebant modum, indignioraque ultro, quam quæ jubebantur, in miseros cives exempla edebant. Interficiebant enim non proscriptos, et diripiebant eorum ædes quibus nihil mo-
Dio et Appian. lestiæ exhiberi voluerant tresviri. Ab ipsis quoque proscriptorum petebant domos, aut agros, aut villas, aut censum universum; aut adoptari volebant a senibus orbis,
Dio. quibus amplæ possessiones essent. Postremo eo protervia et impudentia militaris processit, ut repertus fuerit qui auderet ab ipso Cæsare, Attiæ matris, quæ tum mortua et publico funere elata fuerat, bona poscere.

Appian. 49. Quæ licentia cum jam iis quoque gravis esset, qui eam excitaverant et aluerant, negotium dederunt tresviri uni e consulibus, ut in eos animadverteret qui cædes et rapinas, ultra quam ipsis imperatum fuerat, exercuissent. At ille non ausus milites attingere, servos quosdam, qui militibus immixti pari cum iis cultu multa peccaverant, comprehensos suspendi jussit. In illa colluvie rerum,
Dio. virgo Vestalis quædam sub noctem a cœna rediens domum, cum, quæ esset ignoraretur, vim passa fuerat. Ex hac unius Vestalis injuria quæsitus est sacerdotio ipsi honos ac præsidium, datumque Vestalibus ut singulis lictoribus uterentur.

50. Inter tot atrocia, cum tot clarissimorum civium sanguine Cæsaris manibus tresviri litarent, divinos quoque in eum honores omnes variis decretis congesserunt: quæ, extorta per vim, et impia adulatione propudiosa, ne fasti-

Digitized by Google

dio sint lectoribus, omittimus. Illud memoratu dignius est, eos Kalendis Januariis et in acta Cæsaris jurasse ipsos, et alios jurare jussisse. Qui mos tum cœptus ad multas deinde ætates duravit, ut initio anni, in eorum omnium qui rerum potiti aliquando fuerant, nisi qui senatus decreto fuerant ob scelera notati, acta juraretur. Ceterum tresviri, firmandæ potentiæ causa, magistratus tum in plures annos, exemplo Cæsaris, ordinaverunt, simul mercedem suis, et sibi in posterum munimen. Atque sic constitutis rebus, Cæsar et Antonius ad bellum proficisci parabant.

51. At Statius Murcus, Cassianæ classi præfectus, circa Peloponnesum excubans, cum Ægyptiam classem ad Africæ littora perisse naufragio audisset, ejusque cladis notas ad Laconiam usque fluctus pertulissent; ne cum tanta classe nihil ageret, trajecit Ionium pelagus, et insulam portui Brundisino oppositam, Lælii nuper et Libonis exemplo, cepit. Hæc enim statio valde erat opportuna ad prohibendum, ne qui ex Italia milites, aut commeatus in Græciam trajicerentur. Appian. Supra, CXII. 5. et CXI. 24. Appian.

52. Sed jam exercitus triumvirorum, octo legiones, cum legatis C. Norbano ac Decidio Saxa, transmisso Adriatico, in Macedoniam præverterat: tribusviris hos præmittentibus, dum Cassium et Brutum Lycio Rhodiensique bello in longum tempus se putant implicuisse. Sed, comperto rerum istarum exitu, Rhodiis Lyciisque collaudatis publico decreto, promissisque ad eorum reparandam fortunam pecuniis, et relicto ad præsidium Urbis Lepido, Cæsar et Antonius pecunias legionesque diviserunt (quia jam nihil Antonio satis videbatur, nec in pari jure portionem æquam obtinere Cæsarem patiebatur) statimque profecti sunt paludati. Ceterum Antonius, qui Brundisium ierat, cum inde transmittere conaretur, a Murco impeditus et exclusus, cum rostratis, quas habebat oppido paucas, nihil ad summam profecit, quanquam catapultis et machinis, atque etiam turribus naves oneraret. Id unum egit ut secundo vento partem copiarum subinde imponeret onerariis navibus, quæ plerumque perveniebant, priusquam a Murco opprimerentur. Postea, quia parum ista Dio. Appian. Dio. Flor. IV. 7. Plut. Anton. Plin. VII. 45. Dio. Appian.

Digitized by Google

Dio et Appian.

proderant ad summam, C. Cæsarem, qui circa Siciliam cum Sex. Pompeio navalibus viribus dimicabat, ad ferendam in commune opem excitavit. Sed hujus quoque belli origo, Sextique fortuna, quæ a ceteris rebus separari utilius fuit, deinceps exponi debent.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXIII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Sex. Pompeius, cum ei morte Cæsaris, et secutis eam motibus, spes in patriam redeundi vix ostensa prius quam erepta esset, imperium maris amplexus, cujus ei concessus ab senatu titulus fuerat, versus Italiam navigavit. Sed, audito se quoque inter percussores superioris Cæsaris damnatum esse, abstinuit continenti, et sine maleficio circum insulas oberrans, ut in patriam revocaretur expectabat; quod se facinoris ejus, cujus ceteri convicti dicebantur, innocentem sciebat ab omnibus haberi. Ut vero cum ceteris suum quoque nomen feralibus tabulis insertum didicit, ad bellum se totis viribus comparans, instruxit naves: neque proscriptos modo qui in Epirum evaserant, sed etiam fugitivos recipiendo, et armando ergastala, quin et cum piratis inita societate, qui circa Cumas et Gallinariam sylvam prædabantur, coëgit exercitum. Diuque sine certa cujusquam loci possessione vagatus in mari, ubi felici rapina per Italiæ portus haud spernendam vim militum et pecuniæ confecisset, in Siciliam cursum direxit, Mylisque et Tyndaride citra pulverem captis, Messanam, prævalidam urbem, tentare ausus est.

Dio, XLVIII.
Appian. Civil. l. IV.
Vell. II. 73.
Dio.
Oros. VI. 18.
Dio.
Liv. Epit.
Vell. Flor. IV. 8.
Dio.
Strabo, V. p. 243.
Lucan. VI 422.
Liv. Epit.
Dio.
Liv. Epit.
Dio.

2. Erat tunc A. Pompeius Bithynicus Messanæ, Siciliæ prætor. Ab hoc repulsus initio Sextus, non ideo de-

Digitized by Google

stitit, quin vastatione agrorum, intercipiendisque commeatibus Mamertinos vexaret. Sed et vicinos opem ferre conantes, exceptos per insidias, aut simili clade mulctatos, deterrebat. Postremo cum jam etiam quæstorem Bithynici, cum pecunia quam deportabat, in potestatem redegisset; per communes amicos, Hirtium et Fannium, qui recens proscripti in Siciliam profugerant, inita est inter duces pactio, ut, æquato imperio, Siciliam obtinerent. Sic receptus Messanæ, imperatoque ut pecunias et arma proferrent, Syracusas petiit: acceptoque ex Africa subsidio, quod Q. Cornificius miserat, et illam urbem, et postea plures subegit.

Appian. Dio.

3. Unde res frumentaria perangusta Romæ, multique mortales absumti frugum penuria, coëgerunt Cæsarem, qui hactenus majorum rerum cura Sextum augeri tulerat, ut et classi instruendæ adjiceret animum, et Q. Salvidienum Rufum cum ingentibus copiis Rhegium præmitteret. Namque Pompeius in dies augendo famam atque copias, cum præter ceteros perplurimi ad eum ex civitatibus, quæ militum præmiis destinabantur, confluerent, jam etiam Italiæ tentare oram audebat. Sed adventu Juliani exercitus in Siciliam se recepit: et Salvidienus, cum navibus destitueretur, navigia ex corio fabricare instituit, qualibus in oceano utebantur, levibus lignis conserta, quæ foris pelle bubula cruda, in clypei formam, inducebantur. Sed irrisus et huic invento diffidens, Rhegii se tenuit, donec eodem Cæsar venisset. Ab hoc acceptis navibus trajicienti Pompeius juxta Scyllam occurrit, consertoque navali prælio, in portum freto proximum (Balaro nomen fuit) retrusit: audacia militum, (exercitatos enim Afros secum Hispanosque, et multos egregios ex Italia viros habebat,) et peritia remigum superior; quanquam numero et magnitudine navium vincebatur. Neque tamen pauciores ipse naves amiserat.

Appian. et Dio. Appian. Dio. Liv. Epit. Dio. Appian.

4. Sed Cæsar, qui spectatorem egerat prælii, tam duro principio minime lætus, damnavit consilium vi transportandi copias, et aliquoties trajicere furtim conatus est: robore legionum sperans superiorem fore, modo penetrare in insulam licuisset. Cum ista quoque frustra tentata

Dio.

Digitized by Google

spes esset, dispositis a Pompeio firmis ubique præsidiis, et ad bellum transmarinum trepidis Antonii literis vocaretur; aliis Italicarum Sicularumque rerum demandata cura, Brundisium navigavit, prius Rheginis data fide, certo curaturum uti e numero urbium eximerentur, quæ in victoriæ præmium promissæ militibus fuerant. Quod enim erant peropportuno in Siciliam situ, et propugnaculum Italiæ propter potentiam habebantur, ne hoc terrore ad Pompeii amicitiam cogerentur, haud injuria metuebat. Eadem igitur liberalitate, similibus de causis, erga Vibonenses usus est.

Appian. Strabo VI. p. 258. Appian.

5. At Pompeius, totius Siciliæ potitus, A. Bithynicum, structo crimine proditionis, interimit: elatusque felicitate sua pugnam navalem prope Rhegium exhibuit, ut in conspectu hostium esset. Captivos enim inter se concurrere coëgerat, alios ligneis, alios pelliceis navigiis, ad deridendum Salvidieni commentum. Aucto deinde navium numero, cum mare vicinum haud dubie haberet in potestate, majores etiam spiritus sumsit, Neptuni se filium ferens, quod et ipse valeret classibus, et progenitus esset eo qui olim totius maris imperium tenuisset.

Liv. Epit. Dio.

6. Interim Cæsar, classe Brundisium advectus, cum Antonio agitabat, quemadmodum transportarent copias, ne a Murco exciperentur, in vicina insula, cum navibus centum, ad hoc ipsum excubante. Tandem Cæsar, ornatis instructisque tanquam ad prælium navibus, petere insulam cœpit. At Murcus, ne dimicare locis angustis cogeretur, ubi hinc Cæsare, inde Antonio circumeuntibus, includi posset, dimissa priori statione, in apertum mare evectus est. Interea Cæsar occupavit insulam; et, quia nullus in propinquo portus erat, quem tenere Murcus posset, in Thesprotidem coëgit transmittere. At ille sic quoque observabat onerarias, quibus milites in Macedoniam trajiciebantur: quanquam deducerentur a Cæsaris triremibus. Sed adeo favens illis ventus fuit, ut præsidio nihil egere viderentur. Ceterum neque postea, cum et vacuæ reverterentur Brundisium, et iterum repletæ alias copias transveherent, deprehendere eas in cursu, licet expertus omnia, potuit: donec universus exercitus

Appian. Polyæn. Strat. VIII. c. 24. Appian. Polyæn. Appian.

Digitized by Google

Vell. II. 70. Liv. Epit. Appian. cum Cæsare et Antonio in Græciam transgrederetur. Mureus tamen, licet iratam sibi fortunam putaret, in ea statione perstitit, sperans fore ut saltem commeatus et supplementa hostium interciperet. Hæc agenti missu Cassii Cn. Domitius Ahenobarbus, cum quinquaginta navibus unaque legione et sagittariis, supervenit: magnopere enim referre arbitrabantur, Italiæ[1] commeatus intercludi, quod hostibus aliunde arctam frumentationem fore existimabant.

Dio, XLVII. et Appian. 7. Dum hoc modo circa prohibendum expediendumque trajectum ab his desudatur; Norbanus et Saxa cum suis legionibus omni Macedonia versus Thraciam, spatio mille quingentorum stadiorum,[m] ad Pangæum usque montem, emenso, trans Philippos posuerunt castra, in Turpilorum et Sapæorum angustiis, quod unum tritum est iter in Europam ex Asia transeuntibus. Symbolum is locus vocabatur, quod ibi montes duo magni, arcto utrimque relicto transitu, committuntur. Interius in campo, montibus circumdato, Philippi jacent: ad mare Neapolis, obversa Thaso insulæ, nunc quoque nomen antiquum retinenti, quæ perperam apud Ptolemæum Thalassia scribitur. Hic primus oppositus est obex Cassio et Bruto, Sestum Abydeno freto (Dardanellos hodie vocant) transjectis.

Plut. Brut. Dio. Ortel. Thesaur. Geog. Ptolem. III. 11. Appian.

Plut. Brut. et Cæs. 8. Quo tempore memorant horribile visum objectum Bruto fuisse. Forte vir somni parcissimus, et præsentia volvens animo, multam in noctem lucubrabat; cum fores crepuere. Respexit ille, nam sub tertiam vigiliam a centurionibus et tribunis adiri consueverat: cum assistere sibi spectrum ingenti et horribili specie vidit. Sustinuitque rogare, 'quis esset, aut qua causa venisset?' Responsum est, 'malum ejus genium esse, videndum iterum Philippis.' Cui ille imperterritus, 'Videbo,' inquit. At Cassius, Epicureæ sententiæ sectator, cui prima luce profectus ad eum Brutus rem exposuerat, curis atque cogitationibus id totum imputavit, quibus agitatus animus ejusmodi sibi miracula ipse vehementi imaginatione figurarat. Igitur,

Flor. IV. 7. Appian. Plut.

1 *Referre Italiæ* legitur in edd. ante Crev.

m *Mille quingentorum stadiorum*] Leucarum 60. *Crev.*

Digitized by Google

hac abjecta et seposita solicitudine, de ratione itineris, quod præ manu erat, agitari cœptum.

9. Duo his temporibus Thracum Sapæorum erant reguli, Rhascus et Rhascupolis fratres: qui callido consilio, ut alter ex eventu salutem alteri a victore impetraret, conjunctis animis, vires diviserant,[a] cum ternis equitum millibus, hic ad Brutum, ille ad Antonium applicatus. Cum igitur his notissima regio esset, in qua castra metati Juliani fuerant, interrogatus a Cassio Rhascupolis, 'brevissimam' ait 'publicamque viam per Ænum et Maroneam ad Sapæorum fauces ducere: sed has ab hostibus ante captas transiri nulla vi nulloque ingenio posse. Quod si quis circumducere tentet, triplo longius iter, multisque difficultatibus impeditum fore.' At imperatores commeatuum potius causa venisse Julianos in Thraciam rati, quam prohibendi accessus consilio, propiorem viam delegerunt: et præter Lysimachiam, ad Melanem sinum progressi sunt. Appian.

10. Ibi, delectu acto, repererunt legiones semiplenas undeviginti, quarum octo Bruti erant, reliquæ Cassii, cum duabus legionibus, quæ, supplementi vice, recens accesserant, gravioris armaturæ millia circiter octoginta. Equitum Gallorum Lusitanorumque millia quatuor Brutus habebat, cum duobus millibus e Thracia et Illyrico atque e Thessalia collectis. Apud Cassium Gallorum Hispanorumque duo millia erant; præterea quatuor Arabum, Medorumque, et Parthorum ex equis mittentium sagittas. Ad hæc socii reges et Galatici tetrarchæ, magnam vim peditum, et millia equitum quinque conjunxerant. Quibus postremo accessit Rhascupolidis equitatus, tria millia. His viribus supremo decertarunt prælio, cum ceteras copias ad alios usus reliquissent. Vell. II. 65. Appian.

11. Lustrato hoc exercitu, donativa, quibus ex promisso debebantur, studiose repræsentata sunt. Curatum enim fuerat, ne deesset pecunia: quia robur copiarum ex veteranis erat, qui sub Cæsare fecerant stipendia; et ne, conspecto qui idem nomen ferret juvene, iterum amare

[a] *Conjunctis animis, vires diviserant*] Vid. infra, l. CXXIV. c. 21. et ibi Appianum. *Crev.*

Digitized by Google

partes istas mallent, timebatur. Ergo neque intempestivum credebatur alloquio firmare animos; effectoque tribunali, ubi duo imperatores cum solis senatoribus assisterent, vocata est concio: progressusque e medio ceterorum C. Cassius, cujus ætati Brutus concedebat, in hanc ferme sententiam verba fecit:

12. 'Nihil amplius a Diis immortalibus petere poteramus, quam quod abunde nobis præstiterunt, commilitones: fidem inter nos, et optimæ spei communionem. Nam ut confidere invicem debeamus, societas periculorum cogit; ut velimus, exsoluta diligenter promissa efficient: quando vos operam, quam eratis polliciti, nos præmia præstitimus. Quæ fides et in posterum omni nos cura invicem liberabit. Spes autem utrorumque felicem belli eventum sibi tam ex virtute militum, quam ducum vindicat: quos tales et tantos viros, senatorii omnes ordinis, mecum in hoc suggestu stantes, eademque vobis omnia meis verbis asserentes videtis.

13. 'De apparatu vero loqui supervacaneum puto. Quis enim vestrum est nescius, frumenti, armorum, pecuniæ quanta parata sit copia, quanta vero navium, quanta auxiliorum ex tot nationibus atque regnis? Ecquibus enim verbis excitari poterunt animi, quos neque apparatuum, neque spei communis magnitudo inflammaverit ad alacritatem et concordiæ studium? Quibus rebus si Deorum accesserit favor, quos equidem bonæ causæ merito adesse credimus, quid est quod timeri a quoquam debeat? Nam ab hostibus objecta quomodo se habeant, novistis ipsi; eoque promtiorem nobis obtulistis operam, navastisque. Sed tamen referre videtur, nunc etiam vobis explicari, quam adversus injusta arma, et iniqua inimicorum odia dimicemus.

14. 'Cæsarem a nobis occisum aiunt: neque negabimus factum, quo jure merito et possumus, et debemus gloriari. Nec enim simultates cum eo gessimus, neque nobis ejus vita nocebat, qui militiæ domique honoratum apud eum locum tenuimus. Sed ille gravis libertati, gravis reipublicæ incubabat; per quem factum erat, ut jam leges omnes conculcarentur, neque senatui quic-

Digitized by Google

quam, neque populo juris in civitate relinqueretur. Patriæ igitur ultioni commodavimus manus, non ignari, sic a majoribus nobis traditam esse libertatem, ut retinentibus hoc proprium et perpetuum bonum esset; prodentes et nostra stultitia, et conceptæ jurejurando diræ punirent. Hæc igitur mala, has imprecationes, nostro periculo, publico commodo, a cervicibus Urbis depulimus; regnare Romæ ne amicum quidem, et in nos liberalem virum passi, postquam ille patriæ, a qua tanta acceperat, caritatem exuere non est veritus. Fortassis autem vestra quoque mens aliquando his in rebus caligavit, fulgore præstricta bellicorum operum, quæ vir ille, cum sibi præstaret, patriæ imputabat. At nunc certe fieri non potest, quin veritas se vobis patefaciat ex firmissimis argumentis, quæ vel ab his rebus, in quibus vobis et certa notitia, et plurimum juris esse debet, suppeditantur.

15. ‘Vos in bello non aliis paretis ducibus, quam quos aliquando dignos eo loco judicastis. Nec enim, salva republica, iter ad imperia nisi per honores fuit, qui vestris suffragiis conferebantur. Vos consules creabatis, vos prætores: ceterorum quoque comitia magistratuum in vestra manu erant. Iidem et judicia legum agebatis, ut nostri ordinis viri magis colere populum cogerentur, in cujus potestate præmia pœnasque recte aut secus factorum esse sciebant. Et donec ea ratio senatui populoque constitit, ut nobiles virtute ad honores niterentur, vos optimo cuique debita præmia lubenter tribueretis; non modo floruit gloria et opibus, sed etiam crevit respublica.

16. ‘Intercessit deinde viri unius temeritas, in se trahentis omnia, vestrumque jus usurpantis, ut nemini jam magistratus, nisi ex voluntate atque etiam lubidine Cæsaris, darentur. Igitur neque virtuti cujusquam reddere mercedem, sicut antea, potuistis; neque, si quis honorem ullum abstulit, vobis eo nomine, sed Cæsari debuit gratiam. Ne tribunos quidem, proprium plebis magistratum, aut creare potuistis ipsi, aut defendere: quos ideo, quia Romanis intolerabile nomen regis usurpari vetabant, per summam contumeliam spoliari sacrosanctæ potestatis in-

Digitized by Google

signibus vidistis. Nec ferre hæc senatus, vestram pariter suamque vicem gemens, nec emendare, nisi sublato tyranno, poterat. Non enim erat legibus locus contra armatum, totque habentem in manu, quas abduxerat a republica, legiones. Occisus igitur est paucorum gladiis, omnium voluntate, consensu, applausu: res enim ea erat, quæ nemini bono non probaretur.

17. 'Inde statim et de præmiis tyrannicidarum agi cœptum: adeo de impunitate non ambigebatur. Sed præmiorum quoque omitti mentionem placuit, concordiæ causa, mortuoque remitti ignominiam, præteritorum oblivione sancita, diserteque adjuncto ne de nece Cæsaris quæratur. Sed et postea, cum Antonii seditiosis concionibus exasperata contra nos pars plebis videretur; amplissimas nobis provincias senatus cum imperio, tanquam bonis viris, et amantibus patriæ, non certe tanquam parricidis et latronibus, quæ nunc vocabula imponuntur, dedit. Eademque deinceps senatui sententia, donec libertas atque incolumitas, mansit.

Tac. IV. Ann. 34. Appian.

18. 'Nam quæ sit ejus hodie fortuna, quis sine lacrymis commemoret? Ut cuique plurimum virtutis atque integritatis inest, ita cupidissime proscribuntur, spoliantur honoribus, patrimonio, vita. Occiduntur in domibus, in vicis, in templis, in foro, in curia: et, quo nihil potest esse tristius, e latebris eruuntur, a libertis, a liberis, ab uxoribus proditi. Tanta nimirum vis scelerum edictis horum triumvirorum inest, ut his non modo status civitatis, sed etiam mores publici, et fas gentium, et naturæ jura convellantur. Urbem Romam a Gallis esse captam, vetus memoria prodidit; fera gente et aspera, quis neget? Sed tam crudele perpetratum ab his nihil est, quod cum præsentibus collatum, non possit mera misericordia et mansuetudo videri. Tarquinium ita odimus, ut inde regem appellari maledictum habeatur longe quidem acerbissimum. Sed quid tale designavit Tarquinius? Quem ne ob suum quidem, sed filii delictum expulerunt majores nostri, simul in perpetuum sublata regum potestate et nomine. Hi igitur tres, non Tarquinii, sed omnia tristia nomina sceleribus et crudelitate transgressi, nos impios vo-

Digitized by Google

cant: etiam in eo facinore, quod unum nobis objiciunt, improbe mendaces.

19. ‘ Propter Cæsaris cædem proscriptos ferunt. Hoc si verum est, cur igitur facti ejus exsortes, consilii ignaros, etiam cum hæc omnia gererentur absentes aliquos, proscripserunt? Neque vero hoc obscurum est, et coram adesse quosdam cernitis, quibus Cæsarianæ necis crimen impingi nullo pacto potuit: sed illos manifesto virtus sua, aut nobilitas, aut etiam divitiæ proscripserunt. Quid vero Sex. Pompeius meruit, quod proscriptus est? An et ille interfecit Cæsarem? Qui toto illo tempore, quo non patratum modo, sed etiam susceptum et cogitatum est nobilissimum facinus, in Hispania fuit. Scilicet tollendi erant, non qui occiderant Cæsarem modo, sed qui eo animo, his majoribus essent, ut timendi Cæsaris dominationem cupientibus viderentur. Quid vero mulieres, quarum proscripta bona sunt? An et illæ occiderunt Cæsarem? Quid autem populus? Qui ad profitendum patrimonii vires, et pendendum quicquid inde tribusviris collubitum est, adigitur. Hæc enim nunc populi libertas est Romæ.

20. ‘ Nec illo tamen etiam tam atroci et impio vaframento cogi pecunia potest, quæ militum donativo sufficiat. In quo ipso magna et conspicua vis divini numinis inest: ut qui omnia improbissime crudelissimeque fecerunt pecuniæ causa, egeant; nos, quibus omnibus in rebus justitia et liberalitas propositæ fuerunt, abundemus. Nam et promissa vobis exsolvimus, commilitones, et, unde promittamus amplius, in manu nostra est: sed et, eo expenso, jam sequentia in tempora provisum.

21. ‘ Ceterum, ut ex hoc favore Deorum æqua vobis numina potestis interpretari, ita ex optimi cujusque judicio perspicitis causæ nostræ æquitatem. Qua enim alia re hi ad nos, tanquam sacram anchoram, confugerunt viri clarissimi, perfuncti amplissimis honoribus, quos in magistratibus, in imperiis, toties vidistis, quam quia adversus paucorum vim et improbitatem nullum in oppressa republica præsidium, at spem resurgendi et illi et sibi nostris in armis animadverterunt? Quos ut eriperemus, non sumus

Digitized by Google

contati ampliora promittere servaturis præmia, quam homines scelestissimi percussoribus pronuntiaverant. Illi igitur optimi atque præstantissimi viri clarissime perspexerunt, nos Cæsaris quidem, propter affectatam dominationem, interfectores, ceterum aliis, qui in se trahere cupiebant ejus potestatem, parcere paratos, neque nobis ipsis, sed populo, secundum morem majorum et jura civitatis, imperium asserentes, proscriptione belloque peti: atque hinc quidem bonos viros civesque, tyranni interfectores, libertatis vindices; ex adversa vero parte satellites hæredesque regios, legum morumque eversores, patriæ parricidas, consistere. Unde nobis merito magnæ atque certæ spes esse debent, Deorum hominumque consensu pro justiore causa pugnantibus.

22. ‘ Neque vero moveamur, si forte sub C. Cæsare stipendia aliquando fecimus. Quatenus enim justum id sacramentum fuit, patriæ militavimus: reliqui temporis memoria dolorem potius atque iram accendere nostris in animis debet, quod cuiquam servivimus: eoque nobis nunc agendum est fortius, ut tristissimorum temporum non modo infelicitatem, quæ ab his reducitur, sed etiam metum avertamus, tollamus exemplum, recordationem quoque, si fieri possit, aboleamus. Et respicite quanto sit sors vestra optabilior. Sub Bruto quidem et Cassio imperatoribus, sed Romani populi exercitus estis: nec pro dominatione nostra, sed pro majestate imperii, pro salute Urbis et Italiæ, pro legibus, pro libertate vestra depugnatis. Nobis equidem, si per inimicos liceret, omnis mora longa esset, donec, non dicam, poneremus arma, sed abjiceremus. Sed quando neque volunt isti, neque jam, præ furore, sceleribus, impietate, suo arbitrio et velut mente emoti, possunt; quod unum relinquitur, ad recuperandam patriam, tristissimaque servitute liberandam eamus.’ ‘ Eamus,’ universa concio resonuit, paratis omnibus statim sequi quo ducerentur.

23. Qua alacritate lætus imperator, iterum indici jusso silentio, ‘ Dii,’ inquit, ‘ justorum piorumque bellorum præsides, pro hac fide studiisque vestris gratiam vobis referant, commilitones: quod autem humana cura præpa-

Digitized by Google

rari potuit, ut rebus omnibus instructiores essemus hostibus, hinc cognoscite. Cum multis locis legiones habeamus dispositas, parem tamen ac hostes habeant numerum adducimus: equitatu et classe longe vincimus, atque regum ac nationum ad Medos usque et Parthos auxiliis. Præterea tantum e fronte habemus hostem: illis terga quoque intuta sunt, Sexto obtinente Siciliam, Murco ac Domitio Adriaticum claudentibus mare.

24. 'Quid jam de pecuniis, quas bellorum appellari nervos audistis, loquar? Quas illi quidem semper quærunt sceleribus, semper effundunt flagitiis: et in media rapina egeni, neque proscriptione locupletissimi cujusque, neque subhastationibus, neque tributis, aut ullo denique crudelis avaritiæ ingenio replentur. At nos diu ante honestis probisque rationibus providimus, ut et nunc suppetant omnia largiter, et in posterum minime sint defutura. Commeatus insuper nullo negotio ex provinciis et insulis, quotquot Thraciam et Euphratem interjacent, navibus subvehetur. Illis ex Macedonia non fertilissima frugum petendi erunt, et e Thessaliæ feracibus quidem, sed exiguis arvis: præterea terrestri itinere erunt supportandi, quam scitis esse rem longe maximi laboris et moræ. Nam si quid ex Italia, aut Africa volent expectare, Pompeius et, cum Ahenobarbo, Murcus vetabunt. Inde fiet ut illi necessariarum rerum inopia, facere interdum, quod nolint, cogantur; nobis ex commodo nostro aut maturare aut trahere bellum in promtu sit.

25. 'Ite igitur alacres; ite spe bona pleni. Nam præter ea quæ jam accepistis, et olim victoriæ causa promissa cum fide exsolvemus, et, quo minus vos pœniteat optimæ voluntatis, præsentes in militem denarios centum quinquaginta,° in centuriones quintuplum, et in tribunos pro portione dividemus.' Cum ad hæc multis imperatorum laudibus et testificatione studiorum perstre-

° *Denarios centum quinquaginta*] Appianus habet, 'mille et quingentas drachmas Italicas.' Drachmas autem Italicas videtur intellexisse denarios. Drachma enim peregrina vox est apud Romanos. Sed denarius Romanus par censetur Atticæ drachmæ. Quod si ita est, miranda sane est hujus donativi magnitudo. Drachmæ enim, sive denarii 1500. æquant marcas argenti nostrates 23. uncias 3. semunciam 1. *Crev.*

Digitized by Google

perent ordines, statim positæ mensæ sunt, donativumque distributum, et fortissimo cuique, prætexta quæsito, superaddita munera: hoc servato ordine, ut simul atque accepissent aliqui, Doriscum præmitterentur, quem ad locum postremo imperatores ipsi cum modico comitatu se contulerunt.

26. In hoc itinere rem accidisse memorabilem ferunt, magnaque omnium alacritate celebratam. Cum primarum legionum signa efferrentur castris, duæ aquilæ ex alto demissæ totidem argenteas aquilas insederunt, protegentes alis, et volatu sequentes agmen: permanseruntque multos dies, jussu imperatorum publice altæ. Bidui deinde itinere sinu Melane circumito, Ænum, atque inde Doriscum pervenerunt, locum a Xerxe, qui copias ibi suas agminatim recensuit, nobilem. Inde secundum littus ad Serrheum usque promontorium progressi, deflexerunt in mediterranea, obiter domitis, qui forte priore Bruti expeditione intacti evaserant. Neque vero quisquam abnuebat parere potentibus et lenissimis viris, cum etiam Cassius naturam suam ita coërceret, ut vel Bruti clementiam vincere videretur.

Plut. et Appian. — Appian. — Herodot. VII. Appian. — Plut. — Vell. II. 69.

27. Inter hæc oram legere Tullius Cimber cum classe, quæ legionem unam atque sagittarios vehebat, jussus, appellebat frequenter, et castris idonea loca designabat, antequam[2] cum Cassio et Bruto moles belli tota sequeretur. Nec prohiberi a Julianis poterat. Quippe magna pars litoris, quanquam fertili humo prædita, propter præternavigantium injurias, jam ab antiquissimis temporibus deserta fuerat. Deinde Chalcidensium frequentata coloniis, cum agricultura et commerciis plurimum effloruisset, excisa per Philippum Olyntho, ita redierat ad pristinam vastitatem, ut vix fanorum adhuc vestigia conspicerentur. Igitur Norbanus, qui Sapæorum fauces insederat, jam ad mare Thracium pervenisse hostem videns, Saxam a Turpilis excitavit propere, ut junctis viribus hostium conatui resisterent. Ita Brutus, felici strategemate usus, relictas discessu Saxæ angustias intravit.

Appian.

2 *Tanquam* edd. ante Crev.

Digitized by Google

28. Sed nihilominus occlusum erat iter, Julianis ducibus Sapæorum montes tanto acrius custodientibus, quanto spes extremæ majori cura retinentur. Jamque subibat Cassianos pœnitentia, quod non a principio longiorem viam delegissent: neque multum aberat, quin relegerent vestigia sua, quanquam sua et anni tempora tantam moram non paterentur. Sed iterum peritus locorum Rhascupolis remedium rebus desperatis attulit, 'montana Sapæorum triduo circumiri posse' docens, 'inviis quidem, ob asperitatem et aquarum inopiam, locis, sed superabilibus, dummodo portare aquam et viam munire non pigeat. Laboris enim alicujus tantummodo, periculi quidem nullius negotium fore. Superventurosque necopinantibus, quando propter densitatem arborum evadere possint vix avibus conspiciendi. Quarto die perventuros ad fluvium, Harpessum nomine, qui in Hebrum [p] incidit. Inde unius diei iter restare Philippos.' Dio. Appian.

29. Placuit hæc sententia, non modo longioris moræ tædio, sed etiam spe grandis utilitatis, si tantas hostium copias occupare improvisi potuissent. Rhascupolidi L. Bibulus adjungitur, Bruti privignus, qui rerum harum commentarium [q] edidit: datisque munitoribus, et præsidio armatorum, præmittuntur. Et, tribus quidem continuis diebus, quanquam maximum inter laborem, strenue pergebatur, accensa militum alacritate, quod præmissi quidam, se fluvium ex prealta specula vidisse renuntiabant. Sed quarto die, cum et aqua deficeret, et fluvius necdum appareret, proditionem rati, Rhascupolidem obequitantem hortantemque conviciis et saxis petere cœperunt, sortem suam mœstis vocibus miserantes. At Bibulo rogante, 'durarent potius, et bonis cum ominibus quod superesset laboris peragerent,' receperunt animos, et circa vesperam diei primum agmen ad amnem pervenit, statimque præ Plut. Brut. c. 18. Appian.

[p] *In Hebrum*] Sic Appiani interpres. At Appianus ipse *ἐς τὸν Ἑρμόν*. Quo nomine si nullus est in Thracia fluvius, non ideo tamen Hebrus intelligi potest, qui longius ab his locis distat. Propius absunt Nestus et Strymon. *Crev.*

[q] *Rerum harum commentarium*] Sive potius, commentarios rerum a Bruto gestarum: *ἀπομνημόνευμα τῶν Βρούτου*, ut est apud Plutarchum. *Crev.*

Digitized by Google

gaudio sustulit clamorem, qui exceptus a proximis transditusque, universas, quæ aderant, copias momento percucurrit. Brutus etiam atque Cassius, re cognita, per munitam ante viam cito agmine incesserunt.

Plut. Brut. c. 54. Dio. Appian.

30. Nec tamen opprimere Julianos datum: quos eodem periculo, quo Thracis unius astu irretiti erant, alterius solertia explicavit. Rhascus frater Rhascupolidis ex insolito clamore id quod erat suspicatus, exploratum iit; miratusque saltum vix feris pervium signa militaria perrupisse, rem omnem Norbano indicavit. Ille, cum nihil factum esset propius quam ut opprimeretur, per silentium noctis se recipere Amphipolim instituit. Brutus Cassiusque Philippos profecti sunt: eodemque et Cimber Tullius, et omnes aliæ copiæ, quas ab exercitu variæ occupationes abstraxerant, convenerunt.

Plut. Appian.

31. Et, quo melius noscatur locus, ubi Romana libertas ad extremum elisa est, Philippos vetus ætas Datum appellavit, felix agro, felix auri metallis oppidum, et eapropter proverbio celebratum. Idem a multitudine fontium Crenides vocabatur: cum a Philippo Amyntæ filio frequentatum habitatoribus, ab hoc tanquam novo conditore recens nomen accepit. Siti sunt in colle Philippi; totumque id spatium quod in summo panditur occupant, præruptis circa atque inaccessis omnibus. A septemtrione saltus adjacent, per quos Cassianos Rhascupolis duxit: a meridie palus, deinde mare præcingit. Versus orientem Sapæorum Turpilorumque angustiæ claudunt: at occidentale latus patentes campos prospicit, qui ad Murcinum Drabiscumque, et fluvium Strymona, per quatuor et quadraginta millia passuum[r] declivi planitie funduntur, amœnitate et fertilitate tam insignes, ut fecerint fabulis locum. Nam et huic regioni raptus ascribitur Proserpinæ, trahiturque in argumentum Zygactes amnis, inde scilicet adeptus nomen, quod, in trajectu ejus, jugo disrupto, fractus raptoris currus fuerit. Hi sunt Philippi, ubi M. Brutus atque C. Cassius victi sunt: longissimo diremti intervallo a Philippis Thessaliæ,[s] quos cum his Thracicis scriptores

Strabo, Fragm. VII. Suid. Appian. Diod. XVI. Appian.

Lips. ad Vell. II. 70.

[r] *Quatuor et quadraginta millia passuum*] Leucas paulo minus 15. *Crev.*

[s] *Philippis Thessaliæ*] Ea est

Digitized by Google

quidam mira securitate confuderunt. Prope eosdem Philippos alius quoque tumulus est, a Libero patre appellatus, in quo sunt aurariæ fodinæ. Asyla vocantur. Rœus ad Virg. Geo. I. 490.

32. Sed ad passuum ferme duo millia ducentos a Philippis procedenti, duo alii colles occurrunt, invicem mille passibus discreti, ubi castra diversi posuerunt, Cassius in meridiem, Brutus in septemtriones spectantem tumulum vallo occupantes. Nec ultra cedentem cum Julianis Norbanum insecuti, Antonium locis opportunissimis opperiri constituerunt. Namque, Cæsare, valetudinis causa, Dyrrhachii relicto, mira celeritate advolare Antonius dicebatur: nec optari situs commodior Cassianis poterat. Sive enim prælio cuperent congredi, patentes campi suberant; sive castris se tenere, locis munitionibusque defendebantur. Colles ipsi difficiles ascensu erant: et ab altero latere paludibus, ab altero imperviis inaccessisque faucibus cingebantur. Medium inter utrosque spatium necessario transeundum erat Asiam ex Europa petentibus; quod, propter exiguitatem, claudi velut porta quadam poterat. Nec omiserunt Cassiani, sed transversum murum fossamque ducentes a vallo ad vallum, relictis in medio portis, ita conjunxerant castra, ut communibus munimentis defensa pro iisdem essent; et tamen ad continendos facilius in officio milites, modico spatio disjungerentur. Suberat amnis Ganga sive Gangites, qui in Strymonem influit; et a tergo mare, magnam ad omnia utilitatem conferens. Nam et Thasus eis erat pro horreo, ad duodecim millia passuum[t] distans insula, et nonum intra milliare Neapolis securam stationem navibus exhibebat. Appian. Dio. Plut. Appian. Joseph. Antiq. XIV. 22. Dio. Appian.

urbs quæ antiquo et magis usitato nomine vocatur Thebæ Phthioticæ: quam in urbem colonia deducta, Philippus, non ille Amyntæ filius, sed is qui a T. Quintio victus est, Philippopolim eam vocari voluit, teste Polybio, v. 100. Ceterum utrum hinc ortus fuerit error scriptorum de gemina Philippensi pugna, dubitari sane potest. Probabilius videtur id, quod Rœus suspicatur, poëtas, per familiarem sibi licentiam, nomina vicinarum regionum miscuisse, et Macedoniam Thessaliamque pro una eademque regione sumere ideo voluisse, ut speciosior sententia fieret, et admirabilitatem vel cum accuratæ veritatis jactura quæsiisse. Præter Rœum et Lipsium, qui in ora libri hic allegantur, consulere etiam operæ pretium est Diction. Geograph. doctissimi viri Bruzen de la Martinière in voce 'Philippici Campi.' *Crev.*

[t] *Ad duodecim millia passuum*] *Livius.*

Digitized by Google

Plut. Appian.

33. Antonius interea, festinanter ducto exercitu, ne Amphipolis sibi præriperetur, ut hanc a Norbano retentam atque etiam communitam vidit, magnopere gavisus, impedimenta ibi deposuit, Pinario cum una legione relicto ad custodiam. Ipse magna audacia progressus, prius ferme quam adesse crederetur, castra planis locis posuit, uno tantum milliari discretus. Tum vero apparuit, quanto potiora omnia et commodiora Cassianis essent. Castra habebant superioribus locis, Antonius in plano: ex montibus suppetebant illis ligna, huic petenda ex palustribus locis erant: illis fluvius præbebat aquationem, hic puteos curabat effodiendos: illis a propinqua Thaso subvehebatur commeatus, huic arcessendus erat Amphipoli. Ceterum nihil erat in præsentia melius, cum opportuna loca hostes præcepissent, colles alii nulli superessent, reliqua planities depressior, exundante nonnunquam fluvio, stagnaret. Audaciam tamen interpretati Brutus atque Cassius, quod potius necessitas fuerat, castella plurima excitarunt, valloque et fossa et muris circumdederunt. Cassius etiam eo spatio, quod a castris ad lacum pertinebat, propter angustias neglectum prius, murum opposuit; ut jam latera tantum, quæ a meridie lacu, et lacum excipiente mari, ad occasum asperis rupibus tegebantur, muro carerent: media loca, quaquaversum diligentissime permunita, conspicerentur.

Dio. Plut. Dio. Plut. Dio. Appian.

34. Interea parvis certaminibus, equitum præcipue, vires invicem experiebantur. Sed ubi Antonius frumentatoribus hostium insidiatus, offendit, Cassiani ferociores evaserunt. Sed suis partibus continuo animum reddidit decimo post Antonium die advectus Cæsar. Quippe veritus utrumque casum, ne aut vinceretur, se absente, Antonius, aut vinceret; quanquam adhuc parum firma valetudine, festinaverat. Deductus igitur in aciem exercitus est, animatus præsentia circumvehentis lectica ordines,

Leucas quatuor. Ceterum peperam hic edebatur *undecim* Appianus enim centum ponit stadia, quæ efficiunt duodecim millia et quingentos passus. *Nonum intra milliare.* Tertiam intra leucam. Reposuimus quoque *nonum* pro *octavum*. Septuaginta enim stadia, quot numerat Appianus, dant octo millia et septingentos quinquaginta passus. *Crev.*

Digitized by Google

hortantisque. Contra Brutus et ipse instruxit suos, sed degredi in æquum noluit, prælium vitare cupiens, quod sperabat inopia debellari hostes posse. Nam neque frumentum ex Ægypto coëmi poterat, quæ tum ipsa laborabat fame; neque ex Hispania aut Africa subvehi Pompeius, nec ex Italia Murcus cum Ahenobarbo sinebant: solæ restabant Macedonia et Thessalia, non in longum suffecturæ tantis exercitibus. Itaque Juliani quoque reduxerunt copias; et, quia diversis castris divelli intutum, tam vicino hoste, judicabant, tres exercitus in unis simul habuerunt. Dio.

35. Sub idem tempus in Africa quoque civili bello Romana arma concurrerunt. T. Sextius Numidiam obtinens, decedere Q. Cornificium vetere provincia jusserat, ex divisione triumvirorum omnem Africam Cæsari deberi dictitans. Contra senatus auctoritatem Cornificius obtendere. Et erat exercitu instructior. Injuria tamen a Sextio cœpit, qui contatione adversariorum excitatus, Adrumetum et alias nonnullas urbes subita irruptione occupavit. Idem insomnio prodigioque factus erat animosior. Nam per quietem erat imaginatus audire taurum humana voce indicantem, corpus suum in oppido Tuca defossum esse: inde caput avulsum si pertica circumferat Sextius, victoriæ compotem fore. Estque repertum loco significato cadaver. Sed et bovem locutam tradunt, insistere jubentem proposito. Ceterum his præsagiis, et successu rerum fidentem, Ventidius, Cornificii quæstor, inopinato adortus fudit, magnaque parte exercitus amissa, recipere se in Numidiam coëgit.

Liv. Epit. Appian. Civ. IV. et Dio XLVIII.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXIV.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Dum hæc in Africa minores inter duces ultro citroque fiunt, ad Philippos, ubi de summa rerum certabatur,
Dio, XLVII. paulatim ad universi prælii aleam accessum est. Neque enim desinebant Cæsar ac Antonius provocare hostem, fidentes viribus, et non de commeatu tantum soliciti, sed etiam ne, per absentiam suam, Pompeius, Italia recepta, in Macedoniam transiret. Contra Cassius ac Brutus, utrisque in partibus cives stare cogitando, parcere his pro instituti sui humanitate cupiebant, et sine sanguine victoriam consequi. Nec enim exercitui suo diffidebant,
Appian. Civ. IV. Plut. Brut. qui minor quidem erat hostili, sed egregie perarmatus, auroque et argento plurimo nitens. Quippe Brutus et ipse amator, et ducibus suis auctor frugalitatis in ceteris rebus, hac elegantia et pretio militum acui animos rebatur, ut non tanquam arma, sed etiam opes suas, diligen-
Dio. tius tuerentur. Et sane non deerat his copiis alacritas; sed et ideo quia plerique ex provinciis lecti milites erant, pugnare cupiebant, quo citius domos remitterentur: et hostes adeo contemnere cœperant, ut sufflaminari impetus eorum ultra nequiret. Quippe tum timiditatem, tum etiam inopiam Julianorum clarissimis indiciis deprehen-
Plut. disse videbantur; quod illi copias intra vallum lustrave-

Digitized by Google

rant, et militibus ad sacrificium paululum frumenti cum denariis quinis[a] diviserant. At Cassius et Brutus, ut sordes hostium traducerent, lustratione exercitus in patentibus campis instituta, victimarum uberem copiam per manipulos, et denarios viritim quinquaginta distribuerant.

2. Eo tempore sævum omen oblatum Cassio ferunt. Nam, inter lustrandum, lictor perversis fascibus[b] lauream imposuit. Alia quoque circum illa tempora sunt annotata multa prodigia. Puer in pompa Victoriæ cultu adornatus, ferculo decidit. Ferales aves et cadaveribus vesci solitæ, supra castra gregatim, ut alii volunt cum horrendo stridore, ut Appianus tristi silentio consederunt, cum inter Julianos nullæ conspicerentur. Examina vero apum continue sunt deprehensa in Cassii castris: idque adeo dirum ostentum habitum, ut haruspicis monitu, vallo interius ducto, locus intercluderetur. Et pridie quam pugnatum est, duæ, quæ hactenus exercitum comitatæ fuerant, aquilæ, avolaverunt: sequentique nocte spectrum idem[c] se obtulit Bruto, quod trajiciens ex Asia viderat.

Jul. Obseq. Plut. Dio. Appian. p. 668.

Jul. Obseq. Dio. Flor. IV. 7. Dio. Appian.

Jul. Obseq. Dio et Plut. Plut.

3. Sed et Romæ sub idem tempus apparuerunt multa, ut creditum est, præsagia futurorum. Sol aliquando minima magnitudine, nonnunquam maxima se ostendit: quin et noctu sic effulsit, ut tanquam die orto ad opus surgeretur. Monstrum biforme, cujus anteriores partes equum, posteriores mulum referrent, mula peperit. De cœlo pleraque tacta sunt, et inter hæc ara Jovis Victoris. Faces in cœlo visæ: auditus clangor tubarum, et strepitus armorum, et clamor exercituum, ex Cæsaris et Antonii hortis. Canem æditui mortuam canis ad Cereris templum traxit, effossaque pedibus humo, tanquam in sepulcro condidit. Infans cum denis in utraque manu

Dio. Jul. Obseq.

[a] *Denariis quinis*] Argenti grossis nostratibus 5. *Denarios ... quinquaginta*. Uncias argenti nostrates 6. grossos 2. *Crev.*

[b] *Perversis fascibus*] Ita quidem legitur apud Jul. Obsequentem. Sed quid fasces ad lauream? Forsan scriptum fuerat *perversis fasciis*; id est, inversis fasciis, quibus corona laurea revincta erat. *Crev.*

[c] *Sequentique nocte spectrum idem*] Plutarchus, Bruto et Cæsare, et Appianus, illud spectrum, ante postremam demum Bruti pugnam, el iterum apparuisse, auctores sunt. *Crev.*

Digitized by Google

digitis natus est. In Mutinensi agro Victoriæ Marianæ signum meridiem spectans, sua sponte conversum in septemtrionem hora quarta. Currus Minervæ, cum post decursionem equitum in Capitolium reduceretur, confractus est. Cum hæc victimis expiarentur, soles tres circiter hora tertia diei visi, mox in unum orbem contracti. Latinis, cum et tempore alieno, et a præfecto urbis, cujus ad curam ea res minime pertinebat, in Albano monte sacrificaretur, ex humero ac pollice Jovis dextro cruor manavit. Fluvii quidam in agro Romano defecerunt, alii fluxerunt in contrarium. Ædiles plebis ludis Cereris, quos equestribus celebrari cursibus oportebat, gladiatores exhibuerunt.

Plin. II. 31. Jul. Obseq. Dio. Jul. Obseq.

4. Hæc ab hominibus habita sunt evertendi status popularis indicia: quæ referri, quam prætermitti tradita, satius puto. Ne enim ad vanam superstitionem animos illiciant, non silentio, sed commemoratione potius obtineas, modo quid eis de rebus teneri rectius sit ostenderis. Nec enim tacendo, ut alii quoque obmutescant, effeceris: et præstat hæc ab his narrari, qui talibus non plus justo tribuere didicerunt. Nam et sic narrata cum remedio, innoxia intrant animos, et sæpius lecta, si forte iterum inciderint, ipsa consuetudine levius timentur. Sed in Cæsaris castris auspicia extaque læta erant, ipsique per quietem Cæsar pater prædixisse prosperam pugnam fertur, admonito, ut aliquam rem assumeret ex iis quas dictator ipse gestavisset. Igitur annulum ejus induit statim, eoque postea quoque frequenter est usus. Sed et medicus ejus Artorius imaginatus est, a Minerva sibi præcipi, ut Cæsarem, licet invalidum adhuc, educeret castris et in acie collocaret: eaque res non spreta ab adolescente, salubriter ei cessit, ut postea memorabimus.

Flor. IV. 7. Dio. Sueton. Aug. 96. Dio. Vell. II. 70. Flor. Dio. Oros. VI. 18. Appian. p. 653.

5. Interea Cassius, terrore prodigiorum nonnihil dejectos militum animos cernens, magis magisque ducendi belli auctor existebat. Contra, qui apud Brutum erant, levibus equitum præliis, quæ prospere cesserant, elati, nisi cito de summa rerum dimicaretur, alium alio abituros minitabantur. Pars enim horum multo minima Itali erant: ceteri domos quisque suas, quas in pacatis adhuc

Plin. VII. 45. Sueton. Aug. 91. Plut. Brut. et Anton. Plut. Brut. Dio.

Digitized by Google

provinciis reliquerant, respiciebant. Erat et ipse Brutus ad periclitandam fortunam propensior, quo maturrime vel restitueret rempublicam, vel orbem terrarum molestiis atque bellis levaret. Accesserunt transfugia nonnullorum ad hostes, et hinc etiam de aliis suspiciones et crimina: quibus moti[1] in consilio multi amicorum Cassii, damnata contatione, Bruti consilium prætulerunt. At unus ex cohorte Bruti Atilius hyemem expectandam[2] censebat: causamque rogatus, 'Si nihil,' inquit, 'aliud, tanto vivam diutius.' Ea vox mirifice displicuit Cassio ceterisque: decursumque eo est, ut posterum in diem pugna ediceretur. Eam alacri Brutus animo, multa super cœna pro sapiente disserens, expectabat. Cassius solito tristior, comprehensa Messallæ dextra; 'Te,' inquit, 'Messalla, testor, Magni Pompeii fato me urgeri, ut de salute patriæ uno prælio decernam. Est tamen in fortuna nonnihil spei, quæ interdum male consulta corrigit. Simul invitavit Messallam ad cœnam sequentis diei, quem celebraturus erat natalem. Plut.

6. Dum his in castris hæc geruntur, Antonius, omnia volvens animo, ut ad prælium eliceret hostes, insanum opus moliri cœpit, munita per paludes via, subvectionem a Thaso commeatuum impediendi. Igitur, structa uti sæpe consueverat acie, clam inde subductis cohortibus, dies noctesque summo silentio urgebat inceptum. Arundine detecta jaciebatur agger, et, ne dilaberetur in lubrica voragine humus, utrimque includebatur macerie: ubi profundior erat palus, vallum injiciebatur, et pontes sternebantur. Neque conspici ab hoste munientes poterant, quippe relictis ab omni parte circa viam arundinetis protegebantur. Decem diebus hoc perfectum opus est: inde per noctem expeditas cohortes transcurrere, et, occupatis ulterioribus locis, excitari crebra castella jussit. Appian. Plut. Appian.

7. Secutus est dies, in quem pugnare Cassius atque Brutus constituerant. Idcirco prima luce puniceo sagulo proposito admoniti sunt milites: et medio inter utraque castra spatio congressi imperatores supremum salutarunt Plut. Flor. Plut.

1 Omittitur in edd. ante Crev. vox *moti*.
2 *Expectare* edd. ante Crev.

Digitized by Google

invicem, communiterque decreto 'vincendum esse, aut, si prælium improspere cessisset,[3] sponte exuendum vitam,' ad sua munia diversi perrexerunt. At Cassius, viso Antonii conatu, audaciam hostium et vafritiem stupens, abscindere cohortes hostium a majoribus castris instituit, transversim per paludes aggerem ducendo, ut, intercisa via Antoniana, nec se recipere cohortes, nec accipere auxilia a suis possent.

Appian.

8. His animadversis, sub meridiem Antonius eduxit aciem, et ad interrumpendum Cassii opus, præter castra Bruti,[d] subire suos obliquo cursu jussit. At Bruti milites, 'id vero indignum esse' conclamant, 'si præter ora sua tam contemtim transcurreret hostis.' Non expectato cujusquam ducis imperio prorumpitur.[e] Cæduntur Antonianorum multi: victores impetus ad alteram aciem, quam Cæsar opposuerat, perfert. Sinistrum id hostium cornu erat: id quoque circumiit cum legione sua Messalla, sequentibus quæ juxta erant collocatæ: paucisque ejus et extremis ordinibus disjectis, in castra Cæsaris penetratur. Magna ibi cædes facta eorum qui deprehensi in castris erant. Inter ceteros duo millia occisa Spartanorum, qui recens domo advenerant. Ipse Cæsar Artorii rogatu paulo ante castris elatus, evitavit certam perniciem, licet summo discrimine ac molestia. Nam et vacua lectica ejus pilis atque jaculis transfossa est; et ipse triduo in palude ægrotus, et, ut Agrippa Mæcenasque fatentur, aqua subter cutem fusa turgidus latuit, donec ad Antonii cornu

Plut. Appian.

Plut.

Vell. II. 70. Dio. Appian. Plut. Vell. Dio. Appian. Flor. Plut. Plin. VII. 45.

3 Pro *improspere cessisset* legitur in edd. ante Crev. *his pepercisset*. Ex Plut. correxit Crev.

---

[d] *Præter castra Bruti*] Nulla castrorum Bruti mentio hic occurrit apud Appianum. Sed tota res, ut observat Freinshemius c. seq. mire obscura est, et a scriptoribus indiligenter tractata. Ille narrationem supplet et fulcit, quam maxime potest, ad verisimilitudinem. *Crev.*

[e] *Non expectato cujusquam ducis imperio prorumpitur*] Freinshemius dederat, *non expectato imperio, tantum ad unius tribuni vocem prorumpitur*. Nimirum hic, ut et aliis quibusdam in locis, interpreti Appiani nimium credidit. Græca verba levi mutatione egent; πρός τινος ἐκ τῶν ἡγεμόνων ἐντάγματος. Evidenter patet legendum esse πρό τινος, *ante ullum a ducibus imperium*. Et consentit Plutarchus. *Crev.*

Digitized by Google

fuga perveniret.[f] Interim et Brutus cum ceteris copiis perruperat Cæsaris aciem: stratisque tribus legionibus, et totidem aquilis captis, cum fugientibus in castra hostium inciderat. Sueton. Aug. 13. Plut.

9. Mira eo die facies rerum fuit, cum fortuna magis omnia, quam aut virtute aut consilio regerentur. Itaque nec scriptoribus satis inter se convenit: neque explicari propemodum res tota potest; nisi quod hinc Cæsaris exercitus, inde Cassii cæsus fugatusque est, interfectis Cassianorum octo millibus, connumeratis et servis armatis, quos Brigas[g] vocabat Brutus; et Cæsarianorum millibus sedecim. Castra quoque utrimque capta sunt: cum neque Cæsar, quod certum est, neque, ut a multis est creditum, Antonius, pugnæ affuissent. Sed Antoniani, disjecto Cassii opere, cæsoque quod aderat præsidio, summisseas etiam auxilio copias statim pepulerunt, equitibus contento cursu ad mare fugientibus. Nec pedites retineri potuerunt, quanquam omnia faciente Cassio, qui et ereptum fugienti signifero signum ante pedes humi defixerat. Interim ad castra ipsa contenderunt hostes, quotquot objectum a Cassianis opus perruperant: eaque res animadversa cæterorum adhuc extra castra pugnantium pavorem fugamque auxit. Appian. Plut. Appian. Plut. Brut. et Anton. Flor. Appian. Plut. Brut. Appian.

10. Ita Cassius, vix prætoria cohorte retenta, se recepit in collem Philipporum, unde prospectus in circumjecta patebat. Sed magnitudo pulveris, et nox jam vicina nihil Plut. Dio. Flor. Oros. Appian.

[f] *Et ipse triduo in palude . . . latuit, donec ad Antonii cornu fuga perveniret*] Hæc, qui intelligi possint, aut inter se conciliari, non videmus. Neque enim pugnatum est triduo: nec, si post triduum demum e palude emersit Cæsar, ad Antonii cornu, sed ad sua castra evasisse dicendus est. Nempe hujus rei narratio partim ex Plinio, partim ex Suetonio consarcinata est; quibus scriptoribus, cum inter se non conveniat, necesse est orationem, ex ipsis eorum verbis constantem secum, pugnare. Omnino in hac celeberrima et clarissima pugna, sive error, sive studium partium, sive scriptorum incuria, mirum in modum miscuit omnia ac perturbavit. Quis non rideat hoc in loco Dionis securitatem, qui ingenio indulgendum sibi esse censuit, et exercituum ordinem ac varios motus, ac denique quicquid prælii hujus proprium est, omittens, lascivientem concentus tubarum, et militaris clamoris, et vulnerum ac mortium descriptionem lusit, quæ ad aliam quamlibet pugnam possit transferri? *Crev.*

[g] *Brigas*] De hoc vocabulo vid. notas Cruserii et Xylandri ad Plutarchum. *Crev.*

Digitized by Google

Vell. Val. Max. IX. 9.

nisi capta ab hostibus castra sinebat cerni, et advolantem equitum globum. Igitur cum nihil animo præter sui casus imaginem concipere posset, Bruto quoque victo adesse hostes putans, Titinnium evocatum[h] misit cognoscendæ certius rei causa. Hunc læto clamore exceperunt equites, nam a Bruto veniebant, circumvectique et complexi hominem, perniciabilis erroris occasionem Cassio præbuerunt. Atque ille, 'Ergo,' inquit, 'producenda hactenus vita fuit, ut amicum etiam captum videremus!' Secessitque in tentorium quoddam vacuum cum liberto Pindaro, quem jam Parthicis temporibus extremæ necessitati ministrum destinaverat, obvolutumque lacerna caput, præcidendum præbuit. Pindarus postea comparuit nusquam: unde multis suspicio suborta est, vana ut puto et futilis, injussu Cassii patratam cædem esse. Vix deciderat Cassio caput, cum Titinnius affuit coronatus et nuntius victoriæ. Sed, conspecto cadavere imperatoris, 'Sequar,' inquit, 'eum quem mea occidit tarditas:' atque ita stricto gladio incubuit.

Appian. Tac. Ann. IV. 34. Plut. Appian. Dio. Plut.

11. Cassio ad hunc modum emortualem adepto diem, quam natalem habuerat, Brutus supervenit: multoque cum fletu, 'Romanorum ultimum' appellans, tradidit amicis, clam militibus Thasi sepeliendum, ne luctu mollescerent animi. Mox reliquias exercitus Cassiani collegit, pronuntiato in capita octo millium nummorum[i] donativo. Ea res laudem ipsi magnam attulit, celebresque militum acclamationes, solum de quatuor imperatoribus invictum victoremque prædicantium. At hostium erexit animos Demetrii cujusdam adventus, qui cum gladio paludamentoque Cassii, recens cæso detractis, transfugerat.

Appian. et Plut.

Igitur et hi postridie mane eduxerunt aciem; et Brutus contra instruxit suos. Neutris serium pugnandi propositum aderat, sed primi hostes recesserunt. Igitur et Brutus abstinuit pugna, contentus adversarios obtrivisse dicto,

[h] *Evocatum*] Evocati sunt veterani, qui, expletis stipendiis, sponte in gratiam consulum aut ducum militiam sumebant. Vid. de iis Lips. Milit. Rom. I. Dial. 8. Valerius Max. hunc Titinnium centurionem vocat. *Crev.*

[i] *Octo millium nummorum*] Marcarum argenti nostratium 31. unciarum 2. *Crev.*

Digitized by Google

'Ergone qui nos tanquam fessos ad pugnam provocant, conserere manus timent?' Appian.

12. Nihil inde prætermissum a Bruto curæ, quo detrimentum hosti daretur. Nam et nocturnam oppugnationem castrorum ausus est; et magnam eorum partem, immisso, qui juxta labebatur, fluvio, inundatione delevit. Sita enim humili loco erant, et continui post prælium imbres, cœno et aqua continuo propter frigus conglaciante, tentoria repleverant. Ad hæc commeatuum et pecuniæ premebantur inopia: neque militi pro rebus amissis dare quicquam præter verba poterant, et instans hyems majorem inferebat molestiæ metum. Contra spem propemodum omnem auferebant deletæ a Statio copiæ, quas transire Brundisio triumviri jusserant. Dio. Appian. Plut. Dio et Plut.

13. Eodem enim die, quo in campis Philippicis est depugnatum, classes etiam partium in Adriatico mari concurrerunt. Duas legiones, quarum altera Martia fuit, et prætoriam cohortem, ad duo armatorum millia, cum quatuor equitum alis, et alia insuper delecta multitudine, Domitius Calvinus onerariis navibus in Græciam transportabat, triremibus prosequentibus paucis; cum se Statius Murcus et Domitius Ahenobarbus cum centum triginta longis navibus objecerunt. Magna ibi cædes triumviralium copiarum facta. Nam, præter onerarias haud ita multas, quas longius ceteris provectas impleta vento vela eripuerant, ceteræ omnes, repente cessante flatu,[3] impune circumveniebantur. Neque defendi a triremibus poterant, longe imparibus hosti propter paucitatem. Unum succurrebat periclitantibus remedium, contis atque funibus jungendi naves, ne circumiri ab hostibus possent: sed emissa ab his ignita jacula, dissolvere vincula cogebant, et propter metum incendii, sparsim fugere, eaque ratione rursus se præbere rostratis feriendas. In ea desperatione veteranos aiunt præ nimio dolore, quod virtute potiores inulti peribant, sibi partim, antequam excitatum incendium esset, conscivisse necem; partim insilientes in hostilia navigia, multa fecisse, qualia necessitas Plut. et Appian.

3 In *flatu* a *fluctu* editionum priorr. ex Appian. mutavit Crev.

Digitized by Google

extrema cogit, multa passos esse. Erat immane spectaculum, videre inter marinos fluctus emicantem e navibus flammam, et semiustulatis inhærentes carinis alios incendio corripi; alios hac peste vix evitata jactari sine armamentis, sine commeatu, donec fame sitique conficerentur. Servati tamen sic etiam sunt aliqui, tabulis aut antennis adhærentes, et ad scopulos et importuosa littora fluctibus elati. Erant qui et quintam in diem tolerata fame, atque interim velis et funibus adesis, et lingenda pice sitim utcumque fallentes, evaderent. Longe tamen plures, cum resistere nequirent tot malis, deditionem fecerunt: in quibus triremes fuere septemdecim, quarum omnium milites ad sacramentum Statii se transtulerunt. Calvinus, cum olim perisse crederetur, cum nave sua die quinta Brundisium reversus est.

Dio. Plut. Appian. Dio.

14. Hujus prælii nuntiis ad Cæsarem et Antonium perlatis, in magno timore versabantur. Alieno loco habebant castra, neque petere alium tuto, neque regredi in Italiam poterant: nihil præterquam in armis supererat spei: festinabantque eo decurrere, priusquam mari acceptum incommodum sui pariter hostesque cognossent.

Appian.

Sed ubi, frustra producta acie, prælium sæpe quæsiverant, Brutusque suis se locis tenens, arctiora eis quotidie omnia efficiebat; collem ita conjunctum Cassii castris, ut tela inde adjici possent, noctu quatuor legionibus occuparunt, muniveruntque. Inde ad passus sexcentos aliis castris collocarunt legiones decem, et ulterius quingentorum passuum intervallo iterum duas; ut ita paulatim ad mare penetrarent, et sive in littore, sive per paludem, quomodocumque effecta via, commeatus intercluderent Bruti.

15. Brutus adversus hæc tum alia moliebatur, tum castella idoneis locis frequentia opponebat. Sed non erat ultra tolerabilis apud hostem fames: cujus impatiens auxiliarium Germanorum manus ad Brutum perfugit. Idcirco legio una in Achaiam missa est, festinanter ad exercitum delatura, quicquid corripi posset: ceteras continuo paratas ad prælium habuerunt, quocumque tandem modo Brutum ad conserendum manus attracturi. Sed nihil melius cessit libellis, quos clam in castra Bruti jaculaban-

Dio. Appian. Dio.

Digitized by Google

tur, transire ad se jubentes exercitum, amplissimis propositis præmiis; aut, si quid haberent virium, signis collatis decernere. Nam his artibus solicitati Dejotari dux Amyntas, et Thraciæ regulus Rhascupolis ad hostes transierunt: alii Rhascupolin abiisse domum tradiderunt. At Brutus, hoc casu æger, pluriumque suspectans perfidiam, ad hæc militum tribunorumque frequentibus querelis ad pugnandum incitatus, prælium committere statuit, haud dubie ducturus bellum, si de maritimo prælio citius innotuisset. Plut. Erat enim rebus omnibus ad hanc rationem paratissimus: castra tuta, locupletia, salubria habebat: maria habebat in potestate, habebat provincias uberrimas, unde commeatuum, unde pecuniarum inexhausta copia suppeditaret. Sed fato quodam in vigesimum usque diem de navali prælio audierat nihil, et Clodii cujusdam indicium contemnebat,[k] qui, capto jam pugnandi consilio, pridie quam concurrerent acies, ad eum cum hoc nuntio transfugerat.

16. Cetera quoque ita conspirabant ad perniciem viri, ut nec evitare posset, nec saltem innocens mori. Maxime ferocia militum angebatur, quorum pars multo maxima Appian. sub Cæsare dictatore meruerat, reditura ad partes, nisi multa his quæ nollet Brutus concederentur. Plut. Nam Antonius et Cæsar totam propemodum Italiam prædæ suis legionibus dabant. Igitur et ipse duas urbes claras promisit diripiendas daturum, Thessalonicam et Lacedæmonem, ob missa hostibus auxilia infestior. Appian. Plut. Aliud etiam crudele factum addit, captivos interficiendo, servos duntaxat, qui priore prælio capti erant, ne turbas darent in castris: custodiri enim nequibant propter multitudinem. Dio et Plut. Liberorum aliquammultos dimisit ultro, 'civibus apud cives constare jus æquum' dictitans, 'hosque potius cum in castris hostium essent captivitatis atque servitutis turpitudinem sustinuisse.' Plut. Ne plures palam ablegaret, ducum atque militum efficiebat tristitia, qui hac impunitate

[k] *Clodii cujusdam indicium contemnebat.*] Clodium ne in conspectum quidem Bruti venisse Plutarchus scribit: ut videatur ille iudex, non a Bruto, sed ab ejus amicis et ducibus spretus. *Crev.*

Digitized by Google

animos hostium, et suum periculum augeri querebantur. Occisi quin etiam sunt aliqui P. Cascæ impulsu, qui parentari Cassio suppliciis hostium postulans, editam forte inter alias cogitationes a Bruto vocem, ‘ quid igitur se rogarent, neque facerent ipsi quod videretur?’ pro
Dio. jussu imperatoris acceperat, tanto pronius, quod in diversis castris suorum etiam plerosque interfici audiverat.

Plut. et Appian. 17. Ferunt ea quoque nocte quæ prælium antecessit, spectrum quod transjiciens ex Asia viderat, obversatum
Appian. ei esse, sed nulla voce edita. Sub prælii tempus imperator ipse subtristis, parum sibi placere quæ fierent voce testatus, ‘ Nos,’ inquit, ‘ similiter atque Pompeius Magnus gerimus bellum, parentes magis quam imperantes.’ Quod et Cassium paulo ante dixisse retulimus. Inter
Jul. Obseq. Flor. IV. 7. Appian. Plut. hæc militibus, dum ad pugnam educuntur, Æthiops in porta occurrit, estque illico propter tristitiam ominis ab iratis occisus. Ad hæc examen apum in prima aquila sedit: et e brachio centurionis, quanquam sæpe extergeretur, pertinaciter sudavit liquor, unguentum quale fit e rosis spirans.

Appian. Dio. Plut. 18. Jam nona ferme diei hora erat, cum inter adversas acies aquilæ duæ comparuerunt, pugnantes invicem, summoque omnium silentio spectatæ, donec victa quæ a Bruti
Appian. castris processerat, fugit. Tum vero hostes, ingenti sub-
Plut. lato clamore, irruperunt. Bruto consilium pugnæ magis magisque displicebat, quod neque videret in exercitu, quam optabat, alacritatem, et vir quidam fortis, Camulatus nomine, præter ipsum Brutum transvectus, ad hostes se applicasset. Sed non erat amplius deliberationi locus.
Appian. Idcirco paucis cohortatus suos; monitoque ‘ ne longius a munimentis discederetur, quo et receptus facilior e propinquo loco, et validior in hostes impetus ex superiore foret,’ prælium conseruit.

Dio. Appian. 19. Multa utrimque cæde pugnatum constat: obstinatis utrimque animis, cum alteros fames et necessitas accenderet, alteros pudor, ne et sumsisse temere prælium,
Plut. et ignaviter sustinuisse viderentur. Brutus, cum his quos
Dio. secum habebat, sinistrum hostium cornu impulit. Et, gnaviter adjuvantibus equitibus, fecisset operæ pretium,

Digitized by Google

ni reliquorum fuga desertus foret. Nam qui in lævo ejus latere astiterant, post acrem pugnam, relinquere ordines, deserere signa, postremo confessa jam fuga spargi cœperunt. Et victoria prior Bruti[1] cladis hujus fere causa atque initium extitit. Quippe quos tum ille vicerat hostes, plerique occubuerant: at Cassiani victi iidem servatique, tum quoque retinebant pristinum pavorem, eoque reliquam etiam aciem sui timoris consternationisque complebant. Plut. Appian. Plut.

20. Ibi multi insignes viri strenue pugnando mortem mereri, quam superesse deploratæ reipublicæ, maluerunt. Inter quos et Uticensis filius Cato, post egregiam pugnam, crebroque repetitos conflictus, demta galea, patris nomen ciens, voce simul manuque provocavit fatum. Neque dissimilis fuit exitus L. Cassii, qui fratre imperatoris erat genitus; eademque fortuna præfectum fabrum Flavium apprime gratum Bruto abstulit. Marcus etiam Lucullus, eminentissimi civis filius, Antonii jussu interemtus, T. Volumnio supplicii causam præbuit. Nam is in magna fugiendi licentia complexus amici cadaver, nimia et pertinaci lamentatione milites excivit, ut ab his ad Antonium protraheretur. Ubi se professus auctorem Lucullo sumendæ militiæ, et juxta amicum occumbere optans, eo deductus, dextram Luculli osculatus est; et capite, quod abscisum jacebat, ad pectus appresso, cervicem percussori præbuit. Alii, rebus perditis, sua aut familiarium manu quæsiverunt necem. Quorum Labeo, vir egregius, legatus Bruti, pater ejus Labeonis, qui mox insigni peritia juris supra modum inclaruit, fossa in tentorio ad modum sui corporis effecta, datisque ad uxorem et liberos mandatis, fidissimum servorum circumegit libertatis causa, gladioque dato jugulum præbuit. Eodem modo et Quintilius Varus periit, occisus a liberto, cum se insignibus honorum velasset. Nam Drusus sua sibi manu conscivit necem, Appian. Plut. Brut. et Cat. Min. Vell. II. 71. Appian. Plut. Vell. Val. Max. IV. 7. Dio. Plut. Appian. Vell. Dio XLVIII.

[1] *Et victoria prior Bruti*] Hic male vertit Plutarchum Freinshemius. Melius interpres, *qua re fuerat Brutus priore conflictu superior*, ea hic multum nocuit. Plures priore pugna occiderat e Cæsarianis, quam Cassiani interierant. Hoc illi nunc obest. *Crev.*

Digitized by Google

Liviam relinquens filiam, et nepotem ex ea Tiberium, privignum futurum Cæsaris et successorem. Ita res humanas fatum agit rotatque.

Sueton. Tib. 5.

Dio, XLVII. et Appian.

21. At victores, imperatorum monitu nec occidere fusos, nec capere curantes, hoc tantum egerunt, ut diversa in loca se recipientes clauderent, ne iterum conjungerentur. Castris prohibendi præcipua cura fuit, occupatamque cum periculo portam occluserunt incidentibus. Idcirco fuga inde ad mare versa montesque. Ibi Cæsar ad castra hostium constitit, ut erupturos exciperet; Antonio ad reliqua belli profliganda properante. Sed huic potissima cura fuit, ne duces elaberentur, denuo pugnaturi. Igitur his excipiendis quaquaversum dimisit equites: inter quos Rhasci præcipua fuit opera, qui cum Thracibus suis, regionum gnaris montium sinus latebrasque omnes perscrutabatur; hac et cetera diligentia fideque sua Rhascupolidis fratris salutem promeritus.

Put. et Appian.

22. Sed alia manus ita persequebatur Brutum, ut, nulla alia præda objecta, diverti pateretur. Id ubi animadversum Lucilio Lucino est, Bruti servandi causa sponte incessit tardius, ut a barbaris exciperetur. Tum adduci ad Antonium magnopere contendens, eo quoque fefellit, ut Brutus esse putaretur, et implacabilem inimicum vitare Cæsarem velle. Hoc nuntium ancipitem animi Antonium habuit, quemadmodum tantæ dignationis famæque virum in hac fortuna reciperet. Sed propius facto Lucilius, 'Dii vero prohibessint,' inquit, 'ut capi Brutus queat! Neque etiam Fortunæ in Virtutem licebit quidlibet. Ceterum ego his deceptis en adsum, passurus quod tibi videbitur.' Cum ad hæc obstupuissent equites, conversus ad hos Antonius, 'Non est,' inquit, 'ut ægre feratis hanc fraudem. Nihilo minoris hanc prædam æstimo: pluris immo, quanto præstat amici, quam hostis factum esse compotem.' Et Lucilium quidem suorum cuidam curandum tradidit: eoque vicissim, fido deinde atque benevolo, ad omnia usus est.

Vell. II. 70. Appian. Plut. et Appian.

23. Interea Brutus cum manu haud spernenda in tumulum se receperat, beneficio noctis in castra, vel ad mare evasurus. Eo tempore suspicientem in cœlum su-

Digitized by Google

dum ac stellis fulgens, exclamasse tradunt Euripidis versu, 'uti ne Jupiter effugere pateretur inultum horum malorum auctorem.' Designasse Antonium creditur, qui tum in armis pernox, ex cadaveribus et spoliis vallo effecto, locum circumdederat: et Cæsar, castris ad mediam usque noctem servatis, morbi causa discedens Norbanum eidem custodiæ præfecerat. Penetravit tamen eo per medias stationes, cujus et in Catonis morte fecimus mentionem, Statilius; sublataque, ut convenerat, face, salva hæc esse Bruto significavit. Sed ubi nec ille rediit, dum hoc conatur interfectus; de morte sumenda Brutus agitans, ejus rei ministerium a servo suo, deinde ab armigero, post hoc et a P. Volumnio, qui rerum harum edidit historiam, petiit. Sed his aliisque summonentibus, 'prius tentandos præsentium animos esse;' ipse quidem agere cum his noluit: tribunis legatisque, jam errorem suum cum pudore agnoscentibus, negotium dedit.

Appian. Plut. Appian.

24. At milites paulo ante tam et in sumenda pugna, et in pugnanda ferocès, tum ad extremam vilitatem relapsi, hæc responderunt: 'Quanta fide, quantaque virtute secuti partes imperatorum fuerimus, ut nihil aliud, hæc sane vulnera nostra, hæc inopia, atque ipse hic infelix et feralis locus, in quem coacti conclusique sumus, ostendant. Nos tamen ad extremum persistere in proposito certos, neque maxima spes ab hoste præmiorum, neque incommoda atque discrimina durissima belli, avertere hactenus atque dimovere incepto potuerunt. Nunc vero tentatis omnibus, quænam superesse ratio belli, quod consilium potest? Armisne et acie cum duobus imperatoribus, totidemque felicibus et firmis exercitibus, pauci, fessi, victi, congrediemur? An vero fuga dilabemur, cincti undique ab hostibus atque circumvallati? Nec fallere intentos, nec arcere validiores possumus. Et si quis forte Deus nos ex his locis educeret, quo postmodum intenderemus iter? Castra, si nondum capta sunt, obsidentur certe. Viam ad mare, locis et anni tempore non facilem, hostis occupavit.

25. 'Inter has angustias sperare ex armis salutem insania est, experiri furor. Nec enim ferreos animos, aut

Digitized by Google

ex ære membra gerimus, ut tanta tamque gravia superare tolerando possint. Quod exigi a viris, sed hominibus, potuit, cumulate præstitimus et alacriter. Semel non optime accepti, et postulavimus iterum pugnam, et eam exhibuimus operam, quam modo laudabatis. Legionum quatuor signa magis quam milites sumus; vix dimidia pars armatorum superest: et qui hactenus effugere fatum, vulneribus et labore domiti, et commilitonum interitu, neque corpora eadem ad novum laborem afferre, neque animos potuerunt. Num parum adhuc Romani sanguinis per hos annos fusum est? Cur hæ adhuc reliquiæ poscuntur? Cur nullo operæ pretio publicæ cladis temeraria accessio fimus? Etiam Magnus ille Pompeius fortunæ cessit, neque servari vetuit, quos, post fidelem sed infelicem operam, majore flagitio suo quam usu videbat perituros. Avunculus quidem imperatoris Cato, postquam frustra dimicari contra fatalem potentiam sensit, adeo non objecit periculo suos, ut potius ipse moreretur, quam propter se mori quenquam, licet rogantium offerentiumque, sineret. Sæpe nostri exercitus calamitate subacti hostibus externis se dediderunt. Hic nullo Romani nominis pudore civibus nos tradimus, servandi cupidis, et æquam vivendi sortem secum daturis. Hanc conditionem, tam et optabilem, et necessariam, sanus aliquis aspernetur! Certe imperator pro sua virtute atque sapientia sibi consilium capiet: nos meminisse patriæ, meminisse liberorum atque conjugum patietur.'

Plut. 26. Cum hæc ad Brutum essent relata, quidam astantium 'fugiendum igitur esse' exclamavit; cum ille renidens, 'Sane,' inquit, 'fugiendum est: non pedibus tamen, sed manu:' porrectaque singulis dextra; 'Quantum ad me attinet, nihil est quod fortunam accusare debeam; quæ super alia multa, hoc etiam, quod ingenti mihi voluptati est, præstitit, ut amicorum me fefellerit nemo, fidi omnes bonique perstiterint ad extremum. Patriæ tamen videtur esse iniquior, cui præfracte adversa, neque tenere vetustam libertatem, neque frui recuperata, concessit.

27. 'His equidem non invideo, misereor magis, qui tantum pertulerunt perpetraruntque malorum, ut patriam

Digitized by Google

servitio premerent. Nec vero is qui causa eorum præcipua fuit, latebit ultores Deos. At ego virtutem, licet, a fortuna destituta, nomen potius quam res esse dicatur, haud ullo præmio colui:[m] beatior omnino his a quibus victus existimor, non præteritorum modo recordatione, sed etiam præsentium sensu. Sic enim ex vita discedo, ut mecum conscientiam feram, famam relinquam boni viri civisque: res neque armis obtineri natas, nec ullo ære parabiles victoribus. Qui sane, quacumque in posterum fortuna egerint, suo ipsorum judicio, omniumque hominum sententiis, oppressores libertatis, interfectores meliorum, hostes juris et æqui, legum eversores, et tyranni, et publici parricidæ habebuntur. Flor. IV. 7. Dio. Plut.

28. 'Et ego quidem hactenus expertus quæ debui, postremo etiam, tentata reliqui militis voluntate, postquam inutilem me patriæ esse video, mihi consulam. Nec enim in horum incidere manus memoria veteris Bruti, et avunculus Cato, et interfectus Cæsar sirint. Ne Cassio quidem data fides fallenda est. Unum deprecor, amici, ne quis vestrum, scio enim quosdam id agere, vitam sibi mecum ponendam putet. Erit ubi hoc, si necessum fuerit, minore cum reprehensione faciatis. Vestra adhuc opera fortassis utilis esse patriæ poterit: neque vobis bene moriendi, si bene vixeritis, occasionem invidebit Deus. Cato filium suum et me sibi coëgit superesse: jam et illi fatum insigne obvenit, et mihi paratum est. Catonum et Bruti exitum appetere nemo debet, nisi quem similes adegerint ad vitam exuendam causæ. Mihi non est integrum in horum me hominum potestatem dedere, qui neque servatum velint, neque par- Appian. Flor. Plut.

[m] *At ego virtutem, licet, a fortuna destituta, nomen potius quam res esse dicatur, haud ullo præmio colui*] Quomodo hæc dicuntur, nihil generosius neque præclarius. At longe aliam sententiam habent versus desperationis plenissimi, quos Dio a Bruto tunc recitatos scribit, Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ'· ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν. σὺ δ' ἄρ' ἐδουλεύες τύχῃ. *O infelix virtus! vanum sine re nomen eras. Ego autem te, tanquam aliquid scilicet rei, colui. Tu autem fortunæ serviebas.* Et levior apud nos auctor Dio esset, Bruto semper iniquior. Sed consentit Florus; 'Quam verum est,' inquit, 'quod moriens' (Brutus) 'efflavit! 'Non in re, sed in verbo tantum esse virtutem.'' Et hic fortasse sit versus, ut observat Freinshemius ad Florum, quem Bruto pronuntiatum sibi excidisse ait Volumnius apud Plutarchum. *Creu.*

Digitized by Google

cere, si cupiant, possint. Libertatem et leges præferentem omnibus, interfectorem regis, professum dominationis hostem, nemo tolerare tyrannus debet. At vos vita, liberi, conjuges, et, qualiscumque tandem erit, patria, manent: et sine metu, sine verecundia, sequi potestis fata reipublicæ, quæ tolerabiliore tamen conditione interim aget, si vobis erit aliquis apud victores amicitiæ gradus: et, si mitiora forte decreverunt Dii, habebit per quos resurgat.'

Plut. Liv. Epit. Appian. Plut. Flor. Dio. Vell. Appian.

29. His dictis cum duobus aut tribus longius aliquanto progressus, Stratonem Ægeatem, quem ex studiis eloquentiæ familiarem habebat, rogavit, 'ut sibi gladium adigeret:' atque illo contante, idem a servo petiit. Tum Strato, 'Si quidem decretum est,' inquit, 'non committam, ut servi potius quam amici ministerio utaris.' Et cum dicto latus præbentis, atque ultro ictui occurrentis, hausit. Sic præstantissimæ indolis juvenis, uniusque tantum facinoris, de quo tamen et tum et postea mirifice sententiis variatum est, infamia aspersus, ætatis annum septimum atque tricesimum agens interiit. Mortuo Bruto, reliquiæ exercitus, quatuordecim ferme millia, se dediderunt victoribus, acceptaque venia inter hos divisa sunt. Mox et castella, quæ passim Brutus exstruxerat, a præsidiariis tradita, simul cum majoribus castris, diripienda militi suo imperatores dederunt. Inter hæc Antonius, Bruti viso cadavere, hunc quidem increpavit leniter, 'quod fratrem suum[6] Caium occidi jussisset.' Ceterum Q. Hortensio potius factum imputans, illum supra monumentum fratris interfici præcepit: Bruto paludamentum suum purpureum injecit, quod ingentis erat pretii, ut in eo sepeliretur. Auditoque mox surreptum esse, requiri furem, supplicioque affici jussit: crematique corporis reliquias ad Serviliam (mater hæc erat Bruti) remisit.

Vell. II. 72. Dio. Appian. Plut. Anton. et Brut. Liv. Epit. Plut. Anton. et Brut. Appian.

30. Sed non eadem Cæsaris moderatio fuit. Is avulsum Bruti caput Romam misit, ut statuæ avunculi subjiceretur. Sed inter transmittendum a Dyrrhachio, propter exortam tempestatem, in mare abjectum est. Ejusdem adolescentis sævitia multi, nec sine contumelia verborum,

Sueton. Aug. 13. Dio. Sueton.

6 Pro *suum* legebatur ante Crev. *Antonii*.

Digitized by Google

interierunt, cum cuidam suppliciter petenti sepulturam, 'jam illam in volucrum atque ferarum fore potestatem,' responderet: et patrem ac filium sortiri vel dimicare juberet, utri vita concederetur: neque spectaculo subtraxit oculos, cum patre qui se obtulerat occiso, filius etiam voluntaria morte periret. Ab hac causa ceteri captivorum, cum catenati producerentur, Antonio imperatore salutato, Cæsarem conviciis prosciderunt; præcipue M. Favonio libertatem loquendi, quam tota vita exercuerat, in extremis retinente.

Dio, LI. Sueton.

Dio, XLVII. Sueton.

31. Attamen Q. Horatio poëtæ, Brutianarum partium tribuno, veniam impetravit Mæcenas, fidus ab adolescentia Cæsari, et Mutinensi quoque bello utilis comes, magnarumque dehinc rerum ministeriis adhiberi solitus. Ceteri proscriptorum cum aliis nobilibus, qui Thasum evaserant, partim ad Sex. Pompeium navigarunt, solum jam reliquum partibus ducem. Nec deerant qui Messallæ fulgentissimo juveni, proximaque Bruto et Cassio auctoritate, imperium traderent: copias superesse non spernendas, ad hæc classem, et pecunias, et amplam in sociis spem dictitantes. Sed ille fortunæ cedendum esse docuit, mittendæ ad victores legationis auctor. Nec Bibulo dissentiente, cui et ipsi tradita par cum Messalla potestas erat, Antonius accitus (huic enim plus tum credebatur) pecunias, arma, commeatum, quarum rerum omnium ibi permagna erat copia, cum militibus ipsis,[7] in potestatem accepit.

Sueton. in Vit. Horat. Hor. II. Sat. 6. II. Ep. 2. II. Od. 7. Sidon. Carm. IV. Propert. II. 1. Dio. Appian. Vell. Eutrop. VII. 3. Vell.

Appian.

32. Hoc eventu rerum cognito, Porcia Bruti conjux, cujus de fortitudine supra exposuimus, sibi necem conscivit, prunis devoratis ardentibus, cum intenta familiarium custodia ferrum et alia voluntariæ mortis solita instrumenta subduxisset.

Plut. Brut. et Cat. Min.

Val. Max. IV. 6.

7 *Atque milites* pro *cum militibus ipsis* legitur in edd. ante Crev.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXV.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Sublatis Bruti Cassiique partibus, statim apparuit, quam imbecillum sit inter homines, quod firmissimum esse debuerat, vinculum, fides et pactorum religio, quotiens aspirans fortuna spe majoris potentiæ cupidos et præferoces animos inflavit. Cæsar enim et Antonius victoria læti, sacrificio facto, militibus collaudatis, continuo Lepidum excludere societate imperii studuerunt, nova provinciarum instituta divisione, uti de Lepidi parte, qui Pompeio favisse dicebatur, Hispania et Numidia Cæsari, Antonio Gallia atque Africa adjicerentur, siquidem pati Lepidus posset: sin vero generosius indignaretur, aut innocens esset criminis, Africam ei concessuri erant. De ceteris nihildum decretum, Sardiniam et Siciliam obtinente Sexto, ceteris provinciis nondum pacatis, et Italia utrimque excepta, quam communem habere patriam, et quæ facerent, pro illius salute facere dictitabant.

Dio, XLVIII. Appian. Civ. V.

Eutrop. VII. Dio et Appian.

Dio.

2. His ita ordinatis, placuit Antonium orienti componendo transmarinisque provinciis impendere curas, operamque dare, uti promissa militibus pecunia (vicena millia nummum[a] viritim) cogeretur: Cæsarem, propter valetu-

Sueton. Aug. 13. Vell. II. 74. Liv. Epit. Plut. Anton. Appian. et Dio.

[a] *Vicena millia nummum*] Maroæ argenti nostrates 78. uncia 1. *Crev.*

Digitized by Google

dinem ineptum ad ulteriora, cum his, qui stipendia impleta haberent, quibus data statim erat missio, in Italiam proficisci, Lepidi coërcendi causa Sextique, et dividere veteranis agros sedesque promissas ob victoriam. Erant veteranorum octo ferme millia, qui militiam missioni præferebant. Igitur et hos inter se diviserunt; et cum superessent cum dedititiis legiones undecim, et equitum quatuordecim millia; sex legiones decem equitum millia Antonio data: Cæsari concessum, uti duas reciperet Antonianas legiones, quæ cum Fufio Caleno in Italia substiterant. Hæc relata in tabulas, et consignata alter accepit ab altero, ut qui forte pacto non stetisset, tanquam ex syngrapha convinceretur. Tum Cæsar versus Ionium mare profectus est, Antonius in Asiam.

Appian. Dio et Appian. Dio. Appian. Dio.

3. Sed Cæsarem terrestri maritimoque itinere tanta vis morbi adorta est, præcipue circa Brundisium, ut extinctus Romæ diceretur. Multos tamen incerta rerum, et calamitatum metus, quas experti unquam fuerant, timere omnia coëgerunt. Simulationem suspectabant, consultoque rumorem spargi, ut affectus hominum elicerentur: adeoque hic invaluit metus, ut extrema nonnulli expectarent; Cæsarque ex itinere dare literas ad senatum cogeretur, ne forte qui motus in Urbe, præsertim Lepido præsente, existerent; 'supplicio de parricidis sumto verum esse Diis immortalibus honorem haberi, pacisque seri et expectari bona:'[b] suam in hæc operam enixe pollicitus.

Plut. Appian. Dio.

4. Eodem anno L. Plancus L. F. consul, imperator iterum, de manubiis Saturno templum ædificavit. Censores etiam L. Antonium, P. Sulpicium fuisse, sed non fecisse lustrum[c] reperio. Forte tantum ad bona civium in tabulas referenda creati fuerant, quorum decimas triumviri sic exigebant, ut vix decimam cuique facultatum partem relinquerent. Tum et P. Vatinius P. F. proconsul de Illyrico triumphavit.

Marmor ap. Pigh. in Annal. Suet. Aug. 29. Marmor ap. Pigh. Supra CXXII. 47. FastiCapit.

[b] *Pacisque seri . . . bona*] Profecto vox *seri* mendosa est. An *sentiri?* Nec quicquam opis ex Dione. *Crev.*

[c] *Censores etiam L. Antonium, P. Sulpicium fuisse, sed non fecisse lustrum*] Tres voces *fuisse, sed non* addidimus ex auctoritate ipsius inscriptionis quæ in margine allegatur, quæ quidem sic habet, 'Antonius, P. Sulpicius, Censs. Lustr. N. F.' id est, Antonius, P. Sulpicius, censores lustrum non fecerunt. *Crev.*

Digitized by Google

Dio. 5. In L. Antonio, cum et ille triumphum postularet ex Alpibus, dubitatum est, quamdiu Fulviam adversam habuit, quæ socrus Cæsaris, uxor Antonii, per horum absentiam, Lepidi contemta ignavia, plurimum in republica pollebat. Neque sane aut auspicia habuerat Lucius, aut quicquam triumpho dignum gesserat. Ceterum Fulvia placata, neque huic repugnare quoquam ausa, Kalendis Januariis, se et P. Servilio Vatia Isaurico iterum consulibus, triumphavit;* ausus se conferre Mario, quin et anteponere, 'quod Marius invitus, ipse sponte, deposito triumphali habitu, senatum convocassent: Mario si forte una data corona esset, sibi et aliæ multæ, et a populo tributim, quod ante se factum esset nemini. Sed hæc apud prudentes ignominiæ potius loco, quam honesta ducebantur; quod hæc non Lucio dari, sed Fulviæ nesciret nemo, aut certe comparata nummis esse, quos ille certis hominibus clanculum diviserat.

Oros. VI. 18. Dio. FastiCapit. Dio. Cic. Phil. VI. 5. Dio.

6. Sed Lucium adjungebat sibi Fulvia, Cæsarem oppugnare moliens, quem jam tum apud Brundisium contumeliis et insidiis petisse dicebatur. Idcirco ille, remittente paulisper morbo, Romam regressus, simul quæ decreta victoriæ causa fuerant curata sunt, ad rempublicam capessendam toto animo se contulit. Et Lepidus quidem, insita tarditate præsentiaque Cæsaris cohibitus, quiescebat: Antonius et Fulvia dederunt acceperuntque causas discordiæ, quod Marci literis exhibitis, cum a Caleno dare legiones deberent, promissum differebant; et vicissim a Cæsare potestate, quam in dividendis agris Antoniano militi usurpatum ibant, prohibebantur. Erupitque eo discordia, ut socrus insolentiam pertæsus Cæsar, nuntium filiæ ejus remitteret, intactam adhuc esse jurejurando confirmans: quanquam plerique falsum hoc,[d] neque subito cogitatum de divortio, sed inter primam sponsaliorum

Oros. VI. 18. Appian. Dio. Appian. Dio. Sueton. Aug. 62. Dio.

* A. U. C. 711. A. C. 41.

[d] *Quanquam plerique falsum hoc*] Hic neque Dionem fideliter exprimit Freinshemius, neque etiam satis claram aut placituram attento lectori sententiam subjicit. Hæc est mens Dionis: Octavianum parum curasse, num cui suspicio oboriretur aut falsum id esse, quod ipse affirmaret, aut, si verum, eum proinde jam inter primam sponsaliorum mentionem de discidio cogitasse. *Crev.*

Digitized by Google

mentionem hæc decresse secum adolescentem dubitarent. Ceterum hoc repudio irritati utrimque sunt animi, ut nihil postea nisi lædere invicem et odisse possent.

7. Sed et alioquin plena tumultu per Italiam et in Urbe erant omnia. Veterani deduci lecta in oppida[e] pinguesque agros postulabant: eratque facta his promissio, pulcherrimis ad hanc divisionem destinatis civitatibus. At illæ aut per universam Italiam distribui petebant colonos, aut saltem sortibus rem committi, ne ipsæ ad injuriam essent eximiæ, sed æquo cum ceteris Italis jure uterentur. Pretium etiam ex ærario repræsentari poscebant possessoribus. Appian.

8. Hæc cum viri juvenesque, sed et matronæ cum parvis liberis in Urbem advectæ flebili voce passim testarentur, 'quid igitur peccassent,' rogitantes, 'cur homines Itali laribus ac focis, tanquam bello victi, pellerentur?' accensa dolore plebes valde movebatur, præsertim cum appareret hoc agi, ut his velut compedibus constricta respublica, nunquam deinceps posset ad libertatem recuperandam consurgere. Cæsar ad hæc nullam reddere rationem, præterquam necessitatis, poterat: 'adeo se parcos in promittendo fuisse, ut ne sic quidem satisfieri veteranis posset.' Neque falso hæc commemorabat, in eas coactus angustias, ut neque militum, neque Italorum gratiam teneret. Sueton. Aug. 13. Dio.

9. Insolens enim et præferox multitudo, cum se minime pro spe meritorum tractari putaret, non contenta acceptis agris, transcendebat limites vicinorumque fundos invadebat; noto Virgilii vatum maximi periculo, quod tamen majori ejus fortunæ viam fecit, ut in amicitia Cæsaris per Mæcenatem collocaretur. Nec vi contra tendere Cæsari licebat. Frustra enim disciplinam ab his requiras, quos licentiæ injuriæque assuefeceris: neque pecunia satis placabantur, quam ex templis Cæsar sumebat mutuam, quin quanto plura accipiebant, tanto plura desiderarent. Appian. Sueton. Appian. Virgil. Eclog. 1. et ibi Servius. Appian.

10. In hoc eum statu rerum L. Antonius cum Fulvia,

[e] *Lecta in oppida*] Selecta ob divitias et agrorum bonitatem. Appianus τὰς πόλεις ᾔτουν, αἳ αὐτοῖς ἀριστίνδην ἦσαν ἐπειλεγμέναι. Prius legebatur *tecta*. Crev.

Digitized by Google

et Manio, qui res absentis Marci procurabat, adoriri statuerant; 'in communi munere parem utriusque imperatoris gratiam esse debere' dictitantes. 'Expectandum igitur, donec et Antonius advenisset.' Sed id quidem fieri propter festinationem militum nullo pacto poterat. Tum eo descenderunt, 'ut igitur Cæsar suos milites, ipsi Antonianos deducerent:' et pacta cum Antonio obtendente Cæsare, Fulviam cum parvis liberis supplicare veteranis jusserunt, invidiose querendo, 'fraudari patrem horum, imperatorem suum, debita gloria, simul occasione referendæ suis militibus gratiæ.' Lucius etiam, ut fidem faceret omnia se fratris causa moliri, Pietatis cognomentum assumsit, quod hodieque in nummis ejus visitur.

Dio.

Appian. Plut. Anton. Dio.

11. Erat tum permagna Marci auctoritas, et propter valetudinem Cæsaris, victoria Philippensis uni ascribebatur. Quo studiosius docere Cæsar, 'convenire sibi cum Marco: Fulviam et Lucium contra sententiam mariti et fratris, propriæ potentiæ cupiditate res novas quærere.' Postremo tamen, quanquam contra pacta sibi hanc injuriam fieri sciebat, cessit, Antonianosque ab his deduci in colonias sivit. At hi, ne beneficiis in suos vincere Cæsar videretur, plus etiam indulserunt militibus. Sed omnium querelæ in Cæsarem incumbebant: Antonium fama clementiæ tuebatur, et, quod inter præsentia mala semper tolerabilius existimatur quicquid abest. Neque vero parum intelligebat Cæsar, quid fieret; aut divisiones agrorum, quanquam faceret ipse, probabat. Nec differre præmia milites patiebantur, nullo magis tempore necessarii, propter Sextum et Cassianos duces, qui, mari præcluso, famem Urbi et Italiæ minabantur. His ad animum revocatis, mutare sententiam Fulvia et L. Antonius cœperunt: et omissis coloniis adversæ parti se tradere. Nam et eorum qui pellebantur agris, majorem esse numerum sciebant, et ex justo dolore judicabant acriorem impetum fore. Hoc præsidio animati Itali, cum eadem sentire M. Antonium existimarent, spernere Cæsaris imperium cœperunt, et adversus veteranos sua bona vi tueri.

Appian.

Tac. I. Ann. 10. Appian. et Dio.

Liv. Epit. Dio.

Digitized by Google

12. Callidum erat Fulviæ consilium, nec effugere Cæsar poterat, quin invidia ex æquo omnium oneraretur. Nam et illius veteranis persuadebat Antonius, 'nihil opus esse dividendis agris: ex hostium judicatorum facultatibus præmia persolvi militibus posse:' simul quantum æris inde redactum esset, quantum adhuc redigi posset, augentes omnia, verisque miscentes falsa, computabant. Quod si ne hæc quidem sufficerent, ingentem ostendebant cumulum ex Asiatica præda. His artibus Cæsar a possessoribus et veteranis, tanquam utrisque periculorum et laborum auctor, vituperabatur: Antoniani in oculis ac pretio erant, qui neque spoliabant alteros, et alteris cumulatim præmia præstituri videbantur.

13. Dubia fiebant adolescenti tempora, tot in unum concurrentibus difficultatibus, ut cujuslibet veterani imperatoris adultam jam et auctoritatem et prudentiam oppressuræ viderentur. Mare Siculum Pompeius obtinebat: Cn. Domitius Ahenobarbus, semetipso contentus auctore, cum ad Pompeium se Murcus applicaret, ut paulo post referemus, classem olim commissam augebat, Ionium obtinens: Italiam infrequentia cultorum propter continua bella, et recens hæc agrorum divisio ad sterilitatem redegerat. Inde fames invasit Urbem, et una cum ceteris incommodis afflixit sane graviter. Nam furtis rapinisque expositæ erant tenuiorum domus, et sub invidia militum, a quibusvis perditis hominibus impune maleficia patrabantur.

Vell. II. 72. Sueton. Ner. c. 3. Appian. Dio. Appian. Dio. Appian.

14. Accedebat, quod perpetua intercedebat veteranis cum possessoribus pugna: neque humiliores tantum offendebantur; ad senatores etiam injuriæ pervenerunt. His enim sua salva retinere cupientibus, durius respondebat Cæsar, 'unde igitur satisfiet veteranis?' At hoc perinIquum illis videbatur, de suis possessionibus præmia militibus dari, cum neque delectuum, neque promissorum auctores patres fuissent. Idcirco, ut in re ancipiti, cum in universum statui nihil posset, subinde huc illuc inclinandum Cæsari fuit; eoque facto plus odii utrimque illi, quam gratiæ partum. Quoties enim senatori favebat, quod præter æquum huic tribueret nihil, jus potius debitum

Dio.

Digitized by Google

reddere, quam tribuere beneficium videbatur: at miles sua sibi tolli interpretabatur, si promissa tardius aut angustius expectatione sua præstarentur. Quod si militis adjuvabat aviditatem, neque hic debere putabat gratiam, promissum auferens; et senator se spoliari ne tacitus quidem dolebat. Plane videbat Cæsar hanc esse conditionem imperandi, ut armis opprimi quidem exscindique quidvis posset; benevolentia non nisi beneficiis comparari. Ergo licet invitus eo deflexit, ut senatorum agris omnino abstineret, prætereaque dotalibus mulierum: et ad levandam pauperum inopiam relinqueret etiam, quotquot minores erant eo modo, qui promissus viritim militi fuerat.

15. Hoc consilium eos certe induxit quibus proderat, ut honestius de Cæsare sentirent: sed veteranos exacerbavit immensum, ea cupiditate homines, ut sibi ademtum
Liv. Epit. crederent quicquid cuiquam relinqueretur. Inde graves sæpe motus, et in ipsum intentatæ periculorum minæ.
Appian. et Sueton. Aug. 14. Certe cum in theatro militem forte sedentem in quatuordecim excitari jussisset; exeuntem circumstetit turba, commilitonem ab eo repetens, quem excruciatum perisse malevoli sparserant. Et ægre leniti cum ille incolumis comparuisset, e carcere productum contendebant: et irascebantur neganti, proditorem appellitantes, et in gratiam Cæsaris falsa referentem. Eo jam ira processerat, ut verum
Dio. id factum esse, quam sibi deesse causam occidendi imperatoris, mallent.

Appian. 16. Neque modestior in Campo quam in theatro miles, cum ad divisionem agrorum opperiri jussum tardius Cæsar
Dio. accederet, tumultuari cœpit: monentemque Nonium quen-
Appian. dam centurionem, 'valetudini potius imperatoris hanc esse moram ascribendam, quam contemtui militum,' pro adultore, et mancipio Cæsaris, proscindere conviciis, mox aucta inter jurgium ira, petere saxis cœperunt. Neque aut innocentia sua homini, aut fuga præsidio fuit, cum se in amnem conjecisset, quin extractus ab aquis necatusque, loco, ubi transeundum erat venienti Cæsari abjiceretur. Igitur illum amici monere, testari, ne se offerat sævientibus. At eo res erat perducta, ut constantia retinendum

Digitized by Google

jus esset, aut plura deinceps atque atrociora timenda, ubi licentia militaris imperatoris dubitatione alta plus virium acquisisset.

17. Prudens fuisse consilium eventus etiam docuit. Quippe conspectu ejus ad reverentiam moti, facinoris invidiam transtulerunt in paucos. Ille leniter increpans hominum ferociam, qui ne sibi quidem ipsi possent parcere, divisit agros, et præmia non meritis modo, sed etiam quibusdam aliis dedit. Indulsit etiam, ut in bello interfectorum patribus aut liberis, qui debiti illis fuerant, agri tribuerentur. Ergo vulgus militum, ut est ad omnes affectus natura sua mobile, juvenis animum liberalitatemque admirans, conquiri jussit ad supplicium qui Nonium occidissent. At Cæsar tempore bene usus, 'se quidem non ignorare' dixit 'auctores facinoris, sed pœnitentia contentum pœnam remittere.' Tum vero conclamatum est ab omnibus, laudesque et grates certatim insonuerunt. Sed neque hic malorum finis, turbato semel[1] concordiæ vinculo. Nec enim pax et quies consistere cum injustitia potest. Igitur quibus causis favere miles Cæsari, iisdem plebs irasci cœpit: passimque in Urbe et per Italiam pugnæ cædesque factæ; milite superiore armorum præsidio et peritia; plebem defendente numero, et ædificiis, unde spargebat missilia. Sed his faces subdente veterano plura passim incendia extiterant.

Dio. Appian. Dio.

18. His malis compulsus adolescens, et quod missi in Hispaniam milites, Placentiæ pecuniis per vim extortis, transitu Alpium a Caleno et Ventidio prohibebantur; conditiones offerebat Antonio et Fulviæ, et rem per se frustra sæpe tentatam, veteranis commiserat. Sed quanto intentius pax a Cæsare quærebatur, tanto magis bellum placebat Antonianis. L. Manius, Cæsarem perosus, Fulviam in bellum muliebri æmulatione stimulabat,[f] 'Anto-

Appian. et Plut. Anton.

1 *Simul* edd. ante Crev.

[f] *L. Manius .... Fulviam in bellum muliebri æmulatione stimulabat*] Urebat tacitam Fulviæ mentem alius quoque dolor, si fides habenda est lascivo et obscœnæ nequitiæ epigrammati, quod tanquam ab ipso Octaviano conditum recitat Martialis, XI. 20. Nempe Octavianus ab ea appetitus improbam muliere spreverat. *Crev.*

Digitized by Google

nium' dictitans, 'nisi turbatis rebus in Italiam retrahatur, totum Cleopatra fore.' Jam enim de his amoribus inaudiri cœperat. Ideo Fulvia, cuncta potius ruere cupiens, quam hunc dolorem perferre, L. Antonii vanum alias et malignum ingenium, parque vitiis fratris, virtutum ejus expers, potenter impulit, ut eorum, quibus ademti erant agri, causa palam suscipienda sic alliceret voluntates, ut magnus mox ex eo numero exercitus cogeretur.

Flor. IV. 5. Vell. II. 74. Liv. Epit. Dio. Appian. Vell.

Appian.

19. Sed interim reliquas colonias deducentem Cæsarem Antonius cum fratris liberis sequi statuit, ne solus apud armatos conspectus ille, vim omnem in se traheret. Sed mox cum iisdem dubium vero an simulato metu profugus, Antonianorum obiit colonias, præsidium quærens. Sibi enim et pueris necem paratam a Cæsare fuisse criminabatur, per equitatum ejus: quem Cæsar adversus Pompeianorum incursiones in Bruttios missum excusabat. Probavitque causam ducibus Antonianorum, et his conditionibus sublata est contentio Teani: 'Ut liceat per triumviros, more patrio consulibus administrare rempublicam: agri ne cui, præterquam his qui bello Philippensi navassent operam, dividerentur: pecunia redacta redigendaque ex bonis hostium, ex æquo; veterani quoque Antoniani per Italiam æquis portionibus distribuerentur in colonias: neutris delectuum in Italia agendorum jus esset: duæ legiones Antonianæ Cæsari contra Sextum militarent: Cæsaris militibus transitus Alpium pateret; nec iidem ab Asinio Pollione Hispaniis excluderentur: Lucius horum pactorum fiducia dimitteret custodiam, remque publicam sine metu et suspicione capesseret.' Ex tot legibus duæ tantum postremæ ratæ fuerunt: Salvidienus cum exercitu Cæsaris Alpes invitis custodibus perrupit.[s] Cetera cum differrentur, Lucius et Fulvia

[s] *Salvidienus . . . Alpes invitis custodibus perrupit*] Si, invitis custodibus ab Ventidio et Caleno appositis, Salvidienus exercitum trajecit Alpes, profecto non ex fœderis conditione. Itaque falsum erit quod modo dictum est, duas postremas fœderis conditiones ratas fuisse. Revera hic interpretem Appiani sequitur auctorem Freinshemius, non Appianum ipsum, cujus verba de Salvidieni transitu corrupta sunt. Aliud omnino voluit Appianus: sed ex conjectura verba ejus emendare haud facile est. *Crev.*

Digitized by Google

Præneste secesserunt; ille Cæsarem timere dicens, tri- Dio. Vell.
umvirali satellitio armatum, cum inermis ipse esset; hæc Appian.
Lepidum liberis suis insidiantem; hujus enim nomen tum prætexere, quam Cæsaris maluerat.

20. Angebatur his rebus Cæsar haud mediocriter, ne- Dio.
gotium habens cum hominibus, quos nec opprimere armis,
nec placare per amicos posset. Idcirco gratanter accepit, Appian.
utriusque exercitus primores conjurasse, 'daturos operam,
uti lis imperatorum ex æquo et bono dirimeretur; coactu-
rosque eum qui stare judicio detrectasset:' et ex iis ipsis Dio.
legatos ad Lucium de pace misit, futurum sperans, quod
accidit, ut insolentiam eorum odisset, sperneret vilitatem.
Per hæc ad veteranos redintegrata gratia, senatum etiam Appian.
populumque Romanum adversum Lucio reddidit, per eum
stare dictitans,[2] quominus pax et securitas cunctis redde-
retur. Igitur concursus senatorum aliorumque factus ex Dio.
Urbe est, Lucium Fulviamque orantium, 'desinerent ali- Appian.
quando irarum et contentionis, patriamque tot malis afflic-
tam, refoveri concordia paterentur.'

21. Et videbatur Lucius, tum iis quæ dicerentur, tum auctoritate dicentium commoveri: Manii asperius responsum fuit: 'Longe disparem duorum imperatorum, ut animum, ita conditionem esse. Antonium nihil aliud nisi ab externis gentibus regibusque pecuniam ad communes usus cogere: Cæsarem exercitus et opportuna Italiæ sibi mancipare beneficiis. Sed et Galliam, quæ data prius Antonio fuerit, in fraudem ejus liberari; et pro civitatibus octodecim universam fere Italiam in colonias veteranorum concedere. Neque tantum duodetriginta legionibus, quæ bello interfuissent, sed aliis præterea sex dividi agros. Pecuniam auferri e fanis, Pompeiani belli prætextu, quod tamen in tanta Urbis fame nondum apparetur: revera militibus dari, ut adversus Antonium emantur. Ab eodem animo bona proscriptorum ita vendi, ut donari potius appareat. Denique talia multa fieri, quæ, si serio cupiat pacem Cæsar, defendenda sint ei prius, nihilque deinceps agendum, nisi de M. Antonii sententia.' Cogebatur in

2 *Putans* edd. ante Crev.

Digitized by Google

ordinem Cæsar, ut nihil deinceps agere pro potestate posset. Igitur ille 'pacta cum Marco' testatus, 'quæ utrique summum imperium, neque rationibus reddendis obnoxium, in parte sibi assignata dabant, alterumque rata habere alterius acta jubebant,' iterum ad veteranos se applicuit: bellumque adversum se instrui testatus, ipse quoque se parare cœpit.

22. Ea res audita duas legiones Antonianas, quæ apud Anconam stativa habebant, ad Siculum bellum ducendæ, commovit, ut pro pari in utrumque imperatorem affectu, legatos mitterent Romam, rogatum utrasque partes, 'pacem mutuo colerent.' Responsum est a Cæsare antiquum illud, 'sibi pacem esse cum Marco, sed a Lucio se impugnari.' Igitur hi, re cum ceteris veteranis in
Dio. Capitolio communicata, (magna enim eorum multitudo Romam, quasi cum senatu ac populo de præsentibus consilium initura, venerat,) pacta Cæsaris et Antonii afferri recitarique jusserunt. Probatisque his, uter eorum pactis non stetisse diceretur, ea de re suscepturos arbitrium professi, decreta sua retulerunt in tabulas, asservarique jusserunt a Vestalibus.

Appian. et Dio. 23. Inde ex omnibus delectos ad Lucium miserunt postulatum, 'uti judicio militum controversias disceptandas traderet; aut si nollet, quid ipsi possent experiretur.' Lucio non recusante, illi Fulviæque dixerunt diem ad quem adessent, uti et Cæsarem comparere jusserant, Ga-
Appian. biis medio ferme inter Romam et Præneste spatio. Prior præsto fuit Cæsar, equitibusque emissis, ne quæ forte collocatæ insidiæ forent, exploravit. Hi, cum incidissent in Antonianos, manu conserta quosdam occiderunt. Retro-
Dio. cessit ergo Lucius, periculum, ut aiebat, metuens: neque
Appian. postea voluit accedere, cum tribuni præfectique exerci-
Dio. tuum deducturos se illum profiterentur. Vehementer ea contumacia Cæsari profuit: et, cum irridere judicium Lucius et Fulvia dicerentur, senatum caligatum appellantes, adeo accensi sunt ira veterani, ut Cæsaris causam amplexi, ab illis ortam injuriam, ibique consistere arbitrarentur. Pluribus deinde consultationibus cum Cæsare initis, bellum instruere cœperunt serio, pecunia undique

Digitized by Google

etiam ex ornamentis templorum conflata, non per Italiam modo, sed etiam per Galliam, quam Togatæ nomine et Alpibus divisam, Italiæ nuper contribuerant, ne seorsim habita daret ansam potentibus, per speciem ejus obtinendæ provinciæ, legiones intra Italiam habendi.

24. Neque segnius ab altera parte arma simul atque convicia insonuerunt, amarulentis utrimque dictis se invicem petentium ducum. L. Antonius, cum adipisceretur consulatum, sex legiones habuerat. Hæ tum quoque secutæ sunt eum, cum aliis Marci fratris undecim, quarum curam Calenus agebat. Cæsari quatuor legiones erant Capuæ, cum prætoriis cohortibus: sex adducebat ex Hispania Salvidienus. Lucio pecuniæ suppetebant ex pacatis Marci provinciis: Cæsar, uti diximus, e fanis sumebat mutuam, e Capitolio præcipue, deinde ex celebrioribus delubris, Antiano, Lanuvino, Nemorensi, Tiburtino. Appian.

25. Inter hos Italiæ motus, ne vicina quidem satis quieta erant. Pompeius, aucta quotidie potentia, cum et proscripti, et veteres agris ejecti coloni frequentes ad eum proficiscerentur, haud injuria timebatur: præsertim postquam Statius Murcus, cum omni sua classe ad illum se conferens, duas legiones cum sagittariis quingentis, pecuniasque multas, et naves octoginta adduxerat; aliasque insuper revocabat e Cephallenia. Neque desunt, qui tum opportunum tempus invadendæ Italiæ prætermissum ei putent, oppressæ fame, et ab ipso expectantis remedium, dum Perusina contentione diversarum partium duces distrahuntur. Sed et Ahenobarbus, sitos ad Ionium mare triumviris obedientium agros vastare solitus, Brundisinis intra muros compulsis, triremes Cæsaris cremarat, aut abduxerat. Igitur adversus hunc una legio mittenda Cæsari fuit, alieno sane tempore; cum interim initium belli factum esset, pluribusque locis varia fortuna concursum. Sic autem comparatæ partes erant, ut, quibus placebant novæ coloniæ, Cæsarem sequerentur; populi, quorum agri in discrimen venerant, se conjungerent Antonio. Vell. II. 72. Appian. Vell. Appian. Liv. Epit. Appian.

26. Cum in eo res essent, vocato senatu Cæsar, atque etiam equitibus Romanis adhibitis, 'Quantum,' inquit,

Digitized by Google

'temerariæ fiduciæ Lucio ceterisque accesserit ex lenitate mea, non sum nescius, quod patriæ amor ac quietis erat, imbecillitatem et metum interpretantibus. Ego vero et exercitum validum habeo, succinctus tum veteranis, quorum præmia intempestive intervertuntur, tum meis legionibus. Cetera quoque firma sunt omnia: neque dudum abfuit quicquam, quod ad bellum gerendum pertineret, præter voluntatem. Nec enim me delectat, si qua supersedere liceat, civilia bella gerere, et reliquo Romano sanguine ad mutuam perniciem abuti; præsertim ejusmodi bella, quæ non ex Macedonia aut Thracia audiantur, sed quorum sedes futura sit Italia, multis afficienda miseriis, etiam si numerus cadentium in rationem non veniat. Hæc, hæc sunt, quæ me pridem insolentiam pessimorum hominum opprimere gestientem continent ac retardant. Quod enim ad Marcum attinet, nunc etiam vos testor, nec de illo me queri, nec commisisse cur ille de me queratur. Et hæc quidem a vobis Lucium, quique cum eo sunt, edoceri, publicæ vestræque rei vehementer interest. Quod si frustra susceptus hic labor erit, et insanire Lucius perget, tum vero ostendam homini, aliquando mihi propositum, nunquam vires ad defendendam dignitatem meam, propulsandasque injurias, defuisse. Atque horum omnium vos mihi testes, et apud vosmetipsos, et apud Marcum eritis.'

27. At illi rursus Præneste proficiscuntur, pacem quærentes irritam. Quippe Lucius, 'serum id esse' respondit, 'postquam ventum ad manus sit: fraudemque hanc esse Cæsaris, alia præferentis verbo, cum rebus ipsis Marcum impugnet, legione etiam Brundisium missa ad arcendum eum aditu Italiæ.' Manius etiam literas ostendebat Marci, incertum an fictas, quibus dignitatem suam defendi jubebat vel armis. Senatusque legatis, 'quis ergo dignitatem ejus læderet,' quærentibus, offerentibusque judices, alia quædam Manius objecit, donec infecta re reditum. Ne renuntiata quidem Cæsari, pudore, ut creditur, irriti incepti, legatio est.

Liv. Epit. Dio. Appian.

28. Idcirco Cæsar, Lepido cum duabus legionibus ad tutelam Urbis relicto, contendit Albam, ubi duæ legiones

Digitized by Google

Lucii, tribunis expulsis, tumultuabantur. Sed ubi se præventum a Lucio, militesque donis atque promissis placatos accepit; in Sabinos profectus, præsidium, quod apud Nursiam Antoniani collocaverant, dejecit loco; ne oppido potiretur, Tisieni Galli virtute depulsus, et fama venientis cum exercitu C. Furnii. Ad hunc excipiendum profectus in Umbriam, postremumque aggressus agmen, Furnium in tumulum quendam, atque inde noctu Sentiam profugere coëgit: nec statim insecutus insidiarum metu, postquam illuxit adductis copiis, et oppidum, et castra Furnii oppido conjuncta obsedit. Dio. Appian. et Dio.

29. Inter hæc Lucius, re cum nobilibus composita, quorum magna multitudo ad partes ejus se transtulerat, tribus agminibus milites noctu Romam præmittit: ipse cum robore copiarum, gladiatoribusque, et equitatu subsequitur. Excivit is terror Lepidum, ut cum exercitu obviam iret. Sed ubi fusus est equitatus, qui præcurrerat, Lepidus cum legionibus intra mœnia se recepit. Antonio Nonius ad custodiam portæ relictus aditum dedit; seque, et quos secum habebat milites, ei tradidit. Lepidus fuga evasit ad Cæsarem. Neque præterea quisquam resistebat, etiam P. Servilio, qui consulis gerebat nomen, segniore ad pericula. Idcirco Lucius, ad concionem vocato populo, sic disseruit, ut Cæsarem atque Lepidum mox pœnas diceret daturos scelerum; fratrem vero suum, triumviratu abjurato, se pro consule gerentem, tyrannicam potestatem civili, et extraordinariam translatitia commutaturum. Ad hæc lætis astrepebat omnibus plebes, imperatoremque appellatum ad reliqua componenda ire jusserunt. Erat tum Antonius militari habitu, quomodo ante illum populi concionem habuerat nemo. Sed et senatusconsulto mandari sibi bellum jusserat, egressusque Roma, quacumque incederet, novas colligebat vires ex populis qui favebant Antonio, et opportuna oppida passim communiebat. Sed hæc agenti non modicus obex objectus est a M. Barbatio, quem quæstorem suum M. Antonius propter, nescio quam offensam, dimiserat. Id cum vulgus ignoraret, plerique hunc percontabantur, 'ecquo animo Antonius turbas Italicas acciperet?' ille Appian. Liv. Epit. et Dio. Appian. Dio. Appian. Dio. Appian.

Digitized by Google

respondebat 'mirifice hunc irasci, contra potentiæ socium et communes utriusque rationes arma moventibus.' Inde permulti, deserto Lucio, cujus acta displicere fratri existimabant, ad Cæsarem se contulerunt.

Dio. Appian.

30. Lucius in Galliam erat iturus, ut properantem ad Cæsaris castra Q. Salvidienum Rufum interciperet. Eundem Asinius Pollio, et P. Ventidius, Antoniani duces, cum suo quisque exercitu sequebantur. Idcirco M. Agrippa Salvidieno timens, ipse quoque promovit copias, ut ab Salvidieno in se retraheret Lucium; et vicissim, si ab hoc ipse urgeretur, a tergo Lucii Salvidienum haberet adjutorem. Res bene cessit: omissoque priore consilio, Lucius, cum utrimque se peti animadverteret, alio declinavit, cum Asinio et Ventidio conjuncturus copias: deinde sic quoque metuens ab hostibus, inter angustias hærentem invasuris, Perusiæ substitit, in urbe munita Ventidium atque Pollionem expectaturus. Hic eum legati Cæsaris Agrippa et Salvidienus obsederunt.

Vell. II. 74. Appian. Dio.

31. At Cæsar, simul Antonium Romæ esse cognoverat, ad Urbem festinavit, et, illo dudum egresso, citra certamen receptus, protinus ad insequendum exiit: nec adeptus hominem, qui jam Perusiæ mœnibus se clauserat, rediit Romam, ut eam accuratiore in posterum custodia firmaret. Discessus Cæsaris præter opinionem Sentinatibus exitio fuit, cum eo sublatum esse periculum credidissent. Sed Furnius abeuntem ab obsidione Cæsarem insecutus, interim advenienti Salvidieno spatium oppidi capiendi diripiendique dedit. Ne ædificiis quidem pepercit ira, injectoque igne Sentia concremata est. Nursinos tempestiva deditio præsentibus exemit malis: sed tumulus postea publice exstructus his qui cum Cæsare pugnantes oppetierant,[h] adjecto titulo, 'pro libertate occubuisse,' sic exacerbavit adolescentem, ut grandi pecunia mulctatos, quia pendere eam nequibant, urbe agroque omni exigeret.

Sueton. Aug. 12. Dio.

[h] *His qui cum Cæsare pugnantes oppetierant*] His qui ceciderant Mutinensi acie, si Suetonium audimus: quo ut inclinemus, facit et diligentissimi scriptoris potior multo quam Dionis auctoritas, et ipsius rei verisimilitudo. *Crev.*

Digitized by Google

32. His ita actis, cum Antonium duo jam exercitus obsiderent, cum tertio Cæsar accessit: propereque dimissis quaquaversum nuntiis, ne forte fax belli Lucius elaberetur, plures accitæ copiæ; aliæ Ventidio et Pollioni oppositæ. Hique facile cohibiti, quod neque magnopere bellum id probabant, nec a M. Antonio putabant probari. Super hæc orta ex æqualitate ducum æmulatio, quemadmodum solet, communi causæ attulit moram. Appian.

33. Sed nec Antonius sese, neque Fulvia deserebant, virilis spiritus mulier, et adeo non timida versari inter armatos, ut et ipsa gladio cincta, signum dare militibus, habere conciones consueverit. Sed hæc Præneste arcem belli fecerat, multis ad se pertractis ex senatu et equestri ordine; et cum his frequenter consultabat de præsentibus. Flor. IV. 5. Vell. II. 74. Dio. Vell. Dio.

At Lucius, priusquam circumvallaretur, emisso Manio, qui festinare Ventidium et Pollionem cogeret, et equitatu suo, (quatuor erant millia, Tisieno præfecto) qui Cæsaris amicos vexando, ab obsidione eum retraheret, crebris excursionibus opera hostium oppugnabat. Et cum Cæsar oppidum, propter colles quibus erat impositum, vallo septem millium[1] amplecteretur, et ad prohibendum ne quid importari posset, ad Tiberim usque longa brachia deduxisset; ipse vicissim in radice collis vallum fossamque obmoliebatur. Appian.

34. Inter hæc et Fulvia continuis ad Ventidium et Pollionem, sed et Ateium et Calenum literis, urgebat, 'ferrent opem obsessis; neque fratri causæque imperatoris sui deessent.' Sed et noviter paratum exercitum duce Munatio Planco misit; a quo legio Cæsaris, quæ forte Romam petebat, intercepta atque concisa est. Cæsar, ut hunc et reliquos qui moveri cœperant distringeret, relicta ad obsidionem Perusiæ parte copiarum, cum Agrippa his obviam profectus, effecit ut, priusquam conjungerentur itinere abrupto, Plancus Spoletium se reciperet, Ventidius et Pollio, Ravennam alter peteret, alter Ariminum. Idcirco Cæsar, oppositis qui hos morarentur, Perusiam

[1] *Septem millium*] Leucarum amplius duarum. *Crev.*

Digitized by Google

reversus, munitiones absolvit, fossis altitudine atque latitudine triginta pedum, turribusque ligneis mille quingentis, non minus diligenter adversus soluturos obsidionem, quam adversus obsessos institutis.

35. Dum ista diversis locis aguntur, crebræ Antonianorum eruptiones factæ, multo utrimque sanguine, dum miles Cæsaris missilibus potior, gladiatorum audacia cominus trucidatur. Semel etiam propinquum discrimen imperator adiit, dum circa muros sacrificat, repentina gladiatorum eruptione pæne oppressus. Sed ea res fiduciam magis quam metum peperit, ex haruspicum responso. Quod enim infelicia exta rapta ab obsessis fuerant, cuncta quæ sacrificanti tristia denuntiata essent, in eos recasura dicebantur, qui exta haberent. Jam etiam fames in oppido esse cœperat, adversus inexpectatam obsidionem minime provisis copiis. Eo acrius ipsa, quæ Kalendas Januarias antecessit, nocte tentata eruptio est, et ad portas operum vis facta, ut, his perruptis, auxilia, quæ multis locis se ostendebant, intromitterentur. Sed accurrente legione, quam in proximo statuerat Cæsar, ipsoque cum prætoriis [3] cohortibus, post vehemens certamen Antoniani retrocesserunt. Per eosdem dies etiam Romam affligente fame, cum in usum belli frumentum comparceretur, plebs jejuna, vi effractis domibus, quod erat inventum diripuit.

Sueton. Aug. 14. et 96.

Appian.

36. Eodem anno magnum, uti diximus, incrementum Sexti potentia hoc maxime modo cepit. Cassius Parmensis tribunus militum ad colligendas pecunias in Asia cum exercitu et classe relictus, audita morte Cassii, de Bruto non desperans, triginta Rhodiorum triremes delegerat, quas erat impleturus; exustis reliquis præter sacram omnibus, ne res novare Rhodii possent. Cum his igitur, et quas antea habuerat, evectus, non tamen occurrere ante finem Bruti potuit. Interea et Clodius, qui missus a Bruto Rhodum cum navibus tredecim fuerat, cum rebellantem insulam invenisset, educto inde Romano præsidio, quod erat trium millium armatorum, ad Cassium

Appian. Civ. v. init.

3 *Prænestinis* edd. ante Crev. Ex App. emend. Crev.

Digitized by Google

se contulit. Eodem et P. Turulius venit cum multis navibus, et magna vi pecuniarum, quas a Rhodiis, dum adhuc erant dicto audientes, exegerat.

37. Hoc exemplum secuti quotquot earundem partium tota Asia oberrabant, in unum convenerunt: et legionariorum, quanto poterant, numero imposito in naves, ex mancipiis aut nexis remiges parabant, itemque ex insulis, quas prætervehebantur. Sed et a Thaso nobiles aliquot cum M. Cicerone M. F. profecti sunt ad eos; brevique collecta est non contemnenda classis, et neque ducum nominibus, neque militum aut genere aut copia pœnitendus exercitus; præsertim cum etiam ex Creta Lepidus cum alia manu accessisset. Tum vero consensu ad Murcum et Ahenobarbum, Ionium cum validis classibus obtinentes, navigari placuit.

38. Ibi consilio habito, quemadmodum deinceps sustinendæ partes essent, diversæ sententiæ fuerunt, nisi quod constabat triumvirorum aspernandam amicitiam esse. Statius Murcus, defleto Cassii Brutique casu, 'spem tamen adhuc superesse' dicebat 'in reliquis viribus, modo caput nactæ idoneum forent. Consilium enim,' inquit, 'atque imperium pluris quam arma sunt, quam pecunia, et militum manus. Horum vis quantalibet, nisi sapientia et auctoritate ducis contineatur, dissolvetur facile, aut in se ruet. Neque plurium æqua potestate res geri commode potest. In bello rapiendæ sunt occasiones: quæ sæpe non inter dissentientes modo, sed etiam inter concordes, dum communicandis consiliis tempus abit, amittuntur. Sed neque mihi summam rerum deposco, neque cuiquam vestrum aut poscendi aut dandi auctor ero: Sex. Pompeium intueor, quem miro consilio rebus incertis unicum præsidium in propinquo Fortuna collocavit.

39. 'Nec enim alium ei præferre, etiamsi copia plurium esset, debemus, pro legibus dimicantes et libertate, quemadmodum semper tulimus præ nobis. Hic autem solus jam toto imperio legitimam potestatem obtinet, maris præfectura olim accepta ab senatu, priusquam ille scelere ac crudelitate triumvirali opprimeretur. Nec igitur dubi-

Digitized by Google

tandum est, quin, amotis Cassio et Bruto populi Romani imperatoribus, huic reliquæ res spesque nostræ committantur. Præsertim cum non aliud jus suadeat, aliud cogat necessitas; sed et illud et hæc ex æquo Pompeium nobis commendent, et Siciliam. Quis enim hominum, aut quæ provinciarum aptior esse præsenti necessitati, aut opportunior potest? Magni Pompeii filius, amans patriæ juvenis, in malis et tolerandis et superandis exercitus, animo, felicitate, auctoritate patri, sed nondum vertentem fortunam experto simillimus, proximam et quasi suburbanam provinciam tenet; qua nihil esse potest, tam ad excipiendos qui vim hostium fugiunt, quam ad infestandos qui alunt, commodius.

Flor. II. 2. 15.

40. 'Nec obscura sunt aut ambigua quæ dicimus: plurimorum incolumitate, et ex acerbissimis discriminibus repente velut divinitus oblata salute, satis superque confirmantur. Quot ad eum proscriptione recenti, quot postea confugerunt? Hodie quoque ad eum confluere non desinunt, quicumque aut meliorem optant reipublicæ statum, aut tantummodo militiæ lucrique cupidi, tamen justiore sub duce mereri malunt. Sed et prudentia rerumque usu tantum valet, ut modicis ab initiis progressus ad hanc potentiam sit, qua triumvirorum apertum hostem et profitetur, et defendit: atque hunc Cæsarem ejusque legatos nihil non conantes fortiter a Sicilia repulisse non contentus, in ipsa quoque Italia multis affecit incommodis. Cum hoc si conjungamus has vires, ecquæ esse dubitatio poterit, quin tanta accessione auctus, non modo se nosque tueri, sed etiam ab injusta triumvirorum dominatione vindicatam recuperare rempublicam possit?'

Appian.

41. Contra hæc Domitius Ahenobarbus, nobilis et sibi fidens juvenis, hunc in modum disseruit: 'Diis immortalibus habeo agoque gratias, qui nondum ita nos deseruerunt, ut vel animi vel consilii egeremus. Tanta clade percussi, tamen nonnisi de bello deliberamus. Una modo consultatio est, quo duce propositum teneamus. Atque utinam fata nostris imperatoribus pepercissent! Utrivis eorum potui dicto esse audiens, et in ejus virtute atque

Digitized by Google

providentia acquiescere. Sed, his sublatis, novi atque inexperti ducis subire imperium neque facile est generosis mentibus; neque eo properandum est antequam necessitate cogamur, quæ non reliquit consilio locum. Enimvero in eo adhuc res sunt, ut habere socium amicumque Pompeium, quam imperatorem malis. Nec vero ad unius imperium omnino confugi opus est. Duos paulo ante habuimus imperatores, quibus multum confidebamus; et, si victos forte regeras, etiam a duobus victi sunt. Quid vetat te quoque, Murce, commissam tibi classem retinere, et, qua paulo ante concordia, mecum et cum ceteris consilia tractare graviorum conatuum?

42. 'Cur enim Sexto tantum deferimus, ut, cui pares haberi possumus, ejus potestati ultro nos subjiciamus? Cum sint inter nos multi, qui neque nobilitate concedant, neque annis aut experientia. Jam vero mores adolescentis ii sunt, quos etiam qui vituperare nolit, omnes promiscue minime laudet probetque. Calamitas paterna depredendit ingenii haud mali hominem, priusquam formari ad cultum magnæ fortunæ ingenuis studiis posset. Unde et ferocior justo esse dicitur, et fidei negligentior. Certe Pompeii Bithynici fatum docere nos debuisset, ut essemus minus in credendo faciles. Interfectum eum Sexti jussu constat: quam justis causis adductus eum interfecerit, discere nondum potui. Verum est multos ad eum profugisse viros illustres. Cujus igitur opera ita utitur, ut non amplius tribuat libertis servisque suis? Jam et ob res non amplissimas sumere nimios spiritus, seque incredibiliter efferre dicitur. Igitur prospera vobis dominum imponent, adversa ferenda ex æquo erunt.

Vell. II. 73. Supra, CXXIII. 5.

43. 'Tu vero, L. Stati, vosque ceteri, quibus eadem mens est, quam in conditionem vos rempublicam demittatis, videritis. Ego, donec mihi consulere potero, nec Pompeii, nec cujusquam alterius potestati dedere me constitui. Cassio Brutoque, propinqua cognatione junctis, quibus imperium decreverat senatus, haud invitus parui. Sexto amico potius, quam imperatore utar. Nec ideo minus rem communem bene curabimus, cum nostra concordia, duobus potentissimis vinculis, amore libertatis, et metu

Sueton. Ner. 3.

Digitized by Google

dominorum, astricta, neque lentescere per negligentiam alterius, neque patere suspicionibus possit.' Finis consultationis iste fuit, ut in sua sententia perstantibus utrisque, Murcus, et qui cum eo sentiebant, Pompeium peterent; Domitius cum ceteris pristinam ad Ionium mare stationem retineret. Atque hic et auxit postea classem suam, et longinquiores etiam provincias, oblatis forte occasionibus, adiit.

Vell. II. 72. Appian. Sueton. Dio.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXVI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Interea M. Antonius, qui post victoriam in Thracia substiterat, ad cogendas undique pecunias, in Græciam cum valido exercitu venit. Neque gravis aut odiosus principio civitatibus fuit, ab acerbitate omni temperans, ludisque eorum et eruditorum colloquiis et cærimoniis Deorum deditus. Idcirco vulgo 'Græcorum studiosus,' sed inprimis 'amator Atheniensium' vocari gaudebat, multis in eam civitatem collatis beneficiis. Nam deinde et Æginam, et Ceam, et Sciathum, et Peparethum, aliasque insulas reddidit: et Megarenses Atheniensium derisit æmulos. Rogatus enim ab his, uti curiam suam spectaret, ubi spectavit, quærentibus qualisnam ea videretur, 'Angusta,' inquit, 'et ruinosa.' Ergo et Athenienses solita vanitate retulerunt ei gratiam, initiando mysteriis suis, honorando statuis, cum injuria veterum regum, a quibus majores eorum insigniter adjuti cultique fuerant. Nam et Attali Eumenisque colossos Antoni nomine inscripserunt.

Vell. II. 74. Plut. Anton. Appian. Civ. v. Plut. Infra, CXXXII. 20.

2. Dimensus deinde Pythii fanum, de cujus instauratione ad senatum perscripserat, Lucioque Censorino Græciæ præposito, in Asiam transiit, jam cessante periculo remissior, et ad prioris vitæ mollitiem revolutus. Igitur

Plut.

Digitized by Google

Græci Asiatici, moribus his amicum genus, Ephesum venientem curatissima pompa exceperunt. Quippe viri puerique satyrorum ac Panum habitu, fœminæ Bacchas simulantes, deduxerunt eum, urbe tota personante tibiis et fistulis, passimque thyrsis atque hedera obtutui se ingerentibus. Sic incedens ille 'Liber Pater' salutabatur, 'benigni atque blandi' addito cognomento. Prima cura fuit reddendi Dianæ sacrificii. Quo magnifice peracto, supplices Deæ, qui ad id asylum e victis partibus confugerant, dimisit incolumes, duobus exceptis, quorum alter cædis Cæsarianæ fuerat conscius, alter Dolabellam Cassio prodiderat; vetusque spatium asyli duplicavit, partemque urbis adjecit.

Strabo, XIV. p. 641.

Appian.

3. Inde vocatis in consilium legatis, qui ex Asia Ephesum concurrerant, decem annorum tributa, quot Cassio ac Bruto intra biennium dederant, annua die pendenda imperavit. Mox deprecantibus allegantibusque necessitatem, qua coacti dedissent potentioribus omnia, hactenus remisit, ut novem annorum tributa annua bima die penderent. Regibus etiam et civitatibus liberis, ut quisque abundare videbatur, imperata est pecunia. Huic exigendæ præfecit quos voluit, ut interdum non tam acerbum videretur pendere omnino tributa, quam his hominibus pendere. Nam et citharœdum quendam Anaxenorem[1] Magnetem quatuor urbium exigendo tributo præposuit, militibus ad hunc usum datis. Plurimum enim huic generi hominum indulgebat: et quicquid deliciarum ullo machinamento corrumpendis moribus natum videri poterat, affectu maximo complectebatur. Ergo et Xuthus choraules, et histrio Metrodorus ejus amicitia nobilitati sunt; et coquus, ob unam cœnam scite paratam, bona civis cujusdam Magnetis accepit.

Strabo, XIV. p. 648.

Plut.

Appian.

4. Laudabiliorem multo liberalitatem mox obeundis provinciis exercuit, L. Cassium imperatoris fratrem, et alios earundem partium, exemplo clementiæ quod Ephesi ediderat, veniam petere ausos absolvens, et civitatum, quæ afflictæ fuerant ab adversariis, calamitatem sublevans.

1 Ita ex Strab. et Plut. edidit Crev. In edd. priorr. est *Alexanorem*.

Digitized by Google

Nam et Lycios immunes esse, Xanthumque instaurare jussit: et Rhodiis Andrum dedit, Tenumque cum Naxo et Myndo, quas tamen paulo post iterum ademit, quasi durius imperantibus. Transiens deinde per Phrygiam Mysiamque, et, tributis ubique gravibus impositis, in Bithyniam venit, provinciaque ab Apuleio, quem Brutus præfecerat, accepta, ipsum exemit culpæ, reditumque concessit. Appian. Civ. l. IV. p. 616.

5. Hyrcano Judæorum principi, suo et gentis nomine coronam auream mittenti, orantique ut a Cassio capti servitute eximerentur, clementer respondit, datis etiam ad Tyrios, Sidoniosque, et Antiochenos, et Aradios literis, ut ablata Judæis corpora, bona, loca restituerentur. Inde Gallogræcos et Cappadocas adiit, Planco demandata Asiæ cura,[a] pecunias ubique cogens. In Cappadocia et causam cognovit Ariarathis et Archelai Sisennæ, de regno contendentium: et plus apud eum Archelaus valuit, Glaphyræ matris adjutus gratia, quam formosam et parum pudicam Antonius adamabat. Joseph. Antiq. XIV. 22. Appian. Civ. V. Dio XLVIII. Appian. Martial. Epigr. XI. 20.

6. Hinc in Ciliciam transgressus, misso ad Cleopatram Dellio, adesse reginam, tanquam ad causam dicendam, jussit: favisse enim Cassio insimulabatur. At illa, moribus Antonii ex fama et Dellii expositione cognitis, qui mulieri forma et ingenio excellenti nihil ab isto timendum asseverabat; non tam ad purgandum objecta, quam subjiciendum sibi imperatorem se comparabat. Tandem, nec nisi plurimis illius et amicorum literis accita, Tarsum navigavit, ubi tum agens Antonius, liberam immunemque civitatem declarabat, edicto quoque proposito, uti Tarsenses cives, ubicumque servirent, dimitterentur. Tum quoque pro tribunali sedebat, cum adverso Cydno subvehi Cleopatram nuntiatum est: tantusque hominum ad spectandam eam concursus fuit, ut, dilapsa forensi turba, solus cum suis Antonius relinqueretur. Appian. et Plut. Plin. V. 27. Appian. Plut.

7. Neque enim vulgaris erat species. Inaurato navigio, velis purpureis expansis, vehebatur: argentei remi ad tibi-

[a] *Planco demandata Asiæ cura*] Vereor ut hic temporum ordo satis accurate servatus sit. Tunc enim temporis Plancus in Italia erat, quam non reliquit, nisi ut fugientem Fulviam comitaretur, ut memorabitur infra cap. 32. *Crev.*

Digitized by Google

arum cantum movebantur, fistulis etiam et citharis molle interstrepentibus. Illa sub tentorio, quod intextum auro erat, recubans, ornatu cultuque Venerem repræsentabat, astantibus utrimque pueris, ventulumque facientibus, Cupidinum habitu. Sed et ancillæ præstanti forma, quemadmodum Gratiæ et Nereides pinguntur amictæ, propter gubernaculum aut rudentes stabant. Quacumque inveheretur, ripæ suffitum odorumque fragrantia complebantur. Igitur, velut fascinatus præ delectatione animis, Venerem ad Bacchum pro salute totius Asiæ comessatum venire jactitabant.

8. Invitata ad cœnam ab Antonio, ipsum potius ad se jussit accedere: et paruit ille, ut comem se atque humanum ostenderet. Erant apparata omnia regio fastu: vasa auro gemmisque radiantia, nobilium artificum opera; purpureis aulæis, auro intexto, obducti parietes; triclinia duodecim cum lectis. His excepit Antonium et amicos, quotquot ei placuerat adducere. Sed Antonius nihil tam admiratus esse, quam frequentiam et dispositionem luminum,[2] dicitur, varias figuras magno artificio repræsentantium. Laudanti reginæ magnificentiam, illa subridens, 'Hæc,' inquit, 'omnia tibi dono, imperator, ut cras iterum mecum cœnes.' Tum vero sic instruxit convivium, ut hesterna præ his parva et vulgaria viderentur. Iterumque illi cetera omnia dedit; amicis autem ejus atque ducibus, lectos in quibus accubuerant, cum poculis aureis, quibus ministratum cuique fuerat. Discedentibus deinde pro dignitate cujusque partim lecticas cum lecticariis dedit dono, plerisque equos cum argenteis phaleris, pueros autem Æthiopas ad prælucendum omnibus. Tum vicissim excepit eam Antonius, superare nisus splendorem et elegantiam reginæ: sed utroque inferior, primus in cœnæ suæ sordes et rusticitatem dicteria jecit. Quarto die vicissim apud eam cœnante Antonio solum consternendum rosis ad altitudinem cubiti curavit; qui harum copiam suppeditassent, non jam nummis, sed talentis remunerans.

Athen. IV. 11.

Plut.

Athen.

Plut.

Athen.

2 *Quam hominum frequentiam, et dispositionem luminum* edd. ante Crev.

Digitized by Google

9. Igitur metu omni deposito, cum ob destitutas Cæsaris partes accusaretur, non magis excusavit sese, quam imputavit ultro quatuor legiones cum Allieno missas initio belli, classemque paratam, sed tempestatibus, et celeri Dolabellæ casu prohibitam egredi. 'Neque tamen semel iterumque cum atrocibus minis flagitanti Cassio misisse auxilia. Quin cum instructissima classe ipsam ad mare Ionium accessisse, non diligentia Murci deterritam, sed tempestatibus et classem dissipatam, et se in morbum conjectam, et interea Philippensi acie decretum esse.' Nec falso ista jactabantur. Sed plus apud lascivum hominis animum forma et veneres Cleopatræ, quam causa, valuerunt. Igitur ex rea statim amica, statim domina facta, non modo regnum Ægypti retinuit, sed in Antonio subegit orientem. Appian.

10. Erat enim non modo pulchritudine, sed magis etiam lepore quodam et elegantia singulari prædita: quam, quicquid ageret aut loqueretur, decerent omnia. Supererat mira ingenii vis et alacritas, etiam prioribus amoribus excitata et erudita; quia puellaribus adhuc annis, Cn. Pompeium adolescentem, quando, classis educendæ causa, profectus in Ægyptum fuit, et mox Cæsarem mancipaverat.[b] Accedebat et suavitas sermonum et eruditio, multarumque cognitio linguarum. Raris enim populis responsa per interpretes dabat. Cum Æthiopibus, Troglodytis, Hebræis, Arabibus, Syris, Medis, Persis, aliisque multis gentibus ipsa loqui poterat; cum ante ipsam reges Ægyptiam quoque linguam discere non sustinuissent, nonnulli ne Macedonicam quidem callerent. Plut.

11. His artibus brevi sic in potestate Antonium habuit, ut non his modo illiciis, sed etiam veneficiis captus dominusque crederetur. Nihil enim tam aut largitu detrimentosum, aut factu turpe erat, quod illa petens non impetraret. Paulo ante fratrem virumque suum, ætatis quintum decimum annum agentem, veneno sustulerat. Soror Arsinoë religione vitam tutabatur, Dianæ facta supplex, Joseph. Antiq. xv. 4. Dio. Joseph. Appian.

[b] *Cn. Pompeium adolescentem . . . mancipaverat*] Quin et prius quoque in eam conjecisse oculos ipsum Antonium, tunc cum, Gabinio duce, Ægyptum intravit, Appianus auctor est. *Crev.*

Digitized by Google

sive Ephesia illa, sive Leucopharyne Milesiorum fuit. Hanc igitur, jussu Cleopatræ percussoribus immissis, Antonius sustulit. Nec alia loca quæ tum sanctissima habebantur reveritus, Tyrios e templo Herculis extractum Serapionem Cleopatræ coëgit tradere, contra cujus voluntatem ille Cassio auxilium adduxerat: Aradios, adolescentem quendam, qui se Ptolemæum esse ferebat, majorem Cleopatræ fratrem, qui victus a Cæsare disparuerat. Sed et Megabyzum Ephesiæ Dianæ antistitem [3] [c] ad supplicium deposcebat, quod Arsinoën tanquam reginam hospitio excepisset. Sed Ephesii Cleopatræ supplicantes, ab ipsa salutem sacerdoti suo impetrarunt.

12. Inter hæc, continuato per Cavam Syriam, Palæstinam, Ituræos, aliosque Syrorum populos itinere, tyrannos passim e civitatibus sustulit: libertatem cum immunitate tribuit Laodicenis: variasque civitatum et regulorum lites composuit. Unde Judæis etiam principibus, Phasaëli et Herodis æmulis, facta spes, subverti fratres illos posse: quanquam nuper frustra eos accusassent, quo tempore veniens ex Europa Antonius Herodis obsequiis et pecunia sic delinitus est, ut, nec auditis delatoribus, rem integram in suum adventum rejiceret. Venerunt igitur centum ex primoribus Antiochiam; nec aliud effecerunt, quam ut ambo fratres tetrarchæ constituerentur, eisque sub Hyrcani nomine, cujus jam factus affinis erat Herodes, summa rerum Judaicarum permitteretur. Id cum ægerrime ferrent accusatores, ex eorum numero quindecim vinxit; ne occideret, Herodis precibus tribuens.

Joseph. Antiq. XIV. 22. et 23. et de B. Jud. I. 10.

13. Nec ideo Judæi quieverunt, quin alii mille Tyrum proficiscerentur, quo venisse Antonium audierant. At ille præfecto præsidii negotium dederat, ut importunos et molestos homines ulciscereturus. Grandem enim a fratribus summam acceperat, et erat in hos olim bene affectus propter hospitium quod ei cum patre eorum fuerat. Igitur

3 Carent edd. ante Crev. τῷ *antistitem*.

[c] *Megabyzum Ephesiæ Dianæ antistitem*] Megabyzus, sive Megalobyzus, commune erat omnium Dianæ Ephesiæ sacerdotum nomen, teste Strabone l. XIV. p. 641. *Crev.*

Digitized by Google

Herodes gnarus rei, cum ante urbem diversaretur, prodiit accusatoribus suis obviam, monuitque sibi parcerent. 'Si enim progrederentur, malum habituros.' At illi, contemto Herode, cum ad urbem procederent, obvios habuerunt armatos, a quibus interfecti sunt nonnulli, sauciati complures, reliqui conjecti in fugam mœsti abierunt domos. Mox Antonius eos etiam, quos habebat in vinculis, occidit, propterea quod a plebe Hierosolymitana Herodem conviciis exceptum esse cognoverat.

14. Interea, digressa in Ægyptum Cleopatra, M. Antonius, resumta paulisper imperatoris persona, propter Parthos, qui nunquam satis quieti, tum validius se commovere dicebantur, equites Palmyram misit, oppidi diripiendi gratia, quod sentire cum Parthis insimulabatur. Sed Palmyreni, corporibus, rerumque suarum pretiosioribus trans Euphratem trajectis, equitibus vacua ædificia reliquerunt; dispositis pro ripa sagittariis, quo genere plurimum valent, intercluso transitu. Hic conatus Antonii, et tyrannorum, quos ubique civitatibus Romanis expulerat, ad Parthos fuga, simulque gravissima populis imposita tributa, magnum attulisse momentum putantur, ut, citius quam timeretur, Parthicum bellum erumperet. Sed Antonius neque Fulviæ labores in Italia, neque provinciarum necessitates et pericula moratus, copiis in hyberna distributis, et Saxa Syriæ imposito, in Ægyptum profectus, totum se Cleopatræ et voluptatum turpitudini tradidit.

Appian. Dio. Plut. Appian. Plut. Dio. Appian.

15. Consulum deinde nomen (vis enim penes triumviros erat) Cn. Domitius M. F. Calvinus iterum, C. Asinius Pollio gesserunt: * hic adversus Cæsari, belloque Perusino immixtus. Sed pacta cum M. Antonio nondum audebat Cæsar violare: neque referre putabat, penes quem appellatio consulis esset, cum ipse tanto jam tempore consulem in obsidione habuisset. Jam asperior quotidie fames obsessos Perusiæ experiri omnia remedia coëgerat. Idcirco sociorum auxilia ultimis precibus obtestationibusque solicitantes, perfecerunt uti tres duces, qui repererant

Dio. Appian. p. 691.

* A. U. C. 712. A. C. 40.

Digitized by Google

interea conjungendi copias viam, repulsis qui prohibebant Cæsarianis, Perusiam contenderent. Sed Cæsar Agrippam et Salvidienum his occurrere cum validiore exercitu jussit. Quibuscum manus conserere non ausi, ne ab his et prioribus hostibus circumvenirentur, Fulginium occuparunt, passuum viginti millia[4 d] distans a Perusia castellum.

16. Ibi circumsessi ab Agrippa, de rebus suis coacto consilio deliberarunt. Pollio consul, assentiente Ventidio, perrumpendum censebat: postremo Plancus obtinuit, cautiora suadens, ne inter Agrippam et Cæsarem intercepti utrimque cæderentur. Lucius quique cum eo Perusiæ obsidebantur, cum ignium indicio adesse socios intellexissent, cessantibus ignibus a maxima spe ad ultimam desperationem revoluti, victos enim fuisse suos existimabant, prima vigilia eruperunt, tentatisque locis omnibus, undique repulsi, diluculo se receperunt. Inde subducta ratione corporum et alimentorum, Lucius dimensum præberi servis vetuit: neque transfugere passus est, acribus ubique custodiis positis. Idcirco miseri per urbem et ante muros herbam vellentes, aut frondem, agminatim moriebantur: et altissimis specubus injiciebantur cadavera, ne relicta et putrefacta morbos gignerent; cremata, rogorum multitudine necessitatem obsessorum proderent hostibus.

Vell. II. 74. Appian.

17. Sed in hoc statu sisti non poterat diu: rursumque rogantibus militibus, ut pugnando potius caderent, annuit Lucius, monens, aut abstinendum certamine, aut nisi victoribus non revertendum. Acclamarunt omnes cupide, et ne nox ignaviam aliquorum tegeret, educi clara luce postularunt. Igitur, omnibus ut ad ultimum conatum summa cura præparatis, cum instrumentis et scalis variæ formæ instructi ante lucem egrediuntur. Aderant et machinæ complendis fossis aptæ, turres plicatiles, unde pontes extrudi in muros solent, et telorum omnis generis magna copia, saxa itidem et crates, quæ palis circum opera erec-

4 *Septem millia quingentos* edd. ante Crev. Ex Appian. emend. Crev.

d *Passuum viginti millia*] Leucas nostrates minus septem. *Crev.*

Digitized by Google

tis injicerentur. Hæc, cum magno militum nisu admoverentur, fossa completa, superatoque vallo, ad murum transgressi, suffodere hunc, alii scalis atque turribus admotis transcendere nitebantur: et cum diversis locis hæc fierent, propugnantesque clamoribus incertis distraherentur, pontes alicubi in murum injecti sunt, paucisque occisis, reliqua multitudo sequebatur.

18. Erat plane res obsidentibus in discrimine et metu: sed quia raros admoliri pontes obsessi potuerant, facile occursum est, strenuissimo quoque ad defendenda loca opposito, quæ plurimum urgebantur. Igitur Antoniani defatigati, a recentibus, cum etiam latera haberent ictibus exposita, rejecti sunt, scalæque et turres eorum confractæ. Ne tum quidem abstinuerunt pugna, quanquam ex superiore loco impune vulnerarentur: donec Lucius misertus nimium et inutilem laborem, signum receptui dedit. Sed ne sic quidem eos deseruit animorum obstinatio, quin plausu hostium exultantium irritati, resumerent scalas, et, quanquam irrito incepto, in mortem potius quam prælium ruerent. Et exorandi fuerunt imperatori, ut servare potius vitam, quam prodigere nequicquam vellent.

19. Ultimus hic obsessorum conatus fuit: et Cæsar, ne quid tale posthac auderent, sic exercuit suos, ut, signo dato, cum armis prosilirent in muros. Id quoque spectaculum desperationis implevit Antonianos, et quia mœrore lentescebat disciplina, remissius mœnia custodiebantur; pluresque transfugiebant ad Cæsarem, non gregarii modo, sed et tribuni præfectique. Atque hos postquam clementer acceptos a Cæsare vulgatum est, omnesque reliqui spem parem conceperunt, Lucius timens, ne, si pervicacior esse vellet, hosti dederetur, legatos de pace misit. Cæsar ex duobus generibus constare Lucii copias sciens, ut dissociaret animos, veteranis se veniam dare dixit in gratiam Antonii: reliquos suam in potestatem dedi velle. Hæc in commune tribus legatis. Mox uni seorsim C. Furnio, ceteris quoque parcere velle ostendit, solis exceptis qui proprias secum inimicitias exercerent. At hi suspectum habentes cum Furnio arcanum sermonem, hunc quidem exceperunt conviciis; a Lucio postularunt, 'ut aut pari-

Digitized by Google

bus conditionibus pacis amplecterentur omnes, qui pari studio bellassent pro patria; aut arma universi ad extremum usque spiritum retinerent.'

20. Lucius reveritus pari secum dignitate viros, laudavit eorum sententiam, et quando neminem haberet aptiorem, se dixit ad Cæsarem ire. Profectusque est statim sine feciali, cursu præcedentibus qui rem Cæsari significarent. Atque ille ad hoc nuntium properabat occurrere venienti. Jamque in conspectu erant cum amicis et imperatoriis sagulis; cum, dimissis omnibus, Lucius duos tantum lictores secum habens processit, hoc ipso demonstrans animi sui propositum: intellexitque Cæsar, et Lucium imitatus, ostendere signum mox coalituræ benevolentiæ voluit: et, festinante Lucio, ut intra vallum colloquerentur, egressus est Cæsar, ut sic quoque liberum esset Lucio, quid capere consilii vellet.

21. Tum, ut est relatum in commentarios, Lucius prior ita cœpit: 'Siquidem cum externo mihi certamen fuisset, et vinci turpe putarem, Cæsar, et turpius victum confiteri; eamque ignominiam exirem eadem via, quæ multis egregiis viris, virtutem fortuna oppressam asserentibus, placuit. Nunc quia cum cive æqualis dignitatis contentio fuit, expertus quæ potui pro patria, tali viro lubens cedo. Nec tamen hæc dicta sic accipias, quasi victori, in spem humanioris clementiæ, adblandiar. Non issem huc sine feciali, si pro me essem solicitus. Aliis pacem postulo, quam utique concessurus es, ubi nec iniquam petitionem meam, neque rationibus tuis alienam cognoveris. Nam, ut certius omnia dispicias, separari causas oportet; ut in me omnem effundas iram, quem horum omnium auctorem intelliges; his ignoscas, qui decepti falsique, alia quam penitus sentiebam præferentem, in fratris Marci gratiam secuti sunt. Quod si forte quædam liberius dixero, licentiæ ferociæque imputare noli. Non conveniunt ea temporibus meis. Ea tantum dicam ex animi mei sententia, quæ dissimulari nequibunt.

22. 'Ego bellum tibi feci, Cæsar, non ut oppresso succederem in principatu, sed ut restituerem rempublicam senatui, cujus, sub hac triumvirali potestate, jus atque

Digitized by Google

decus omne accisum atque sublatum est injuria. Hoc enim ipsi quoque et sensistis olim et prætulistis, legitimum hunc magistratum non esse fassi; necessarium appellantes, donec Cassii Brutique irreconciliabilis factio tolleretur. Ideo neque perpetuum esse, sed quinquennalem voluistis. Ergo itaque oppressis partium ducibus; reliquiarum, si tamen ullæ sunt reliquiæ, non contra rempublicam, sed pro sua incolumitate, manentibus armis, sed cessuris simul atque timere sibi a vobis desierint; tempus esse judicavi, ut cessantibus aliquando extraordinariis imperiis, patrius mos civitati, legibusque et magistratibus potestas sua redderetur. Neque vero majorem esse ducendam fratris quam reipublicæ rationem existimavi; fore persuasus, ut ei quoque, cum venisset, tam justa et gloriosa probarentur. Et, quia mihi magistratus nomen profuturum ad efficienda cœpta credebam, dimittere hanc opportunitatem nolui. Quod si tibi res ea cordi fuisset, penes te esset tanti operis cœpti perfectique gloria. Quia vero tibi persuaderi nequitum est; ego, Urbe per vim occupata, hoc affectavi decus, instinctus, ut opinor, generosa cogitatione, nihil esse quod pro republica moliri vel cum discrimine non oporteat et Antonium, et consulem, et progeniem ejus Herculis, qui unus omnium laboriosissime contra injustas dominationes dimicavit. Cic. Phil. II. 28. Plut. Anton. init.

23. ‘Hæc et vera belli hujus causa, si quid mihi credis, et sola est. Nihil hic me frater, nihil aut Manius movit, aut Fulvia: ne divisio quidem agrorum, et pulsi possessionibus suis innocentes. Nam et, me auctore, coloniæ fraterni militis deductæ sunt. Tu videri causam eam armorum voluisti, ut veteranos tibi conjungeres, quorum præmia per me vocari in discrimen arguebas. Hoc tibi vaframentum utile ad victoriam fuit; dum e re tua erat, ut milites tui me, tanquam hostem infensissimum, odissent. At nunc, parta victoria, non est ut in me hostili sis animo, nisi et patriam oderis: nam pro hujus libertate facta fuisse a me omnia reperies. Atque hæc ille ego dico, qui non nesciam in tua nunc potestate esse: unde quid de te judicaverim apparet, quidque nunc judicem, solus ad te veniens. Sed de me ipso hactenus. Appian.

Digitized by Google

24. 'Quod autem amicos atque adeo totum exercitum attinet, nisi consilium a me profectum pro suspecto respuis, magnopere tibi sim auctor, ne hac causa cuiquam nimium irascaris. Etiam tuos offenderis, si adeo implacabilia doceas esse debere civium odia, ut ignosci victis non oporteat: periculosum est homini, cum sit instabili fortunæ obnoxius, sola victoria tutum vivere. Sin vero me adhuc hostem esse, et talium consiliis minime credendum putas, non me piget precibus abs te contendere, ne meam, sive culpam, sive fortunam amicis meis fraudi esse sinas: sed a me potius expetas pœnam, qui horum omnium omnibus auctor extiti. Atque hæc, ut serio dici constet, illis absentibus agere tecum volui; ne, mihi potius ab illorum deprecationibus quærere præsidium viderer.'

25. Ad hæc Cæsar; 'Ut ego te sine feciali vidi descendere, L. Antoni, festinavi ut ante castra mea occurrerem, ne locus tibi necessitatem imposuisse videretur dicendi faciendive quæ nolles. Postquam autem meam in potestatem te tradidisti, quod est eorum qui se peccasse confitentur, nihil necessum est refellere, quæ mihi falso quidem, sed speciose objecisti.

26. 'Ceterum sicut ab initio me conatus es lædere, ita lædis etiam nocesque in præsentia. Quippe si conditiones voluisses, erat tibi cum irato et victore paciscendum: nunc quando, conditionibus omissis, meæ fidei permittis omnia, quem armis non potuisti, pudore constringis, ut nec irarum amplius possim esse memor, nec uti potestate, quam, si pactiones intervenissent, necessario eras concessurus. Jam vero me cogis oblitum eorum quæ commeruisti, unum tantummodo respicere, quid me deceat. Hanc enim partem præfero tam Deorum, quam mea causa. Sed et propter te, L. Antoni, faciam: operamque dabo, ne sic de me judicasse pœniteat.' His ultro citroque dictis, Lucii magnanimitatem et prudentiam admiratus Cæsar esse dicitur; vicissimque Cæsaris moderationem, et brevitatem sermonis in adolescente trium et viginti annorum admirationi fuisse Lucio. Ceteri vero, facientes ex vultu utriusque conjecturam, rem commode transactam esse, jam tum fiduciam salutis suæ gaudium-

Liv. Epit. Appian.

Digitized by Google

que perceperunt. Hoc maxime modo bellum Perusinum, post acrem obsidionem, et multas inclusorum eruptiones, finitum est; fame coacto ad deditionem Lucio. Liv. Epit. Flor. IV. 5. Dio.

27. Sed statim a colloquio missi ab Lucio tribuni venerunt ad Cæsarem, tesseram petentes, militumque suorum numerum referentes. Qui postea quoque mos obtinuit, ut qui quotidie signum petebant a principe, descriptum simul exhiberent numerum eorum, qui tum sub signis essent. Cæsar, data tessera, jussit eos excubias adhuc agere solito more, ne sub noctem, intromissis in oppidum victoribus, aliquid præter animi sui sententiam gereretur. Orta luce, Cæsar quidem sacrificavit. At Lucius eduxit exercitum cum armis, sed obvolutis et intectis, iter facientium more. Ubi non longe abfuerunt a Cæsare, imperatorem salutarunt eminus: inde quibus erant jussi locis per legiones constitere. Vell. II. 74. Eutrop. VII. Appian. Plut. Luc. Senec. de Tranquill. Anim. 8. Appian.

28. Cæsar, finito sacrificio, laureatus conscendit tribunal, jussisque arma ponere Antonianis, postquam id factum est, veteranos (nam a tironibus secreverat) accivit, ut tanquam ingratos castigaret atque perterrefaceret. At Cæsariani milites, sive subornati ab imperatore, ut sæpe, sive veterum commilitonum tempore permoti, ad complexum illorum festinabant, orantes pro his Cæsarem irrequietis vocibus, neque discedentes ab amplexu eorum; donec Cæsar, ægre sedato clamore, conversus ad suos, 'Meruistis,' ait, 'commilitones, ut vobis negem nihil. At ego tirones quidem coactos militasse Lucio censebam. Hos autem qui sæpe nobiscum militaverant, et nunc a nobis servantur, cupiebam interrogare, qua igitur nostra injuria, qua offensa, aut qua saltem spe uberioris apud alios militiæ, contra me et vos et sua ipsi commoda pugnaverint? Quicquid enim sudatum est hactenus, ecquo alio fine factum, nisi ut agri veteranis darentur, cujus fructus fiebant et ipsi participes? Igitur si conceditis, nunc quoque eos interrogabo.'

29. Deprecantibus illis, 'Fiat igitur,' inquit, 'quod petitis. Abeant vestro patrocinio securi, et hanc etiam objurgationem lucrentur; sed hac conditione, ut vobiscum in posterum consentiant.' Tum vero utrimque voces et

Digitized by Google

clamores promiscui insonuerunt, laudantium Cæsarem, agentiumque gratias. Atque ille quibusdam petentibus concessit, ut quos quisque vellet exciperet hospitio: reliquam multitudinem, quo loco primum constiterant, sub pellibus agere jussit, donec hyberna eis et qui deducerent assignarentur. Adesse mox Lucium ceterosque jussit, pro tribunali sedens: descenderuntque senatores et equites multi, præsentem fortunam habitu vultuque præferentes. Quibus egressis, præsidium Cæsaris Perusiam introductum est. Lucium Cæsar secum habuit: ceteros centuriones partiti sunt, custodes futuri hospitum specie, ut erant edocti ab imperatore.

30. Perusinis e muro deprecantibus, concessum ut egrederentur, præter decuriones, venientibusque data venia. Decuriones in custodiam dati, paulo post, ut militum odiis satisfieret, supplicium pertulerunt, uno excepto L. Æmilio, quod judex Romæ, cum percussores Cæsaris postularentur, atrum calculum palam tulerat, ceterosque fuerat ad condemnandum reos cohortatus. Oppidum diripiendum dare militi voluerat Cæsar; sed princeps civitatis Cestius, qui mentis haud omnino sanæ Macedonicum se appellabat, quod olim ea in provincia militasset, subjecit ignem ædibus suis, seque transfixum gladio in flammam intulit. Tum ventorum vi dilatum incendium, omnem Perusiam hausit, excepta tantum æde Vulcani. Junonis signum, quam Etrusci præ ceteris numinibus consueverant colere, cum intactum mansisset ignibus, Cæsar Romam transferendum curavit, somnio monitus: concessitque volentibus instaurare oppidum: agri tamen spatium intra passus mille restrictum est. Qui deinde has reliquias incoluerunt, pro Junone Vulcanum adoptarunt tutelare numen. Hic tum exitus Perusiæ fuit, veteris urbis, sive Lydi eam, novi tum adhuc Italiæ inquilini, sive, ut est relatum ab aliis, Achæi condiderunt.

Vell. Appian. Dio. Appian. Liv. Epit. Appian. Propert. II. 1. 29.

31. Proxima deinde die Cæsar, qui jam reconciliatus erat Antonio, ceteris etiam omnibus ignovit. Nec ideo minus trucidati sunt plurimi nobiles et egregii viri, cum excusare se conantibus una voce responderet Cæsar, 'moriendum esse.' Sic et Ti. Canutius, qui tribunus plebis

Just. xx. 1. Appian. Sueton. Aug. 15.

Digitized by Google

causam Cæsaris plurimum adjuverat, et Flavius quidam et Clodius Bithynicus perierunt, et alii tanto numero, ut trecentos, aut etiam quadringentos utriusque ordinis, delectos e deditiiis, Idibus Martiis, ad aram D. Julio exstructam more victimarum immolatos ferant. Cæsar ad hæc cogi ab exercitu querebatur: nec ideo persuasit. Quin fuerunt qui traderent, ab ipso hoc conflatum bellum esse data opera, ut æmuli atque inimici latentes, copia ducis se offerente, nudarent animos, vincique et facultatibus exui possent: unde promissa veteranis præmia conficerentur. Sic Perusina fames, quæ mox propter summum exempli horrorem velut proverbio jactari cœpit, totam Italiam formidolosissimo bello liberavit.

Dio et Appian. Suet. Dio. Senec. de Clem. I. 11. Appian. Sueton. Lucan. I. 41. Appian.

32. Maximæ enim vires Antonianorum fuerant; C. Asinius, L. Plancus, P. Ventidius, P. Canidius Crassus, Ateius, aliique duces, tredecim exercitus ducebant, et equitum sex millia quingentos. Hi plerique omnes Lucii casu exterriti ad mare descenderunt, Brundisium, aut Ravennam, aut Tarentum petentes: atque inde pars ad Pompeium, Murcumque, et Ahenobarbum sese contulit; alii transierunt ad M. Antonium. Insequebantur Cæsariani pacem offerentes, et contumacibus infesti. Sed nihil efficere memorabile potuerunt, nisi quod Agrippa duas legiones ad se transduxit, quas Plancus Cameriæ reliquerat. Atque idem Plancus, reliquo etiam exercitu ignaviter deserto, Fulviæ cum liberis fugienti se adjunxit comitem: atque illa cum tribus millibus equitum, quos ei duces præsidii causa addiderant, Puteolos et inde Brundisium contendit, cum navibus longis quinque, ad hoc e Macedonia accitis, ad virum trajectura. Reliquorum nonnulli adjunxerunt se P. Ventidio. Sed Asinius Pollio, qui cum septem legionibus Venetiam diu retinuerat Antonio, magnasque res circa Altinum gesserat, dum Antonium petit, Domitium Ahenobarbum, fide data, transduxit ad partes. Scripseruntque ambo ad Antonium, eique tanquam mox affuturo, exscensiones et commeatus providebant. Sextus quoque Pompeius, per Juliam Antonii matrem, quam in Sicilia comiter exceperat, de amicitia cum eo agere cœpit.

Pigh. Ann. ad an. 713. Appian. Dio. Appian. Vell. II. 76. Appian. Vell. Dio. Appian. Dio.

Digitized by Google

33. Inter hæc Cæsar reliqua Italiæ quæ præsidiis adversariorum occupata fuerant, armis aut voluntate defensorum recepit. Nec tacenda Liviæ, mox Augustæ, fortuna, magnum habens et utile mortalibus exemplum mutabilitatis. Ti. Claudius Nero, vir prætorius et pontifex, cum, deditione a ceteris Perusiæ facta, solus in partibus perstitisset, Præneste primum, deinde Neapolin evaserat. Ibi frustra professus patrocinium eorum qui agros amiserant in Campania, servos etiam vocare conatus ad pileum, adventu Cæsaris in Siciliam fugit. In ea trepidatione Tiberius, qui post imperavit, tum vix bimulus, pæne vagitu suo parentum fugam prodidit: cum ad vitandum occursum militis, matris Liviæ sinu, et quidem gravidæ, uno tantum per itinerum devia comitante profugos, ad navigium deportatur.

Vell. Sueton. Tib. c. 1. et Dio.

Sueton. Tib. c. 6. et Vell.

34. Nec diu manere apud Pompeium juvenis superbus potuit, non statim in conspectum ejus admissus, et mox prohibitus fascibus, quos ultra legitimum tempus retinebat. Igitur ad Antonium profecturus, in Achaiam transmisit, commendavitque suos Lacedæmoniis publice, quod in tutela Claudiorum ea civitas erat. Sed inde digredientem nocturno itinere, flamma repente exorta e sylvis cum omni comitatu ita circumdedit, ut Liviæ vestis et comæ amburerentur. Inter fugam Neronis a Neapoli, C. Velleius, avus historici, qui ante Bruti, mox Neronis præfectus fabrum fuerat, senile corpus, quod comitari abeuntes cupientem tardabat, gladio transadegit.

Sueton.

Vell. II. 76.

35. Tota jam Italia Cæsaris erat. Igitur proxima ei cura fuit occupandarum legionum, quæ sub Alpibus multæ Caleno duce castra habebant: ut, siquidem in amicitia maneret Antonius, illi servarentur; sin vero, luculenta pars virium detraheretur inimico. Dispicientem occasiones Fortuna adjuvit, moriente sub hoc tempus Caleno. Neque distulit Cæsar adire exercitum, potitusque voto, Fufio adolescente per metum tradente protinus omnia, Galliam etiam et Hispaniam adjunxit, quæ attributæ Antonio fuerant: atque ita simul undecim legionibus et amplissimis provinciis in potestatem citra sanguinem acceptis, ubique suæ factionis homines, amotis

Appian.

Liv. Epit. Appian.

Digitized by Google

Antonianis, præfecit. Hisque gestis in Urbem triumphali habitu invectus est, ubi tum resumta veste, quam sine senatusconsulto, plebe cogente, posuerant patres, festi dies agebantur. Tum ei corona laurea decreta, nec in præsens tantummodo, sed uti toties uteretur, quoties aliquis alius triumpharet.[e] Dio.

[e] *Sed uti toties uteretur, quoties aliquis alius triumpharet*] Hic, ut et aliis quibusdam in locis, nobis videtur Freinshemius nimium credidisse interpreti, nec recurrisse ad fontem. Verba Dionis hæc sunt: ὅσῳ δόξαις οἱ τὰ νικητήρια πέμψαντες εἰσόθεισαν αὐτῷ χρῆσθαι, καὶ ἐκεῖνον οἱ κοσμεῖσθαι. Sensus est: *ut, quoties ii qui triumpharunt ea uti solent, toties eam Cæsar quoque gestaret.* Intelligendum est nempe eos qui semel triumpharant, certis diebus lauream postea gestare solitos. Senatum autem decrevisse ut corona hæc Cæsari, licet sine triumpho decreta, eodem tamen jure usurparetur. *Crev.*

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXVII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Plut. Anton. Dio, XLVIII. Appian. Civ. v. et Parth. Plut. Dio. Appian. Civ. l. v.

1. Inter hæc Antonius, hyeme apud Cleopatram turpiter acta, tum rerum istarum, tum Parthicorum motuum nuntiis ægre excitus, Tyrum navigavit, adversus Parthos inde ducturus. Sed lamentabilibus Fulviæ literis, in quibus apparebant frequentes lacrymarum notæ, revocatus ad domesticas curas, et jam omnia circum occupata ab hoste cernens, per Cyprium Rhodiumque mare in Asiam venit. Ibi cognito Perusini belli exitu, fratris accusavit insolentiam et Fulviæ, sed ante omnes Manii: hos enim causam armis præbuisse qui veniebant ex Italia confirmabant. Igitur uxorem Athenis occurrentem objurgavit graviter, et iturus in Italiam, ne obstaret concordiæ, dimisit Sicyone ægram animo et corpore, nequidem inter discedendum invisere curans. Cum Pompeianis autem legatis, qui matrem Juliam adduxerant, L. Libone socero Pompeii, Saturninoque, et aliis, amicitiam adversus Cæsarem conjungere cupientibus, ita transegit, ut gratias pro deducta matre ageret, relaturumque polliceretur. Ceterum aut usurum se auxilio Pompeii, si bellandum sit adversus Cæsarem; aut eum Cæsari reconciliaturum esse.

Plut. Appian. Liv. Epit. Appian.

2. His nuntiatis, Cæsarem magna et anceps cura distringebat, consensui duorum imparem, et utro potius amico,

Digitized by Google

utro hoste uteretur ambigentem. Athenis fuisse cum Antonio Pompeianos noverat: quid esset conventum nesciebat. Interim abutebatur eo colloquio ad invidiam Antonii: 'hoc nimirum agi, ut, pulsis novis colonis, Pompeius veteresque possessores reducantur.' Et credebant hoc veterani, quia plurimi profugorum ad Pompeium concesserant. Sed nec incitari ideo contra Antonium poterant: tantum ei studiorum, tantumque existimationis res Philippensi bello gestæ pepererant. Summa vero rationum Cæsaris in eo vertebatur, ut pedestri exercitu egregie instructus, maritimas vires nullas haberet. Numero legionum (erant enim amplius quadraginta) simul Antonium et Pompeium et Ahenobarbum superabat. Sed adversum naves adversariorum quingentas, neque classem habebat, neque spatium comparandæ; quod illi instructi paratique ex vicino Italiam infestare, et ad extremam inopiam adigere poterant. Ionium quidem mare nuper avectus ad Antonium Domitius aperuerat, ut melius bello peti Pompeius posset. Ceterum hic, multas ob causas, videbatur potior, ut præ Antonio futurus usui, majoris etiam quam ille fidei haberetur. Dio.

3. His ita expensis, cum, dimissa Clodia, copia ei conditionum esset, ad Mæcenatem scripsit, uti sororem sibi Libonis ambiret Scriboniam; per quam fœderis cum Pompeio feriendi, simul rebus suis expedire censuisset, occasionem captabat: quanquam ea mulier ætate provectior duos antea consulares maritos, et ex P. Scipione liberos habuisset. Nec cunctanter accipiente conditionem Libone, literasque Romam ad amicos dante, matrimonium contractum est. Appian. Dio. Sueton. Aug. 62. Propert. IV. 12. 55. et seq. Appian.

4. Neque tamen pax inter hos est inita, dum Cæsar omnia concedere non potest; multa remittere Pompeius non vult, cum incremento potentiæ quotidie factus elatior. Nam et alii multi accesserant partibus, et Statius Murcus ei, luculenta adducta classe, duplicaverat vires. Ad hæc quotidianis ex Italia transfugiis, etiam servorum, augebatur. Tam enim transibatur frequenter, ut etiam Vestales inter sacra conciperent votum, 'si finis aufugiendi factus esset.' Idcirco M. Vipsanium Agrippam, princi- Dio. Vell. II. 77. Dio.

Digitized by Google

pem amicorum, cum Pompeio bellum gerere Cæsar jussit. Sed dum Agrippa ludos Apollinares curat, erat enim tum prætor, in Italiam Pompeius transiit, magnaque ejus parte vastata, sub adventum Agrippæ se recepit, præsidiis per opportuna loca relictis. Neque vero citius occurrere potuerat Agrippa, ludis edendis populum, qui mire his voluptatibus afficiebatur, Cæsari conciliare studens. Igitur et novi generis spectacula sunt edita, et translatitia solito magnificentius. Circenses quidem biduo continuo. Sed et Trojam pueri nobiles luserunt, et confectores ferarum in Circo ex equestri ordine[a] producti sunt.

Sueton. Aug. 43. Dio.

5. Inter has turbas Lepidus auctoritatem suam ægre passus senescere, in Africam a Cæsare missus est, sex additis legionibus, quæ nuper ab Antonianis partibus avulsæ, parum certæ fidei esse videbantur. Et habebat majoris auctoritatis duce opus Africa, Romanæ discordiæ inter diversos duces pœnas dans, et, variante partium fortuna, semper præda victoris. T. Sextius nuper ex provincia veteri repulsus, cum non aliam cladis esse causam opinaretur, quam quod caput tauri secum non habuisset, novam expeditionem adornabat; cum a Cornificianis præventus est irrumpentibus in Numidiam, et obsidente Cirtam Lælio, dum quæstor Cornificii Ventidius[1] Sextium equestribus prœliis superatum continet. Sed Arabionis et Sittianorum auxiliis Sextius adjutus, deduxit in æquum copias, pugnaque commissa Ventidium occidit, fugientesque duce amisso milites insecutus, plurimos interfecit cepitve. Hunc ad nuntium Lælius, obsidione Cirtæ relicta, ad Cornificium rediit. Nec distulit insequi Sextius, et ad ipsam, ubi Cornificius agebat, Uticam profectus, licet minores habebat copias, in propinquo castra posuit. Tum missus prospeculatum Lælius, cum Arabione equestri prœlio concurrit: et quia Sextius cum expeditis peditibus a latere se ostenderat, receptui timens ille, propinquum tu-

Appian.

Liv. Epit.

Dio.

Appian. Civ. IV. p. 620. et Dio.

1 Pro *Ventidium* edidit Crev. ex Appian.

[a] *Confectores ferarum.... ex equestri ordine*] Hoc memorat Dio, non suo loco, sed ad finem narrationis rerum hujus anni. *Crev.*

Digitized by Google

multum occupavit. Arabio, cæsis quos consequi potuerat, circumfuso equite collem obsidere instituit. Sed Cornificius hoc agi videns, cum majore parte copiarum Lælio subventurus, a tergo instantem Sextium habuit, a quo coactus signa convertere, dedit Arabioni spatium, ut per homines inaccessa aliis loca superare solitos, aditum in castra Cornificii clam reperiret. Igitur, hoste conspecto, Roscius, præsidio castrorum præfectus, militi cuidam se occidendum præbuit. At ignarus rei Cornificius, dum ad Lælium perrumpere nititur, desertus a suis, quos sæpe objurgans 'galeatos lepores' appellaverat; equitum Arabionis incursu oppressus est. Quod ubi ex loco superiore conspexit Lælius, ipse quoque sua manu mortem invenit. Ducibus amissis, copiæ diffluxerunt: qui proscriptorum apud Cornificium fuerant, in Siciliam, aut quo quisque potuit, se receperunt. Sextius victor Arabionem et Sittianos donavit magnifice: oppidis in fidem triumvirorum acceptis omnibus ignovit: utramque provinciam obtinuit: donec Cæsar ex pacto cum collegis imperium Africæ Numidiæque nactus, C. Fuficium[2] Fangonem accipere ab Sextio provincias et exercitum jussit.

Euseb. Chron. Dio et Appian.

Dio et Appian. Civ. v.

6. Exinde cum alia pactione Cæsaris et Antonii, Numidiam Cæsar, Antonius Africam accepissent, scripsit ad Sextium Fulvia, ut provinciam Antonii nomine recuperaret. Nam obtentu hyemis adhuc moratus in Africa Sextius, novarum rerum occasionem expectaverat. Igitur nolenti cedere Fangoni bellum intulit, veteranorum contracta manu, et regulorum auxiliis. Mox et ex ipsa provincia multi mortales ad eum concesserunt, Fangonis odio, qui ex manipulari Cæsaris dictatoris victoria factus inter alios de genere hoc senator, præsentem potentiam parum prudenter exercebat. Sed et Numidia se, rebus his auditis, concusserat. Idcirco reversus in eam Fango, Cirtenses, a quibus spernebatur, itemque Arabionem negantem auxilia, plurimis affecit damnis. Hunc etiam postremo ejecit finibus suis, et, cum ad Sextium se recepisset, dedi postulavit.

Cic. ad Att. XIV. 10. Dio.

2 Pro C. *Fulvium* edidit Crev. ex Dione.

Digitized by Google

7. Hæc nova his bellandi extitit causa. Sextio recusante supplicem dedere, irrupit in Africam Fango, levibusque prœliis inferior, in Numidiam recedendo Sextium attraxit, Arabionis præcipue equitibus confisum. Sed ubi Sextius insimulatum proditionis Arabionem dolo sustulit, equites ejus, pars alio, multi ad Fangonem se contulerunt. Unde viribus exæquatis, cum invicem metuerent, cum Arabione sublatam irarum causam prætexentes, amicitiam pepigerunt, sed minime fidam ac durabilem. Quippe Fango securiorem inde Sextium factum putans, denuo transcendit in Africam: et cum equitatu Numidico Fangonis superiores partes essent, Sextium Romanæ legiones præstarent invictum, accidit, ut, commisso prœlio, alterum cornu utrimque pelleretur: victores, non animadverso suorum casu, castra adversariorum caperent. Ubi quid actum foret constitit, paribus denuo[3] animis congressi prœlium instaurarunt. Sed pulsus in montes Fango, cum noctu bubalorum transcurrentium sonitum audisset, equitatum hostium esse, et se prodi ratus, gladio se ipse transfixit. Numidæ lubentes sub potestatem Sextii reverterunt, excepta Zama, quæ perdomanda fame fuit. His actis Lepidus in Africam veniens utramque provinciam obtinuit, concedente Sextio, tanquam honoris Lepidi causa, quod contra validiorem tueri se posse desperabat. Atque is, cum Romam redisset, mox inter suffectos consularem tenuit locum.

Porphyr. ad Hor. Carm. I. 4. Appian. Civ. v.

8. Ablegato per speciem imperii Lepido, ut etiam L. Antonium removeret, accitum his ferme verbis allocutus Cæsar est: 'Ego te quidem, L. Antoni, pietatis nomine laudo, qui in fraterna culpa tuum esse crimen tuumque periculum voluisti. Ceterum gratum erga beneficia mea animum desidero: quando ne manifesta quidem fratris cum Sexto conspiratione quicquam sustines confiteri. Ego vero tibi credens, extincto Caleno, ne sine duce exercitus forent, per amicos meos servabam Marco: nunc vero, deprehensis ejus consiliis, mea volo esse omnia: tibi permitto, ut ad fratrem sine fraude transeas.' Ad hæc Lu-

3 Ita ex Dione emend. Crev. In edd. priorr. legitur *demum*.

Digitized by Google

cius, qualia prius prætulerat: ‘ potentia fratris abuti ad tollendum triumviratum voluisse, eundem adhuc animum durare, et, si regressus frater rempublicam tuendam suscipiat, clam palamve ad eum abiturum, quanquam habere maximum Cæsaris beneficium non abnuat. Sin vero fratrem etiam sentiat, non contra dominationem, sed dominationis socios tendere, tum se Cæsari affuturum contra fratrem, quamdiu ei meliorem manere mentem putarit. Porro rempublicam antè omnem et cognationem et gratiam positurum esse.’ Cæsar non indelectatus hoc sermone, ‘ contra fratrem fratris opera’ negavit ‘ usurum, ne si vellet quidem sequi, sed universam Hispaniam cum exercitibus ei crediturum esse: ut pro legatis habeat, qui tum sint in Hispania, Sex. Peducæum, L. Carinatem.’[b] Hoc nimirum nomine custodes L. Antonio addebantur.

9. Dum ita diversis locis Romanæ vires colliduntur, Parthi cum maximis copiis in Syriam, et e Syria in Asiam irruperunt. Quod bellum hoc maxime modo conflatum atque commissum est. Crassiana expeditione primum irritati Parthi, mox elati victoria, semper deinceps eo animo fuerunt, ut et auderent bellare cum Romanis et cuperent. Sed, ut fit, subinde intervenientibus moris, in id tempus dilata res est, quo post Philippense bellum Antonius, cogendis ubique pecuniis, maximopere provincias alienasse videbatur: eo quidem provecta Aradiorum audacia, ut Curtium Salassum cum quatuor cohortibus, exigendæ pecuniæ causa missum, vivum comburerent.

Dio. Flor. IV. 9. Dio. Euseb. Chron.

10. Forte T. Labienus T. F. ad solicitanda Parthorum auxilia missus a Bruto, post ejus interitum occasionem ostentare non desinebat, Antonio apud Cleopatram deside, Cæsare Pompeioque et quicquid armis validum apud Romanos usquam esset, mutuo se atterentibus. ‘ Se gnarum opum, quantæ cuique civitati essent, gnarum animorum. Si copiarum imperium sibi credatur, omnino relaturum regi

Dio. Flor. Vell. II. 78. Liv. Epit. Dio.

[b] *Carinatem*] Hunc solo prænomine appellat hoc loco Appianus. Sed paulo supra, pag. nempe 686. Carinatem dicit auspiciis Cæsaris Hispaniam curasse. *Crev.*

Digitized by Google

pro beneficiis gratiam.' His permotus Orodes, exercitum Labieno maximum, cum filio Pacoro et purpurato Barzapharne attribuit. Cum his irruptione in Syriam facta, pervenit Apameam, et ab oppugnatione oppidi repulsus, præsidia, quæ passim per agrum erant disposita, nullo negotio in deditionem accepit. Erant enim e Cassianis militibus, familiariter noti Labieno, quos suo sacramento adactos custodiendæ Syriæ, quod assueti his regionibus videbantur, Antonius reliquerat. Tamque pronus in has partes omnium animus fuit, ut solus e tanto numero Saxa, legati frater et quæstor, ejus consilii expers maneret.

Joseph. Antiq. XIV. 23. et de B. Jud. I. 11. Appian. Parth. et Syr. Dio.

11. Igitur Decidius Saxa legatus, ad defendendam provinciam quantis poterat copiis properans, cum in se Labienum abstraxisset, castra inter Antiochiam et Apameam posuit. Sed Labienus frequentes intra ejus vallum libellos jaciebat, coactam et probrosam militiam cum meliore permutare commilitonum exemplo jubens. Nec ausus militi confidere Decidius, servare potius exercitum longius abductum statuit, quam hunc simul et provinciam amittere. Sed equitatu Parthico inhærente tergis abeuntium, prælium committere coactus, magno suorum numero amisso, Antiochiam perfugit. Labienus, auctoritatem addente victoria, jam sine certamine recepit Apameam, cunctis occubuisse Saxam credentibus. Inde profectus Antiochiam, hanc quoque fuga Romanorum desertam cepit. Assecutusque Saxam in Ciliciam properantem, eo desperationis adduxit, ut sibi manum inferret, ne, amisso exercitu, vivus veniret in hostium potestatem. Hinc universa Syria Parthorum facta, præter Tyrum, quæ portas Pacoro clausit, quia valido præsidio nuper eam Antonius firmaverat, eodemque magna manus ex Syria confluxerat Parthicum imperium recusantium. Ab his contra pedestres hostium copias, classem enim non habebant, haud ægre defensa est.

Acron in Hor. Carm. III. 6. Flor. Liv. Epit. Joseph. Dio.

12. Ex Syria Pacorus in Palæstinam transiit, accitus a Lysania, qui Ptolemæo Mennæo genitus paternam ditionem obtinebat. Hic Antigonum Judæum mille talenta [c]

Heges. I. 29. Joseph. Antiq. XIV. 23. 24. et 25. et de B. Jud. I. 11.

[c] *Mille talenta*] Si talenta Attica, ut semper, intelligamus, ex-

Digitized by Google

cum quingentis mulieribus daturum Parthis sua fide spoponderat, si, dejecto Hyrcano, in regnum ille restitueretur. Igitur Barzapharne per mediterranea loca jusso incedere, secundum littus Pacorus ducebat, obiter Sidonios recipiens et Ptolemaidem, sponte se dedentibus oppidis. Inde, quoniam ipse, nondum perpacatis Syriæ rebus, attinebatur, quendam ex regiis pincernis sibi cognominem, attributa manu equitum, misit speculatum res Judaicas, simul auxilio futurum[4] Antigono cum occasio affuisset. His in monte Carmelo prædas agentibus accessit magna Judæorum multitudo; ita ut juxta Drymum occurrentes sibi hostes vinceret Antigonus, et cum fugientibus Hierosolymam penetraret. In ipsam quoque urbem introitum:[5] et aggregantibus sese qui factionis Antigoni olim fuerant, regia petita. Sed Herode et Phasaëlo magnas contra copias educentibus, in ipso foro pugnatum; repulsisque in templum adversariis, victor Herodes viros sexaginta in proximis ædificiis, ad prohibenda subita eruptionum, collocavit. At hi a populo fratribus infenso cum ipsis domibus cremati sunt; vicissimque multi de populo quotidianis in urbe præliis, in vindictam horum interemti. Cum deinde Pentecoste venisset, multi ex tota Judæa convenerunt, armati ferme; Phasaëlo et Herode, cum præsidio non ita magno, regiam custodientibus. Erumpere tamen ausus Herodes, cum multis hominum, sed inconditorum, millibus ita conflixit, ut, adjuvante etiam Phasaëlo, multis desideratis, pars in urbem, alii in templum, nonnulli etiam in vallum, quod extra urbem erat, compellerentur.

13. Inter hæc rogatu Antigoni Pacorus dux cum quingentis equitibus Hierosolymam ingressus, specie componendorum motuum, insidias Hyrcano struebat; effecitque ut, assumto Phasaëlo, ad Barzapharnem proficisceretur: eosque deduxit ipse, relictis apud Herodem ducentis equitibus, et præterea decem ex ingenuorum numero,[d] mi-

4 Ita ex Joseph. edidit Crev. In edd. priorr. est *futurus*.
5 *Introituri* edd. ante Crev.

surgent marcæ argenti nostrates duplicabitur summa. *Crev.*
93750; si talenta Hebræa, fere

[d] *Et præterea decem ex ingenu-*

nuendæ suspicionis causa. Ut in Galilæam ventum, populares in defectione et armis esse viderunt. A Barzapharne initio accepti donatique liberaliter, mox senserunt insidias; et, quanquam abiturus ad Pacorum satrapa falso suspectum se juraverat, statim digresso illo vincti sunt. Herodes, cum et ille captaretur, cum regiis mulieribus effugit in castellum Massada, ubi postmodum regiam condidit, oppidumque Herodium; atque, relictis ibi mulieribus et præsidio, Petram Arabiæ profectus est.

14. Interim Hierosolymis Parthi pecunias profugorum deprædabantur, Hyrcani tamen thesauro parcentes: erant autem haud amplius trecenta talenta.[e] Sed minor spe præda fuit, quia diffisus Parthicæ fidei Herodes ceterique pretiosissima rerum dudum in Idumæam præmiserant. Igitur ne agro quidem abstinentes Parthi, multa maleficia intulerunt, et Marissam, populosum oppidum, devastarunt penitus. Antigono deinde regi declarato Phasaëlum et Hyrcanum vinctos tradiderunt. Atque ille, tanta est ambitionis rabies! aures Hyrcani mordicus abstulit; ne iterum sacerdotio, quod integris tantummodo lex permittebat, fungi posset. Phasaëlus, ne arbitrio inimici moreretur, saxo illisit caput. Hyrcanus in Parthos abductus est. At Herodes, Arabum et Malchi suspecta fide, in Ægyptum properavit: inde per Pamphyliam et Rhodum, in Italiam navigavit, ut rerum suarum statum, Parthorumque progressus Antonio exponeret.

Dio. Joseph. Levit. XXI. 17. et seq. Joseph.

15. Interea Labienus Ciliciam et Asiæ continentem, quia Plancus se continebat insulis, subjugabat impetu fortunæ, et terrore Parthici nominis. Romanæ quoque cohortes ad eum frequenter transibant. Quibus auctus Mylasa et Alabanda, Carum urbes, cum præsidium acceptum necassent, expugnavit armis: et Alabandenses affecit supplicio. Mylasa, quorum incolæ Rhodum profugerant, diruit, infensus admodum propter Hybream, qui clarissimus facundia, cum cives suos contra Parthos concitaret, imperatorem se Caricum, deridendi Labieni

Dio. Strabo, XIV. p. 660. et Dio. Val. Max. IX. 14. ext. 2. Strab. et Dio.

orum numero] Etenim Parthi, teste Justino, l. XLI. c. 2. 'exercitum non, ut aliæ gentes, liberorum, sed majorem partem servitiorum habent.' *Crev.*

[e] *Trecenta talenta*] Marcæ nostrates argenti 28125. *Crev.*

Digitized by Google

causa, appellaverat. Ea contumelia maximopere accendit adolescentem irritabilem et stolidum, qui se Parthicum imperatorem ferebat, moribus Romanis multum discrepante titulo: talia enim cognomenta imperatoribus a devictarum gentium appellatione tribui consueverant. At Stratoniceam in propinquo sitam, nec impetu capere Labienus, neque domare longa et laboriosa obsidione potuit. Etiam prædonum audacia Labienum involvit difficultatibus, cum a ducibus Romanis timeretur. Cleo certe Gordiocomensis, Callydio occupato, Phrygiæ castello, pecuniam colligentibus imminebat acriter, apparatusque Parthicos disturbabat.

Plut. Anton. Appian. Parth. Dio.

Strabo, XII. p. 574.

16. Sed hæc parum ad summam proderant, absente, penes quem plurimum erat potentiæ, Antonio; qui solvens a Corcyra cum classe ducentarum navium per Ionium mare vela faciebat, ubi obvium Ahenobarbum habuit, majores aliquanto copias ducentem. Inde metus nonnullis, ne juvenis ferox, et proscriptum se sciens, stare pactis dubitaret. Nec eo minus subsequi jussis reliquis, cum instructissimis quinque navibus Antonius pergebat; cum universa Domitii classe conspecta, L. Plancus, qui comes aderat Antonio, remittendum de cursu censuit, tentandamque prius per alios dubiam viri fidem. Sed Antonius 'malle se mori deceptum pactionibus, quam timore confesso servari' testatus est. Ubi convenerunt classes, primus lictor Antonii stans in prora, Domitianos aplustria detrahere jussit, quam reverentiæ speciem inferiores exhibere potentioribus solent. Quod ubi promte factum est, junctisque navigiis salutarunt invicem, et ab Domitianis Antonius imperator acclamatus est, vix recipiente animum Planco, Domitium Antonius suam in navem accepit: unaque Paloënta (Valetium fuisse suspicabamur[e]) processerunt, ubi castra Domitiana erant. Cessit-

Appian. Civ. v.

Cluv. Ital. Ant. IV. 13. Appian.

[e] *Paloënta (Valetium fuisse suspicabamur)*] Hæc conjectura parum nobis commoda videtur. Polybius l. v. c. 5. nominat in Græcia Paloënta urbem, quæ si eadem esse credatur cum portu Palæste, quo se appulisse Cæsar memorat, Civil. l. III. c. 6. nihil vetat de hoc eodem loco Appianum intelligi. Antonius, a Corcyra profectus, in hunc portum in ora Illyrici situm, divertere potuit, unde brevis trajectus Brundisium est. *Crev.*

Digitized by Google

que tabernaculo Domitius imperatori;[5] et hinc Brundisium itum.

17. Quinque cohortes Cæsaris nomine Brundisium obtinebant: eæ portas clauserunt utrique, Domitium ut veterem hostem, Antonium ut hostes suos adducentem aversati. Hoc ille ratus Cæsaris voluntate factum, obsedit urbem; in lingua, per quam continenti annectitur, fossam murumque molitus; et, ne mari auxilia immitterentur, crebra circum portum et propinquas insulas castella excitavit. Sed et opportuna in littore loca præsidiis cepit, Sextumque adhortatus est, ut expeditionem faceret in Italiam. Ille gavisus occasione, Menodorum cum legionibus quatuor et magna classe in Sardiniam misit: duæque legiones Cæsaris, quæ insulam custodiebant, consensionem Antonii cum Pompeio reveritæ, in partes transierunt. Interim Sipuntum ad Ausonium mare[f] Antonius cepit. Sextus et ipse transgressus in Italiam, Consentiam obsedit et Thurios.

Dio. Appian. Dio. Appian. Dio. Appian. Dio. Appian.

18. Cæsar, his auditis, P. Servilium Rullum ire Brundisium jussit, M. Agrippam in Ausoniam, ut obsessis auxiliarentur. Sed novi coloni, qui velut adversus Pompeium sequebantur Agrippam, ubi duci contra Antonium senserunt, clam reverterunt domos. Igitur Cæsar ipse profectus, blanditiis et auctoritate pervicit, ut sequerentur: ibantque illi, re sic inter se clanculum composita, 'ut in gratiam reducerent imperatores: sin per Antonium stetisset, quominus reconciliatio fieret, tum illi dignitatem Cæsaris summa ope tuerentur.' Sed valetudo Cæsaris eum per aliquot dies Canusii detinuit; ut jam propemodum sero Brundisium accederet, septum undique munitionibus Antonianis, et sibi inaccessum. Erat tamen numero legionum superior. Idcirco Antonius e Macedo-

Dio. Appian.

5 Ita ex Appian. edidit Crev. *Imperatoris* edd. priorr.

[f] *Sipuntum ad Ausonium mare*] Sic reddit Freinshemius Appiani verba, Σιγιοῦντα τῆς Αὐσονίας. Correxit ille nomen urbis ex Dione; recte, ut putamus. Sed cum Sipuntum urbs Apuliæ sit, et ad mare Apulicum, non debuit hic maris Ausonii mentionem facere, quod, auctore Strabone, Siculum mare est. *Crev.*

Digitized by Google

nia arcessebat suas: et, ut interea opinione majorum virium Cæsarem eluderet, paganam multitudinem nocta longis rotundisque navibus amandans, quæ luce palam armata reverteretur, speciem venientium e Macedonia militum adversariis objiciebat.

19. Jam etiam paratæ machinæ erant, et in diem sequentem adornabatur oppugnatio, magno dolore Cæsaris, qui opem ferre obsessis nullo pacto poterat; cum sub noctem et Sipuntum ab Agrippa receptum esse, et rejectum a Thuriis Pompeium ad Consentiam hærere nuntiatum est. Commotus his Antonius, postquam etiam cœnanti Servilium cum mille ducentis equitibus ad Cæsarem proficisci allatum est; imperare non potuit animo, quin hos statim, amicos, qui subito parati esse poterant, assumtis, et equitibus quadringentis, adoriretur. Cum noctu fecisset iter, reperit cubantes adhuc circa oppidum Uriam, et præsentia sua territos, (maximam enim, uti diximus, existimationem ei Philippense prælium conciliaverat,) occisis nonnullis, in deditionem recepit, eademque die deduxit in castra ad Brundisium. Hinc ex prætoriis cohortibus Antonii milites gloria elati ad castra Cæsaris accedebant simul pauci, commilitonibus quondam suis exprobrantes ingrati animi vitium, qui Cassiano bello servati ab Antonio, hanc ei vicem beneficii rependerent. Contra regerebatur in Antonium culpa, fœdere facto cum parricidis et exulibus, prodentem pro quibus ipse pugnavisset. His colloquiis hactenus tamen profectum, ut Cæsariani propositum suum de[6] reducendis ad concordiam imperatoribus faterentur. Dio. Appian.

20. Inter hæc de morte Fulviæ nuntius ad Antonium venit, cui eadem mœstitia quæ morbi causa fuerat, postremo vitam ademit Sicyone: quæ res aperuit reducendæ paci viam. Forte M.[7] Cocceius Nerva, cujus postea pronepos imperavit Romæ, communis imperatorum amicus, apud Antonium commorabatur, ad eum æstate superiore missus a Cæsare, cum Cæcina Volaterrano Cæsaris fami- Dio. Plut. Anton. Appian. Acron in Hor. Sat. I. 5. Appian. Cic. ad Att. XVI. 8. Appian.

6 *In* pro *de* legebatur ante Crev.
7 In *M.* a C. quod antea erat prænomen, ex Fast. Capit. mutavit Crev.

Digitized by Google

liari. Hic igitur experiri cupiens, quid in eo temporis articulo ad sarciendam gratiam fieri posset, revocatum se fingens a Cæsare, cum dimitteretur, interrogavit Antonium, ecquid dare literarum ad Cæsarem vellet? Nam ipse literas a Cæsare ad Antonium attulerat. Ille negare literas scripturum ad hostem. Tum Cocceius, 'Hostem igitur,' inquit, 'appellandum existimas, qui in fratrem ceterosque tuos amicos tam fuit benignus ac facilis?' At vero, nec sine bile, Antonius, 'Egone hostem appellare verear, qui me non recepit Brundisii? qui provincias, qui legiones meas abstulit? Nam meos servando sibi profuit; mihi adimendo amicos, sibi beneficio obligans.' Cocceius, satis habens didicisse querelas Antonii, nec ulterius lacessere volens iracundum hominis ingenium, ad Cæsarem abiit.

21. Ille, viso Cocceio, miratus non venisse citius, 'Tuum igitur fratrem,' inquit, 'in hoc servavi, ut tu ipse mihi inimicus ex amico fieres?' Ad hæc Cocceius: 'Tu vero,' ait, 'quos amicos vocas, eccur provincias his et exercitus aufers, et ad te venientes excludis?' Tum Cæsar: 'Itane legiones Caleni defuncto illo relinquendæ fuerunt sub imperiti adolescentis imperio, ut a Lucio fortassis, aut Pollione, aut Ahenobarbo contra nos occuparentur? Quod nisi legiones quæ secutæ Plancum fuerant, retinere maturassem, essent hodie Pompeii, quemadmodum sunt equites earum, qui in Siciliam transierunt. Falso autem incusor ob exclusum Antonium: cujus ego nec præscire adventum potui, nedum ut recipi vetarem. Sed hoc injussu meo Brundisini et præsidiarii fecerunt, non sine ratione tamen, fœdus Antonii cum Pompeio formidantes, et infensum hostem Domitium, quem Antonius adducebat, damnatum parricidii proscriptumque, et, ne Philippensi quidem victoria deterritum, ne Brundisium oppugnaret, Ionium mare infestum faceret, naves meas incenderet, Italiam deprædaretur.'

22. Excepit contra Cocceius: 'Quod Antonius fœdera cum aliis fecisse dicitur, in eo reprehendi non debet: per pactiones enim vestras licet. Sed neque cum parricidis fecit, nihilo remissiore studio mortem amici, quam tu pa-

Digitized by Google

rentis exequi solitus. Enimvero in percussoribus Domitius non fuit. Ne consilii quidem conscium, irati judices damnaverunt. Si vero ut amico Bruti negamus veniam, vide ne propemodum omnibus succensere cogamur. Cum Pompeio autem non ita conventum est, ut eosdem amicos atque hostes habeant: sed ut, te movente bellum, auxilio ejus utatur; te quiescente, tibi conciliet hominem nullius et ipsum sceleris reum. In te vero et harum rerum crimen expetit. Nisi enim bellasses in Italia, nunquam hi ausi fuissent legationes ad Antonium mittere.' Vociferante Cæsare, 'non se causam ei bello, sed Manium, sed Fulviam, sed Lucium præbuisse: neque vero unquam antea Pompeium in Italiam cum legionibus descendere ausum: nunc Antonii fiducia fecisse:' 'Non,' ait ille, 'fiducia Antonii, Cæsar, sed omnino jussu. Neque enim celare te volo, ceteram etiam Italiam nulla classe defensam, cum magno navium numero incursurum esse, nisi pacem feceritis.' Hic parumper reticens adolescens, altius enim in animum ejus postrema dicta descenderant, deinde dixit, 'non impune laturum ausa Pompeium: nec abiturum aliter, quam modo a Thuriis.'

23. At Cocceius abunde ratus explorasse, quibus stimulis utrimque animi concitarentur, nec immedicabile malum esse, cœpit exponere de Fulvia, et quibus illa causis morbum mortemque accelerasset. 'Postquam igitur,' inquit, 'hæc discordiarum extincta fax est, quid vetat quominus redeatis in gratiam? Modo fateri suspiciones vestras, quam alere dissimulando malitis.' Postridie rogavit Cæsarem, 'ut literas ad Antonium scriberet, ad majorem ætate junior.' Ille negavit 'oportere ad inimicum; præsertim qui commercium hoc abrupisset prior. Sed ipsius matri Juliæ exprobraturum, quod propinqua sua et præcipuis culta honoribus Italiam fugeret: quasi vero non a se expectare omnia, tanquam a filio, posset.' Usus igitur hoc artificio ad Juliam scripsit quæ scire Antonium cupiebat, auctoritate salva. Cum hac epistola proficiscenti Cocceio multi centuriones consilium exercitus aperuerunt: nec ille negligenter exposuit Antonio, ut certum haberet grave sibi bellum imminere, ni transactum foret.

Digitized by Google

24. Una res habebat ancipitem animi, quod Pompeii præsentia obstare paci videbatur: sin vero postea conventum non esset, revocare eum Antonius probrosum judicabat. Sed persuasus a Cocceio et matre, cum Sexto egit, ut in Siciliam reverteretur: 'sibi promissa curæ fore.' Sed et Ahenobarbum abire in Bithyniam jussit, cui eum præficiebat. His rebus cognitis, exercitus Cæsaris legatos ad utrumque imperatorem misit. Atque illi neutrius audire querelas voluerunt, pacis se paratos venisse, non disceptatores litium, dictitando: evicerunteque ut Tarracinam [g] mitterent amicos de conditionibus acturos. A Cæsare Mæcenas et Agrippa venerunt, ab Antonio cum Pollione Fonteius Capito.[h] Ab his composita pax est, tam in speciem firma et fidelis, ut una intra castra ambo exercitus conducerentur, oblivione præteritorum sancita. Commodum mortuus erat C. Marcellus maritus Octaviæ, quam ex Ancharia priore conjuge pater Cæsaris susceperat. Hanc a fratre collocari Antonio pacis auctores postulabant. Nec displicuit conditio. Et cum esset gravida mulier, nequedum eluxisset virum, ne Romano more infamis haberetur, senatusconsulto legibus soluta est. Hæc vulgata tantam omnium militum lætitiam excitaverunt, ut festæ acclamationes eo die atque etiam nocte secutæ totis castris personarent. Imperatores quoque sartam bona fide gratiam mutuis conviviis testari voluerunt: notatusque est apparatus Antonii, jam ad Asiaticum Ægyptiumque luxum desciscentis; cum Romano et militari more cœnam Cæsar instruxisset.

Plut. Anton. Appian. Hor. Sat. I. 5. Plut. et Appian. Dio. Plut. Appian. Dio.

25. Sub hoc tempus, iterum diviso imperio, Antonius

[g] *Tarracinam*] Ex Horatii verbis, quo uno teste hic nititur, post Pighii Annales, Freinshemius, non videntur pacis interpretes Tarracinæ inter se totam rem agitasse, sed tantum illac transiisse. Sed et Horatii iter ad aliud tempus pertinet. Vid. not. seq. *Crev.*

[h] *A Cæsare Mæcenas et Agrippa venerunt, ab Antonio cum Pollione Fonteius Capito*] Agrippa in eo quidem fœdere, quod postea ictum est, conciliante Octavia, de quo infra CXXVIII. 40. cum Mæcenate a Plutarcho jungitur. Sed ad hoc Brundisinum fœdus eum adhibitum esse, nusquam apud veteres scriptores legimus. Fonteius quoque Capito non videtur ad hanc pacem componendam, sed ad posteriorem advocatus fuisse. Si quidem iter Horatii Sat. I. 5. descriptum pertinuit ad posterius hoc tempus, ut idoneis argumentis probat nuperus Horatii interpres, doctissimus Sanado. *Crev.*

Digitized by Google

orientem accepit, Cæsar occidentem, constituto ditionis utriusque limite Codropoli, quæ in Adriatici maris intimo sinu posita,[1] disterminandis provinciis opportuna videbatur. Africa Lepido relicta est. Et hæc divisio senatusconsulto confirmata. Bellum cum Sex. Pompeio, nisi forte pax convenisset, Cæsari mandatum: Antonio Parthicum. Domitius in gratiam receptus a Cæsare, quibus ille conditionibus cum Antonio pepigerat. Adjectum, utrique imperatori licere delectus habere in Italia, pari numero. Antonius in gratiam Octaviani, quod hactenus neglexerat, flaminio Cæsaris patris inaugurari passus est. Hoc fuit Brundisinum illud fœdus, quod tum quidem cruentissimi belli metu Italiam absolvit. Inde M. Antonius P. Ventidium in Asiam misit, ut Parthorum et Labieni conatibus obsisteret. Alii quoque imperatorum amici, quo vocabant negotia, dimissi. Sed Cæsaris milites, quotquot Philippensi bello interfuerant, Antonium circumsteterunt, pecuniam postulantes, quam ille per Asiam ad solvenda militibus præmia cogere debuerat. Nec procul periculo Antonius erat, nisi Cæsar expromissor sponsorque pro eo extitisset. Tum properatum, ut in colonias veterani dimitterentur, ne sub signis habiti tumultum renovarent.

Plut. Chron. Alex. Dio. Appian. Plut. Cic. Phil. II. 43. et XIII. 14. Vell. II. 76. Plut. et Appian. Dio.

26. At Pompeius, audita Cæsaris et Antonii conjunctione, cum adversus se initam crederet, Menam archipiratam (quod vocabulum a Menodoro, quemadmodum alii vocant, diminutum est) cum parte classis damnum aliquod inferre adversariis jussit. Ille littore Etrusco devastatis plerisque, M. Titium, naves, propriæ potentiæ stabiliendæ causa, comparantem, in Narbonensi Gallia cepit, servavitque: tum propter patrem Titium, unum ex proscriptis, qui apud Sextum degebat; tum quia milites ejus Pompeii nomen scutis inscriptum habebant. Deinde profectus in Sardiniam Menas, quam insulam paulo ante Cæsaris

Plut. Appian. Dio. Appian. Dio.

[1] *Codropoli, quæ in Adriatici maris intimo sinu posita*] Usserius in Annal. et Appiani interpres consentiunt cum Freinshemio: at non Appianus ipse, qui nominat Scodram, in *medio*, non *Adriatici*, sed *Ionii* sinus positam. Nec videmus, cur ab illo discessum sit. Scodra est oppidum Illyricum, regia olim Gentii, non longe a mari, ad fines Illyrici et Epiri nova. *Crev.*

Digitized by Google

libertus Helenus patrono recuperaverat, a M. Lurio pulsus, victorem incautius sequentem subito incursu egit in fugam. Atque illo relinquente mox insulam, cetera deditione, sed Aradin,[k] quo perplurimi ex pugna perfugerant, operibus cepit. Inter captivos et Helenus fuit, quem cum patrono sciret oppido carum, sine pretio dimisit Menas, jam tum sibi gratiam apud Cæsarem præstruens, si forte ejus benevolentia opus aliquando habuisset. Interim in Urbem ambo imperatores, magna lætitia deducentium, ovantes ingressi sunt, hoc decreto ipsis ob pacem factam honore.

Fasti Capit. Dio. Sueton. Aug. 22.

27. Mox, nuptiis Antonii et Octaviæ celebratis, in amicos effuderunt iram, quorum semper sub reconciliationem principum periculosa conditio est. Cæsar Manium Antonio criminabatur: hic contra deferebat Salvidienum. Igitur Manium Antonius sustulit, ut belli Perusini facem. Cæsar Salvidienum evocavit Romam, quasi mox remissurus. Ubi affuit, proditionis in senatu accusatus, indice Antonio, ad quem legatos Brundisium miserat; ubi se damnari vidit, voluntaria morte periit. Exercitum ejus Cæsar, ut suspectum, et supplicio ducis offensum, Antonio tradidit. Neque temere dimittenda est Salvidieni hujus mentio, in quo conspici magnum utriusque fortunæ documentum potest. Obscurissimum homini genus contigerat: sed emicans ex pueri capite flamma, dum gregibus pascendis occupatur, injecit spem desideriumque futuræ claritudinis. Inde militaribus facinoribus notus carusque Cæsari, eo dignitatis ascendit, ut, quanquam senator nondum fuisset, consul designaretur; post Pompeium et ipsum Cæsarem tertius, qui ad summum honoris gradum ex equestri ordine transcendisset. Quin et in honorem ejus, frater qui paulo ante vita concesserat, supra Tiberim exstructo ponte elatus est. At hæc felicitas repente collapsa improvisum et turpem exitum habuit. Senatus hostem publicum appellandum, supplicationesque, propter oppressa ejus nefaria consilia, decrevit, triumvirisque custodiam Urbis mandavit cum solenni carmine, 'ne quid

Plut. Appian. Appian. Dio. Appian. Sueton. Aug. 66. Vell. II. 76. Liv. Epit. Appian. Vell. Suet. Dio.

[k] *Aradin*] Hoc nomen in Sardinia incognitum nobis est. Num *Caralim?* urbem illius insulæ facile principem. *Crev.*

Digitized by Google

respublica detrimenti pateretur.' Sub idem tempus, defunctis Dejotaro Gallogræciæ et Attalo Paphlagoniæ regulis, utriusque tetrarchiæ Castori sunt traditæ. Appian. Mithr. et Civ. v. Dio. Strabo, XII. p. 562. Dio.

28. Romæ P. Falcidius tribunus plebis legem tulit, cujus vis ne nunc quidem expiravit, 'uti ne minus quam quartam partem hæreditatis ex testamento hæredes capiant: gravatam legatis hæreditatem dimittere liceat hæredi, quarta retenta.' Legem per se non iniquam, tamen in Cæsaris gratiam a Falcidio latam crediderim, inter penuriam pecuniariæ rei respicientis ad judicia amicorum mortuorum, ægreque ferentis si nihil sibi legatum esset; at majorem timentis invidiam, si quando nihil aut parum remanere apud hæredes videretur. Euseb. Chron. Justin. Instit. II. tit. 22. Dio. Sueton. Aug. 66.

29. Nam populus multis afflictus miseriis, in metu et desperatione agebat. Acri in fame frumentum nec ab oriente subvehebatur, negotiatoribus Pompeium et Siciliam timentibus; nec ab occidente, quod in ejusdem Pompeii potestate Corsica et Sardinia erant; etiam Africanos commeatus vagantes in medio mari naves ejus intercludebant. Conviciis igitur pacem cum Pompeio populus exposcebat: nec Cæsar flectebatur. Idcirco Antonius, si bellandum utique foret, celeriter hoc agendum judicabat, priusquam inopia magis ingravesceret. Edictum igitur est propositum, quo in capita mancipiorum dimidium ejus quod Philippensi bello fuerat exactum imperabatur: tum autem denarios quinos et vicenos[1] solverant. Etiam de hæreditatibus certa pars detrahebatur. Idcirco plebs furibunda deripuit edictum: favoremque Pompeianarum partium ostentans, cum Circensibus Neptuni simulacrum inferretur, ingentem plausum dedit, Sexto, qui se filium ejus Dei ferebat, gratificans: et cum die proximo solenni pompæ detrahi eam Cæsar jussisset, lapidatio in magistratus facta, iique foro expulsi sunt. Cæsaris quin immo et Antonii dejectæ statuæ. Postremo cum hæc omnia frustra essent, agmina seditiosorum cucurrerunt per Urbem, clamore vocantium ceteros minantiumque incendium ædibus, quarum domini communem causam proderent. Sueton. Aug. 16. Dio. Appian. Dio. Appian. Dio. Sueton. Aug. 16. Jul. Cæs. Dio. Appian.

[1] *Denarios quinos et vicenos*] Unclas argenti 3. grossum 1. *Crev.*

Digitized by Google

30. Ita plebe propemodum universa concitata, Cæsar cum amicis paucisque stipatoribus in medium prodiit, rationem consiliorum suorum reddituru: nec reverentia ejus cohibiti, quosdam ex ejus comitatu vulnerarunt; in ipsum quoque jaculati, præbentem se ictibus, donec veste lacerata deprecatus est tam præcipitem iram. His turbis excitatus Antonius, per Viam Sacram in forum properabat. Et abstinebat quidem ab hoc violentiam plebes, quod ad pacem cum Sexto proclivem rebatur. At ubi admonitus dissociare se a Cæsaris causa noluit, ipsum quoque missilibus petierunt. Ille, accitis militibus, qui ante portam excubabant, vi patefecit aditum, Cæsaremque eripuit. Nec sine magna cæde patrari res potuit: cadavera, ne triste spectaculum in Urbe relinquerètur, projecta in profluentem, neutiquam minore dolore hominum, cum aut a militibus, aut a malefica alia turba pro suo vindicantium quod paulo vestitum mundius esset, spoliarentur. Ad extremum, ubi quotidie graviori fame nullus sperari tumultuum finis poterat, imperatoribus animum ad pacem adjicientibus, cum Libonis familiaribus Antonius egit, e Sicilia evocarent hominem, ut affinitate nova frueretur, simul ad spem majoris conficiendæ rei. Nec illi distulerunt scribere Liboni, neque Pompeius, quominus proficisceretur, intercessit.

Dio. Appian. Dio. Appian. Dio. Appian.

31. Interea temporis Antonius et Cæsar, quanquam in exitu annus erat, abdicare consules atque prætores jusserunt, ut in eadem nomina verius quam potestatem alii sufficerentur, magnopere beneficium hoc affectantes, licet pauculos ad dies mansura dignitas concederetur. Consules suffecti sunt C. Asinio P. Canidius Crassus, Cn. Domitio L. Cornelius Balbus Hispanæ originis, et Gadibus natus, sed amicitia Cæsarum, et laboriosis ministeriis eo perductus, ut pontificatum etiam et triumphum adipisceretur: vir, qui non sine magna controversia civitatis jus obtinuerat. Idem ad tantas opes provectus traditur, ut moriens populo Romano quinos vicenos denarios legaret viritim. Et hi tamen in aliquot dies gesserunt honorem: ceterum, extrema anni die mortuo ædili, suffectus est quidam paucas in horas. Eodem anno septemvirorum munia,

Dio. Pigh. Annal. Plin. VII. 43. Vell. II. 51. Cic. pro Balb. Dio.

Digitized by Google

quod eorum in Urbe erat nemo, pontifices obierunt: sicut alias quoque fuerat factum. Iidem pontifices, ne Kalendis Januariis nundinæ essent, quod antiquitus ominosum habebatur, intercalarunt unam diem alieno tempore, quam iterum eximerent anni sequentis intercalatione dissimulata: sic existimantes reditura tempora ad præscriptam a Cæsare normam. Sed error iste[m] post aliquammultos demum annos animadversus est. Tum vero consules ludos pro victoria Philippensi votos exhibuerunt; et pædagogum libertumque suum Cæsar nomine Sphærum honorifice sepelivit.

32. Atque, ut adversus Parthos plus in oriente præsidiorum populus Romanus haberet, assensus est Antonio, Herodem regem et amicum appellanti, propter Antipatri memoriam, et ipsius virtutem. Sed Antonio magnam Herodes pecuniam promiserat. Igitur senatu ei dato, cum Messalla et Atratinus eloquentissimi viri merita Herodis commemorassent; Antonius adjecit interesse Parthici belli, ut Herodes rex declararetur. Ita ille præter omnem expectationem quæ summa censentur inter homines nactus, intra septimum, quam venerat, diem ex Italia profectus est. Nec enim, ut sibi regnum peteret, venerat; quod neque daturos arbitrabatur Romanos, minime concedere his solitos, qui de genere regio non essent. Adjecti sunt et alii honores. Exeunti curia duo imperatores texerunt latus, consulibus ceterisque magistratibus deducentibus: a quibus et sacrificia facta, et senatusconsultum in Capitolio fixum est. Novum regem eodem die Antonius convivio excepit. Sed ille in Judæam properabat ad fratrem eripiendum Josephum, ceterosque suorum, qui in Massadensi castello ab Antigono obsidebantur.

Heges. I. 30. Joseph. Antiq. XIV. 26. et de B. Jud. I. 11. Euseb. Chron. Appian. Joseph.

33. Inter hæc L. Marcio, L. F. Censorino, C. Calvisio Sabino dantibus anno nomina, quorum Censorinus Kalendis Januariis simul consulatum, simul ex Macedonia triumphans urbem iniit, Dardanis in Macedonia repressis;[n]

Dio. Fasti Capit. Appian. p. 715.

[m] *Sed error iste*] Nullus hic erat error, saltem qui vitiare Cæsarianam anni ordinationem posset. Aliud peccavit pontificum inscitia, de quo infra. *Crev.*

[n] *Dardanis in Macedonia repressis*] Dardanis repressis triumphasse Censorinum, haud omnino constat, sed non improbabilis conjectura est, de qua vid.

Digitized by Google

Dio et Appian. ibid. Dio.

senatus acta Triumvirorum omnia ab initio ejus magistratus rata esse jussit.* Vectigalia nova instituta, non sufficientibus quæ decreta dictatori Cæsari fuerant. Quippe tres jam alendi pro uno imperatores erant, et ingenii humani vitio nunquam prioribus acquiescendi sumtus auxerant, cum per civilia bella reditus minuerentur. Tum et barbam posuit Cæsar, eoque nomine populo epulum dedit; irritando magis quam placando, tantas perire per luxuriam impensas videnti inter publicam famem.

34. Nec minore tædio tot novi et indigni senatores, tot designati complures in annos magistratus aspiciebantur. Quod enim belli Parthici causa abfuturus Antonius erat, magistratus quousque voluerunt, in his consules in annos proximos octo, declararunt; neque binos in annum, ut consueverat, sed statim ab initio plures. Hactenus nim suffecti quoque consules erant magistratu citra ignominiam abeuntibus, sed ex ipsorum arbitrio: tum vero nemo creatus est annuus, sed ab initio suum cuique temporis spatium destinatum. Ex his, qui Kalendis Januariis inibant, anno eo toto consules vocabantur. Ceteri, dum obibant munia magistratus, etiam vocabulum obtinebant Romæ ac in Italia, remotioribus plerumque ignorati: unde et minores ab his consules appellabantur. In senatum porro homines adeo jam promiscui et ignoti allegebantur, ut quendam Vibium Maximum quæstorem designatum cognoverit dominus abduxeritque. Sed et inter milites repertus est servus: isque manumissus primo, ut supplicio dignitas accederet, postea de rupe Tarpeia præcipitatus est. Sub idem tempus Cæsar, filia auctus, uxorem repudiavit, idque eadem, qua pepererat, die. Morum ejus perversitatem arguebat. Sed Antonio plus crediderim, dimissam Scriboniam objicienti, fœminam gravem,° quia liberius doluisset nimiam potestatem pellicis.

Euseb. Chron. Dio.

Sueton. Aug. 61. Id. ib. 69. Sen. Ep. 70.

Pigh. Ann. *Crev.*

* A. U. C. 713. A. C. 39.

° *Scriboniam .. fœminam gravem*] Quæ a Seneca laudatur his verbis Scribonia, Libonem Drusum ad mortem sibi consciscendam hortatur, totis quatuor et quinquaginta annis post ea quæ hic narrantur. At eo usque vitam produxisse hanc Scriboniam Augusti conjugem, quæ duobus ante eum viris consularibus nupserat, haud sane verisimile est: neque id videtur omissurus fuisse Seneca. *Crev.*

Digitized by Google

Jam enim adamare Liviam Cæsar cœperat, nuper cum viro Antonium secuto reversam; adeo quidem palam, ut Drusum, qui paulo post fuit editus, ex ipso procreatum per adulterii consuetudinem suspicio fuerit. Dio. Suet. Tib. c. 4. et Claud. c. 8.

35. Dum hæc Romæ fiunt, Antonii fide excitus Libo e Sicilia Ænariam transmiserat. Quo comperto, miserabili voce populus rogabat Cæsarem, 'uti fidem et ipse mitteret legato pacis causa venienti.' Nec hoc tantum extorsit invito, sed etiam ut Muciam Pompeii matrem dimitteret; quam ad filium leniendum ire, tanquam alteram Veturiam, populus jubebat; interminatus incendium, ni proficisceretur. At Libo remittere contumaciam adversariorum sentiens, ut ipsi duces ad colloquium convenirent institit. Extudit hoc quoque violentis deprecationibus ab Antonio et Cæsare populus, ut propterea Baias proficiscerentur. Appian. Civ. v. p. 711. Vell. II. 77. Appian.

36. Sed apud Pompeium, amicis pacem suadentibus, Menodorus injiciebat moram, e Sardinia scriptitans, 'gerendum bellum, aut certe ostentandum esse, donec fame prematur Italia. Nam altero modo victoriam, altero conditiones saltem æquiores sperari posse.' Simul calumniabatur Statium Murcum (alii Staium scribunt) præcipuum pacis auctorem, non Pompeii utilitatem, sed suam respicere. Nam virum acrem, et libertis parere fastidientem oderat. Et credidit barbaræ stoliditatis adolescens, ducemque clarissimum, et jam tum in Hispania optime de se meritum, penitus abalienavit, nullis ultra de rebus ad consilium vocans. Sed et secedentem Syracusas, per tribunum quendam et centurionem ex iis quos Murcus adduxerat in Siciliam, nefarie sustulit; et ad tegendum facinus corripi jussit innocentes servos, et tanquam interfectores domini crucibus affigi. Tanto diligentius pax suadebatur a reliquis, ut, ea reddita, crudelitatem et perfidiam effugerent Sexti, duorum tam illustrium virorum[p] interitu patefactas. Hi ergo Menodorum incusabant, ut studio propriæ potentiæ bellum præferentem. Et per- Vell. Appian.

[p] *Duorum tam illustrium virorum*] Pompeii Bithynici, de cujus morte supra CXXIII. 5. et hujus Murci. *Crev.*

Digitized by Google

suasus tandem Pompeius Æaariam cum multis egregiis navibus venit, hexere ornatissima vectus.

37. Et Puteoles quidem sub vesperam, inspectantibus hostibus, prætetnavigavit splendide: juxta quam, postridie defixis in mare palis, tabulæ sunt injectæ, binique pontes effecti, modico distantes intervallo, ut inter se colloqui tuto possent. Sed frustra tum tentata pax est, Pompeio se in Lepidi locum socium potestatis duobus futurum rato; his tantummodo reditum concedentibus. Neque tamen intermissa par amicos res est, quin variæ utrimque conditiones proponerentur. Utrobique minus inclinati ad pacem imperatores erant: sed illos fames et populus urgebat, Pompeius ab amicis impellebatur. Unde aliquando veste rupta, 'prodi se ab his quos conservasset' testatus est, sæpe inclamato Menodori nomine, 'quem haberet solum et gnarum belli et firmam benevolentia.'

Dio.

Appian.

38. Sed ad extremum, matre et uxore orantibus, ad Misenum processit: ubi Cæsar et Antonius e continenti, Pompeius aggeri cuidam veteri,[q] ductibus undique cincto, insistens, inde legionibus, hinc classe stipante, fecerunt pacem his conditionibus: 'M. Lepidus, M. Antonius, et C. Cæsar divi F. iterum triumviri[r] reipublicæ constitu-

Vell. Dio.

Plut. Anton. Liv. Epit. Sueton. Aug. 16. Fasti Capit. Numm. ap. Pigh. Dio. Plut. Vell. Appian.

[q] *Aggeri cuidam veteri*] Immo ad hunc ipsum congressum Dio scribit illum aggerem structum esse. *Crev.*

[r] *M. Lepidus, M. Antonius, et C. Cæsar . . . iterum triumviri*] Illos sibi triumviratum prorogasse constat ex Fastis Capitolinis, et omni illorum temporum historia; sed quonam tempore, incertum facit scriptorum incuria. Appianus et Dio hanc prorogationem referunt ad tempus Tarentini fœderis, post tertium abhinc annum inter Cæsarem et Antonium, Octavia conciliante, icti, de quo infra CXXVIII. 40. Nimis sero, cum prior triumviratus finiri debuerit ultimo die ejus anni, quo Ap. Claudius et C. Norbanus consules fuerunt. Rursus vero immaturum fortasse videatur hanc prorogationem nunc decerni, anno integro et amplius, ante constitutum ab initio triumviratui finem. Vid. supra CXX. 26. Multo minus verisimile erit eos, quod innuere videtur Freinshemius, ex hoc ipso tempore alterius triumviratus, decurtato priore, initium sumsisse. Videmus tamen quid secutus sit. Appianus scribit, Pompeio Siciliæ imperium in tot annos permissum esse, quot Cæsar et Antonius cum imperio forent: Dio, in quinque annos. Ideo Freinshemius existimavit hinc omnes rursus quinquennale imperium auspicari debuisse. Accedit id quod supra ex Appiano memoratum est, Pompeium putasse sese in Lepidi locum a Cæsare et Antonio ascitum iri. Unde apparet in illo congressu de triumvirata

Digitized by Google

endæ' fiebant 'in quinquennium, nihil morati populi suffragia. Sicilia provincia Pompeio relinquebatur, cum Sardinia Corsicaque et ceteris quas tum habebat insulis, in totidem annos. Achaia etiam concessa, et, ut consulatum absens, per quem vellet amicorum, gereret, augurque crearetur, et ex paternis bonis acciperet sestertium septingenties.[a] Fugitivis qui sub Pompeio militarant, libertas dabatur: liberis, ubi stipendia completa habuissent, eadem præmia, quæ data essent Cæsaris et Antonii militibus. Exulibus, præterquam publico judicio parricidii damnatis, reditus concedebatur: qui eorum sponte fugissent, his omnia bona sua, mobilibus exceptis; iis vero qui proscripti fuissent, quadrans bonorum restituebatur. Nonnullis nominatim magistratus et sacerdotia destinabantur. Pompeius ex omnibus Italiæ locis deducere debebat præsidia; neque fugitivos recipere amplius; neque naves ad Italiæ littus applicare.' Adjectum erat, 'uti nullas præterea pararet naves, securitatemque præstaret Italiæ a piratis, et frumentum ex insulis quantum populo Romano ex unaquaque per annos præteritos deberetur, et in posterum annuum vectigal in Urbem mitteret.' Hæc conscripta consignataque deferenda Romam curaverunt, ut loco sanctissimo a Vestalibus asservarentur. Congressique et osculati invicem sorti commiserunt apud quem eorum prius epulæ pararentur. Dio. Appian. Plut. Appian.

39. Inter hæc ab innumera multitudine militum pariter ac paganorum tantus præ gaudio sublatus clamor est, ut, montibus repercussu augentibus vocem, quidam exanimati sono dicantur; multis etiam inter concursationem obtritis atque suffocatis. Nam ut ejusdem civitatis homines, plerosque amicitiis aut propinquitate junctos, tantus se invicem complectendi ardor incesserat, ut multi Pompei- Dio.

actum esse. Sed vanam hanc esse conjecturam, eosque alterum triumviratum inisse, exacto demum priori triumviratu quinquennio, id est, Kal. Januariis ejus anni, quo Agrippa cum Gallo consulatum gessit, ex Epit. lib. CXXXII. colligitur, in qua tunc finitum triumviratus tempus dicitur, cum erupit Cæsarem inter et Antonium discordia. Idem astruitur et ex Fastis quoque Capitolinis. Vid. Sigon. Comment. in Fastos ad annum 716. *Crev.*

[a] *Sestertium septingenties*] Marcas argenti nostrates 273437. uncias 4. *Crev.*

Digitized by Google

anorum, non expectato, donec ad littus naves appellerentur, in mare prosilirent; et contra pari studio a terra occurrentium, inter medios fluctus cohærerent. Neque tantum qui suos incolumes receperant, personabant lætitia; sed augebatur strepitus suas etiam partes agente luctu. Nam quorum oculi propinquos frustra requisiverant, cum fletu gemituque scrutabantur omnia: ut etiam quibus propria doloris aut gaudii[8] causa non esset, aliorum affectibus abriperentur. Sic et dies ab his, et noctis major exacta pars est.

Appian. Dio. Vell. Auct. de Vir. Ill. in Sext. Pomp. Plut. Appian. Dio.

40. Interim et aliorum celebrata sunt frequentia convivia, et Pompeius, admota ad molem hexere, Cæsarem et Antonium excepit; haud infacete dictitans, 'in carinis suis se cœnam dare.' Nam Carinæ loco nomen erat, in quo paternas ejus ædes Romæ sitas Antonius possidebat. Inter hujus convivii lætitiam insusurrasse Pompeio Menodorus fertur, nullo negotio jam tolli adversarios, patremque et fratrem vindicari posse: atque ille, paulisper secum considerato, respondisse; 'Non erat hoc facinus indignum Menodoro, si perfici absque me potuisset. Nunc autem contenti simus præsentibus. Nec enim pejerare meum est.' Sequentibus diebus Antonius et Cæsar Pompeium invitarunt, positis in mole tabernaculis, ut etiam in littore præberi epulum militibus posset: nisi forte ideo factum est, ut contra suspicionem ad manus haberent præsidia. Nec enim hactenus erat instaurata amicitia, ut invicem simpliciter confiderent. Sed et naves erant præsto, et satellites, ipsique convivæ sub veste accincti discubuerant.

Appian.

Dio. Appian.

41. Inter istas epulas Pompeii filia, Libonis neptis, M. Marcello desponsa est, qui sorore genitus Cæsaris, et privignus Antonii erat. Postera deinde die consules ita sunt designati, Antonius et Libo; ita ut Antonius quoque pro se substitueret quem voluisset: deinceps Cæsar et Pompeius: mox Ahenobarbus et Sosius: postremo Antonius et Cæsar, qui tum tertium futuri consules, rempublicam reddituri populo Romano sperabantur. Sed appa-

8 *Odii* edd. ante Crev.

Digitized by Google

ret tamen proximum in quadriennium mansisse collegia consulum, qualia paulo ante designata Romæ fuerant: Pompeio quoque consulatum, et Antonio tertium perisse, hostibus his interim judicatis.

42. His ita compositis Pompeius in Siciliam rediit, Cæsar et Antonius Romam, magna totius Italiæ lætitia, cui pax hæc plurimorum malorum attulisse pausam videbatur. Igitur imperatoribus, quacumque transirent, tanquam servatoribus honores nimii habebantur: erantque Romæ præparata omnia, ut quam magnificentissime exciperentur. At illi, dubium impensam an invidiam vitantes, noctu introiverunt. Nec erat quisquam expers lætitiæ, præter eos qui bona possidebant redeuntium: quos utique vicinos iniquos habituri, et, si casus daret, acerbos inimicos videbantur. Cetero populo jucundissimum spectaculum fuit, tot illustres viri patriæ redditi. Nam plerique omnes qui cum Sexto fuerant, exceptis paucis, eo Puteolis salutato Romam navigarunt, magnisque et lætis hominum clamoribus accepti sunt. In his L. Arruntius fuit, et M. Junius Silanus, et C. Sentius Saturninus, et M. Titius, omnes postea summis sub Cæsare honoribus usi. Plut. Appian. Vell.

43. Conjunctissime sub id tempus Antonius et Cæsar agebant, multaque constituebant et decernebant concorditer in rebus maximis. Sed familiaris consuetudo, dum inter relaxationem animorum ludicris certaminibus transigunt tempus, semper priores ferente Cæsare, fieri cœpit Antonio injucundior. Sive enim aleam luderent, sive committerent gallos aut coturnices, inferior ille discedebat. Igitur præbere aures cuidam Ægyptio vati cœpit, qui sive in Cleopatræ gratiam, sive persuasus ita esse, monuit, 'genium ejus per se grandem ac magnificum, a genio Cæsaris, quoties una agerent, quodammodo in ordinem cogi.' Et profectus est in Græciam, abducta secum Octavia, quæ nuper filiolam ex Marcello[t] pepererat: Plut. et Appian. Parth. Dio. Appian. Civ. v.

[t] *Filiolam ex Marcello*] Si quidem gravida nupsit, ut dictum est supra, c. 24. auctore Dione. Plut. tamen loquens de hujus filiolæ ortu, eam ex Antonio susceptam fuisse innuit; θυγατρίον γεγονότος αὐτοῖς, Antonio et Octaviæ. *Crev.*

Digitized by Google

Plut. Appian. iteremque dimisit quaequaversum duces, Furnium quidem in Africam, ut Sextii quatuor legiones abduceret, nondum enim occupatas a Lepido cognoverat: ceteraque suo arbitratu ordinavit omnia. Quippe senatusconsulto cautum erat, 'ut non acta tantum ejus, sed etiam agenda rata essent.'

Dio. 44. Igitur simul cupiditati suæ satisfaciens, simul odio, ut debiliorem Pompeio provinciam relinqueret, urbes Achaiæ affligebat; inter alia Bacchum se appellans, atque ita se appellari a ceteris jubens. Nam ædificato cœnaculo, quod coopertum virenti fronde Bacchi referret antrum, tympanis et nebridibus et reliquis adhibitis orgiorum instrumentis, cum amicis perpotavit: ministrantibus Italicis acroamatis, et universa ad spectandum concurrente Græcia.

Athen. IV. 12.

45. Idem aliquando in arcem ascendit Athenis, inter lumina tota urbe relucentia de tectis: et ex eo tempore præcepit, 'uti per omnes civitates voce præconum novus Bacchus acclamaretur.' Sed et statuis hoc subscribi nomen jussit, habituque et comitatu Bacchum simulans, ab Atheniensibus, qui ei cum conjugibus et liberis occurrerant, ita salutatus est. Adjecerunt 'despondere se ei Minervam suam.' Et accepit ille conditionem, sed mille talenta [u] nomine dotis imperans. Tum aliquis Græculorum, 'At matrem tuam Semelen,' inquit, 'Jupiter duxit indotatam.' Nec ideo minus exacta pecunia est; irrisique et elusi qui stultitiam Antonii non minore dementia deriserant. Inde verso favore civitatis, multi propositi sunt libelli contumeliosi; quidam et ipsi traditi: sed et statuæ ejus subscripta nomine Minervæ et Octaviæ divortii formula, 'res eum suas sibi habere' jubentium. Unde ne tempus quidem ad pecunias cogendas Atheniensibus dare volenti Q. Dellius festive dixit, 'Et tamen scito illos tibi annua bima trima die [x] debere:' tanquam secundum leges Romanas dos peteretur.

Dio. Vell. II. 82. Sen. Suasor. I.

Dio. Sen.

Cujac. Obs. XI. 20. Gron. in Sen. Suasor. I.

46. Inter hæc exercitum ita distribuit, ut partem in

Appian.

[u] *Mille talenta*] Marcas argenti 93750. *Crev.*

[x] *Annua bima trima die*] Tribus pensionibus in tres annos distributis. *Crev.*

Digitized by Google

Epiro collocaret, quosdam in Parthinos Illyricam gentem, alios in Dardaniam mitteret, locupletandi simul militis exercendique causa. Hæc, alia repente persona sumta, palliatus et phæcasiatus agebat, remoto imperatorio fastu, cum binis forte amicis totidemque famulis, rhetorum aut philosophorum scholas obiens: cœnitabatque cum Græculis eorum more, et cærimoniis festisque suaviter intererat; Octavia quoque frequenter adhibita, cujus amore homo mulierosus vehementer exarserat. Interim et nuntium accepit de victoria P. Ventidii, quem contra Parthos provinciis orientis præposuerat. Plut. Appian. Plut. Liv. Epit.

47. Nam is strenue profectus, Labienum securius agentem occupavit: diffisumque viribus, quippe dimissis Parthis tantummodo collectas ex Asia copias retinebat, inde refugere in Syriam coëgit: assecutusque cum expeditis circa Taurum montem, longius procedere vetuit. Eo loci complures per dies castris positis ambo quieverunt; Labienus, ut Parthos acciret interea, Ventidius ut gravem armaturam. Forte sub idem tempus utrique expectata auxilia venerunt. Sed Ventidius, Parthicum equitatum timens, de superioribus locis non degrediebatur: Parthi, numero freti, et successu victoriarum alacres, luce prima, priusquam cum Labieno conjungerentur, accedere ad tumulum, et nemine contra exeunte, subire cœperunt: quippe Ventidius per simulationem metus suum militem continebat. Sed ubi mox iniquis locis hæserunt hostes, eruptione Ventidianorum subita turbati, seque impedientes, dum refugientibus primis, postremum agmen urget ascensum, magna parte copiarum amissa, conciverunt fugam. Nec ad Labieni castra consistere ausi, Ciliciam petierunt. Ventidius ad vallum Labieni suos constituit. Sueton. ap. A. Gell. xv. 4. Dio. Frontin. Strat. II. 5. 36. Dio.

48. Et Labienus ordines tanquam dimicaturus instruxerat; sed suorum animos clade barbarorum territos videns, hoc agebat, ut, re in noctem extracta, per tenebras se subduceret. Emanavit consilium per transfugas, et, dispositis insidiis, Ventidius magnam fugientium multitudinem occidit: ceteros omnes in Antonii nomen sacramento adegit, nullo jam usquam Labieno. Is enim mutata veste profugerat. Et interim quidem in Cilicia latuit: postea Flor. IV. 9. Vell. II. 78. Plut. Anton. et Appian. Parth. Dio.

Digitized by Google

requisitus et deprehensus est a Demetrio, quem superioris Cæsaris libertum Antonius Cypro præfecerat. Interea Ventidius, recipienda ordinandaque Cilicia occupatus, Upedium Silonem cum equitatu ad portas Amani præmisit, quæ Syriam a Cilicia angusto transitu dirimunt. Sed Barzapharnes Parthus, prælio commisso, Romanos in summum discrimen adduxerat, nisi Ventidius mira quadam felicitate pugnantibus supervenisset. Parthus enim et improvisa re consternatus, et viribus jam impar, cum multis aliis interfectus est. Sunt qui Ventidium copias exiguas habentem, insidias posuisse Barzapharni tradant, cohortibus octodecim in occulta valle, et equitatu post militum terga collocato. Huc illectum barbarum, simulata Romanorum fuga, circumventum.

Frontin. Strat. II. 5. 37.

49. Utro modo gesta res fuerit, id satis constat, altero hoc prælio cæsos a Ventidio Parthos præcipui nominis ducem amisisse. Hoc certe interfecto, excesserunt Syria, provinciamque Romanus, præter Aradum, nemine jam repugnante recepit: atque inde in Palæstinam transgressus, prope Hierosolymitarum urbem castra posuit. Sed, Antigono pecuniam affatim dante, cum maxima copiarum parte digressus, ad tegendam dissimulationem cohortes aliquot reliquit, Silone præfecto, quem et ipsum mox pecuniis aggressus Antigonus, otium redemit, donec iterum succurrere Parthi possent. Igitur neque propinquis Herodis, qui Massadæ obsidebantur, subventum: et Josephus, urgente siti, cum viris ducentis fugam tentaturus in Arabiam fuerat, nisi proximæ noctis imbre refectus, completæque aqua cisternæ forent.

Plut. et Appian. Liv. Epit. Dio. Joseph. Antiq. XIV. 26. et 27. et de B. Jud. I. 12. Dio. Hegesip. I. 30. Joseph.

50. Sed Herodis adventu bellum acrius cœptum, cum missus ab Antonio Dellius, a Romanis ducibus adjuvari regem juberet. Ceterum Ventidius civitates quæ defecerant ad Parthos recipiebat, magnam pecuniam mulctæ nomine singulis imperans. Sed Malchus Arabiæ rex præ ceteris ingentem summam pependit. Tandem Silo, junctis cum Herode copiis, Joppen expugnanti affuit: dein, soluta Massadæ obsidione, Hierosolymam petentem secutus est. Sed corruptus Antigoni pecunia, neque valde utilem operam præstitit, et concitavit milites, ut ante

Digitized by Google

tempus in hyberna deduci postularent. Sed Antonius, cognitis Ventidii rebus, epulum Atheniensibus publice præbuit, ludosque gymnicos fecit, quibus ipse gymnasiarchæ munus obiit: cumque de his Romam scripsisset, supplicationes ejus nomine decretæ sunt, cujus auspiciis ista Ventidius gessisset. Sed et alius legatorum Antonii Pollio, qui missus in Parthinos fuerat, Illyrios circa Epidaurum aliquot præliis fudit.

Plut. et Appian. Dio. Flor. IV. 12.

51. Sub idem tempus Cerretanos tumultuantes, (obtinebant autem convalles Pyrenææ sylvæ,) Cn. Domitius ex consulatu missus in Hispaniam coërcuit. Ii legatum ejus, exceptum insidiis, et a militibus derelictum, vicerant. Ideo Domitius, priusquam in hostem duceret, sontes ad concionem dissimulanter vocatos reliquis copiis circumfudit, cognitaque causa, manipulum unum, penes quem maxima flagitii pars hærebat, decimavit. In centuriones etiam aliquammultos, et primipili Vibullium animadvertit. Hæc severitas ad victoriam profuit, et, cum miles imperatorem magis quam hostem metueret, Cerretani haud difficulter debellati. Ob eas res gestas et huic et Pollioni decretus triumphus est. Sed Domitius postea triumphavit; Pollio statim A. D. VIII. Kalendas Novembres ex Parthinis. Nec semel triumphasse contentus, filium sibi natum sub eadem tempora Saloninum vocavit, a maritimo Dalmatiæ oppido, quod eodem bello ceperat.

Strabo, III. p. 162. Vell. II. 78. Dio. Vell. Dio. Hor. II. Carm. 1. et ibi Porph. Fasti Capit. Serv. in IV. Ecl. Virg.

52. Idem Pollio, summus eorum temporum orator, insignis historicus, studiorum patronus eximius, bibliothecam Romæ primus publicavit in atrio Libertatis, quod ex manubiis refecerat: imaginibus doctissimorum virorum ibi positis; in his Varronis, unius eorum qui tum adhuc viverent.

Flor. IV. 12. Hor. Plin. VII. 30. et XXXV. 2. Lips. de Bibl. c. 5. Sueton. Aug. 29. Plin.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXVIII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Dio, XLVIII.

1. Appio Claudio C. F. Pulcro, C. Norbano C. F. Flacco, consulibus, qui primi binis quæstoribus usi sunt, multa Romæ gravia ac terribilia inciderunt.* Nam et plebs, propter sævitiam exactorum, cum iis eorumque militibus dimicavit; et sexaginta septem prætores numerati sunt, aliis subinde suffectis in aliorum locum. Sed et puer quidam, quæstor creatus, postridie togam virilem sumsit: et senator pugnare inter gladiatores cupiens, causam dedit edicto, quo senatores muneribus gladiatoriis dimicare, servi lictores fieri; mortui propius ab Urbe mille nongentos passus cremari vetabantur.

Oros. VI. 18. Dio.

2. Sibyllini deinde libri sunt aditi, prodigiorum causa. Nam et paulo ante hoc tempus, e taberna meritoria trans Tiberim oleum scaturiens, per totum diem largissimo rivo fluxit. Tum autem et cella Romuli sacrificio, quod forte pontifices ibi faciebant, arsit: et simulacrum Virtutis ante portam quandam positum, in faciem procubuit: et quidam furore Cybeles correpti, matrem Deum irasci populo Romano canebant. Idque confirmarunt, libris inspectis, quindecimviri, jusseruntque deportari Deam ad

* A. U. C. 714. A. C. 38.

Digitized by Google

mare, atque unda marina lustrari. Traditurque res mira dictu, nisi quod, horum semel cognita causa, nihil inde provenientium mirabile est; simulacrum longissime intrasse in mare, vixque aliquando rediisse ad littus. Major exinde metus Romæ fuit, majorque numinis averti fides: neque mutarunt prius opinionem homines, quam circum sedem ejus, et in foro palmæ quatuor enatæ sunt.

3. Tum et Liviam sibi matrimonio junxit Cæsar, Neronis uxorem, et uterum ferentem ex eo. Quod quia ignominiosum jure Romano erat, consuluit pontifices Cæsar, 'an concepto, necdum edito partu, rite nuberetur?' Responsum est, 'propter turbationem sanguinis gravidarum nuptiis interdici. Hic vero, quoniam sextum mensem gravida sit Livia, satis liquere ex utro marito conceptus fœtus sit: nihil ergo vetare quin matrimonium coëat, quemadmodum nuper Octavia[a] in manum Antonii convenisset.' Hæc illi reperta forte in majorum institutis responderunt; ceterum non alia dicturi, etiamsi alia reperissent. Sueton. Aug. 62. et Tib. c. 4. Tac. Ann. I. 10. Dio.

4. His nuptiis prior maritus auctor extitit, quasi patris vicem nuptum dans uxorem modo suam, discubuerantque Cæsar et Livia seorsim. Et puerulus quidam nudus, quales tum habere nobiles, matronæ solebant in deliciis, ad Liviam conversus, 'Quid hic agis,' inquit, 'domina? En maritus tuus isto loco accubat,' digito demonstrans Neronem. Postea Claudium Drusum Neronem enixa est Livia in penatibus Cæsaris, qui 'remissum eum a se patri' commentariis suis intulit. Neque diu supervixit pater Nero, liberorumque suorum tutorem Cæsarem reliquit. Hæc gesta largam præbuere materiam sermonibus, et inter alia vulgatus est versus, qui mox in proverbium abiit, 'felicibus esse vel trimestres liberos.' Vell. II. 79. Dio. Sueton. Tib. 4. Dio. Sueton. Claud. 1.

5. Iisdem temporibus Mauritaniæ regno Bogud Bocchi F. excidit, qui persuasus a L. Antonio sub bellum Perusinum, Carinatem a Cæsare ulteriori Hispaniæ præfectum armis petiverat. Nam, deficientibus interea Tingitania, cum et domi exclusus, et in Hispania Bocchi paterni hos- Dio. Appian. Civ. l. v. p. 686. Dio.

[a] *Quemadmodum nuper Octavia*] Hoc non plane constare jam observimus ad c. 43. lib. præcedentis. *Crev.*

Digitized by Google

tis auxilio victus esset, exul ad M. Antonium se recepit. A Cæsare Boccho regnum quod occupaverat confirmatum est; Tingitanis civitas data.

Appian. Civ. l. v. p. 716. et Dio. Appian.

6. Neque diu post male sarta inter Pompeium et Cæsarem gratia rescissa est, haud dubie causas quærente potius, quam orto ex oblatis, odio. Sed Achaiam Pompeius ægre ferebat ab Antonio detineri prætextu pecuniæ, quam sibi deberi a provincialibus ille contendebat: contra Pompeius illa quoque debita simul cum provincia fœderis legibus sibi concessa interpretabatur. Igitur sive hac motus injuria, sive, ut Cæsar dictitabat, ingenio perfidus, et Menodoro credens inducias eas potius, quam pacem habendam dictitanti, sive ægre ferens illis tantos esse exercitus; comparare novas naves, deligere remiges, et ad exercitum ita concionari cœpit, ut majore apparatu sibi opus esse diceret. Inter hæc et piratæ ex insidiis infestabant mare clanculum; ut vix sentire levamen populus famis posset, vulgoque jactaretur, 'non esse quæsitum ea pace laborum finem, sed tantummodo tribus dominis quartum accessisse.' Sed correpti quidam piratæ tortique, auctorem Pompeium ediderunt. Atque indicavit eam rem populo Cæsar, et cum Pompeio per literas questus est. Ille purgans se de objecto crimine, vicissim Achaiam sibi non restitui et ab Antonio vexari exprobravit.

Liv. Epit. Appian.

7. Cum in eo res essent, magnum maturando bello momentum Menodorus attulit, repente ad Cæsarem transgressus his causis. Potentiam hominis ægerrime patiebantur quotquot remanserant apud Pompeium nobiles. Sed adolescentis aures solis libertis patere gnari, aliquos ex eo genere induxerunt, ut Menodorum veluti patrono imperantem criminarentur. Atque illi quod ultro facere per invidiam cupiverant, cum assensu tantorum virorum et præmio facturos rati, occasionibus non defuerunt. Forte et alioquin suspicionem patroni Menas incurrerat, Heleno dimisso, liberto Cæsaris, colloquioque deinceps cum ipso Cæsare habito. Idcirco, missis quibusdam, Pompeius adesse ad rationes frumenti pecuniæque administratæ reddendas jussit.

Dio et Appian.

Dio.

Digitized by Google

8. Commodum e libertis Cæsaris Philadelphus ad frumentum e Sardinia deportandum venerat. Cum hoc fidissimum amicorum Micylionem Menodorus Romam misit, si receptus fidem obtinuisset, Sardiniam Corsicamque cum tribus legionibus, sexaginta navibus, et multis amicis suis offerens. Et dubitavit aliquamdiu Cæsar. Sed ubi fidem ab eo datam Menas didicit, comprehensis qui, evocandi eum causa, a Pompeio venerant, et interfectis, classem et exercitum Cæsari tradidit. Neque dedidit reposcenti Pompeio Cæsar, ab ipso violata fœdera, fugitivis recipiendis, triremibus ædificandis, retinendis in Italia præsidiis, arguens. Quin et magnis honoribus affecit Menam, asseruitque in ingenuitatem, et annulis aureis ornatum in equestrem ordinem recepit: neque enim tum adhuc cuiquam inferioris loci gestare annulum aureum licebat. Cœnæ quoque suæ adhibuit; quem honorem nulli, nec antea, nec postea, libertino habuisse traditur. His cognitis, Pompeius Menecratem, et ipsum libertum suum, ad infestandam Italiæ oram misit, a quo Vulturnum, et alia quædam Campaniæ loca vastata sunt.

Appian. Oros. VI. 18. Appian. Dio. Sueton. Aug. 72. Appian. Dio. Sueton. Appian. Dio.

9. Idcirco Cæsar velut necessarium bellum suscepturus, tabulas Pompeiani fœderis recepit a Vestalibus, ex Africa Lepidum, ab Athenis Antonium ad communicanda consilia ciens. Sed Lepidus ad trajiciendum fuit segnior. Antonius vere primo cultum animumque imperatoris resumserat; navesque deduci jusserat ad Parthicum bellum. Eo celerius Brundisium venit. Sed ubi statum ad diem non affuit Cæsar, qui tum in Etruscis agens, Ravenna naves longas, ex Gallia copias cum apparatu Brundisium et Puteolos mittebat, utrimque invasurus Siciliam, si idem Antonio videretur; ille, sive magnitudine Cæsariani apparatus commotus, (nam in societate potentiæ collegarum opes ægris oculis aspiciuntur,) sive prodigio territus, in Græciam rediit. Quippe feræ militem circa tabernaculum ejus excubantem devoraverant, sola facie quasi in hoc relicta ut agnosci posset; augebatque religionem, quod neque clamor auditus esset pereuntis, neque ceterorum vigilum quisquam quicquam sensisset. Sed Brundisini quidam retulerunt, sub ori-

Liv. Epit. Dio. Appian. Dio. Appian. Dio. Appian.

Digitized by Google

entem diem a se visum esse lupum, cursu se proripientem ex tentoriis.

Dio. Appian. 10. Ipse, scriptis ad Cæsarem literis, festinandum sibi ostendit ad Parthicum bellum: auctorque ei fuit non discedendi a fœderibus. Menodoro quoque, cui belli causam imputabat, servitutem minatus est, tanquam fugitivo suo, quod nimirum Pompeii Magni bona, in quibus et Menodorus tum fuerat, emta a dictatore Cæsare possideret. Dio. Destitutus ab Antonio Cæsar, quanquam ideo hoc fieri existimabat, ut suis unius opibus sustinere Pompeium cogeretur, intentiore cura bellum apparabat; multis præsidiis per oram Italiæ munitis, navibusque Romæ et Ravennæ fabricari jussis. Appian. Sed et ex Illyrico magnum exercitum evocavit. Menodorum suæ classis ducem Calvisio Sabino legatum dedit, quem universæ rei maritimæ præfecerat. L. Cornificium L. F. deportare Tarentum partem Ravennatis apparatus jussit. Hunc adorta tempestas jactavit classem. Ceterum navis una tantum perfracta est, quæ prætoria parata Cæsari fuerat: eaque res in omen tracta futuri.

11. Postquam omnia satis instructa Cæsar existimavit, populo Romano per literas, exercitui coram belli causas exposuit; quod, assensu plerorumque, contra fidem pactorum suscipi Pompeius testabatur; idque etiam Antonio visum, qui propterea socius esse impiorum armorum noluisset. Pompeium igitur Cæsar auctorem novarum injuriarum esse demonstravit, piratarum et Menodori indicio: mentemque Antonii deprehendi ex eo posse, quod Achaiam Pompeio non redderet. Inde, celeritate adhibita, et ipse navigavit in Siciliam a Tarento, Calvisius Oros. VI. 18. Appian. cum L. Statilio Tauro et Menodorus ab Etruria; legiones terrestri itinere Rhegium petierunt.

12. Pompeius Cæsarianæ classi Menecratem opposuit, infestum invisumque Menodoro, fortunæ et animorum similitudine. Hic obviam factus hostibus sub vesperam, coëgit eos ex alto refugere in sinum, qui supra Cumas est: ipse applicuit Ænariam. Luce reddita, rursum adeptus secundum littus navigantes lunata acie, cum aliud agere non posset, magno impetu invectus ad terram compulit.

Digitized by Google

At illi inde repugnabant, impari quidem certamine, cum ejectæ in littus naves immobiles hærerent, neque vitandis hostibus, neque impetendis habiles. Ergo pro meliore Pompeianis erat pugna, qui libero incursu fatigabant adversarios, fessosque suos, summissis[1] in eorum locum recentibus, otiose recipiebant.

13. Sed inter hæc Menodorus et Menecrates, cum se forte conspexissent invicem, omni alia re postposita, magno clamore concurrerunt. Neutra navis inde læta abiit: Menodori præfractum rostrum est, Menecratis remi altero latere detersi. Sed jam utrimque ferreæ manus injectæ tam rostra quam remos inutiles effecerant: et tanquam pedestri prælio viribus et manu certabatur. Menodori navis erat aliquanto altior: ergo et commodius in adversam injici pontes poterant, et missa inde tela majore violentia incidebant. Forte sub idem tempus dux uterque vulnus accepit: Menodori brachium transfixum est, Menecratis femur. Sed verutum facilius evelli potuit; hamata sediferrea Hispanica Menecratem inutilem pugnæ reddebat. Nec tamen ille desiit hortari suos, donec capta jam nave, se perveniret in manus inimici, medios in fluctus se præcipitem dedit. Dum hæc ad sinistrum cornu geruntur, Calvisius a dextro eodem profectus, naves quasdam Menecratis, abruptas a suis, persecutus est. Interim Demochares, ipse quoque Pompeianus libertus, Menecrati legatus additus, Calvisianas reliquas naves in fugam, nonnullas in saxa compulit, relictasque a classiariis incendit, donec revectus ex alto Calvisius et reduxit fugientes, et incendium navium restinxit. Dio. Appian.

14. His rebus gestis, cum nox supervenisset, utrique suas in stationes redierunt, nec victi, neque pro victoribus. Sicut enim de classe Cæsaris longe plures amissæ naves fuerant; ita Menecratis interitu satis pensatum id detrimenti videbatur. Certe Demochares eo casu turbatus, simul, se transiret in Siciliam Cæsar, timens, quem a Tarento Rhegium isse audierat, sublatis anchoris abiit; et Calvisius, reparata classe, oram legens, paulatim insecutus Dio et Appian.

1 *Fessosque summissis* edd. ante Cuv.

Digitized by Google

Appian. est. Sed Cæsar a Rhegio cum magno militum et navium numero fretum ingressus, cum amicis placeret pugnari cum Pompeio, quadraginta tantum naves secum ad Messanam habente, non paruit, festinationem temeritatemque semper damnare solitus, et 'satis cito fieri' dictitans 'quæ satis fiant bene: neque suscipiendum prælium esse, nisi cum majora periculis commoda proponerentur. Nam ob mediocria pugnantes aureo hamo piscari.'

Sueton. Aug. 25.

Appian. 15. Sed interim Demochares Messanam reversus, in locum Menecratis præfecturam classis accepit, collegamque Apollophanem, qui itidem Pompeii libertus erat. Et Cæsar, auditis quæ ad Cumas erant acta, per fretum navigabat, ut Calvisium conjungeret. Jamque Stylida prætervectus Scyllæum flectebat, promontorium Italiæ, cum a Messana Pompeius excurrens, aggrediendo proximas naves, insequendo prægressas,[b] universam classem attinuit. Neque tamen ad prætoriam ceteræ se receperunt, non sinente Cæsare, sive propter angustiam locorum, sive secundum prius decretum vitante pugnam. At Demochares cum Apollophane binis navibus aggressi singulas, tamen haud multum proficiebant; propugnantibus e contra legionariis, et magnitudine rostratarum, quæ a minoribus vix tuto impetebantur.

Dio. Appian.

16. Sed ubi Pompeiani, receptis fessis atque sauciis, subinde in pugnam reducebant integros, neque rostris tantum, sed etiam jaculis ignitis sæviebant; urgeri Cæsariani, pulsaque ad littus navigia, hostibus instantibus, inter se, aut ad saxa collidi, geminumque plane Cumano negotium esse. Ibi Cæsar, exscensione facta, succurrebat periclitantibus, adnantes suscipiens, deducensque in editiora. Sed Cornificius ceterique duces cohortati invicem, injussu imperatoris abruptis anchoralibus, in altum evecti sunt, ut potius ausi aliquid perirent, quam hostibus se obterendos darent immobiles. Nec male cessit audacia,

Dio. Appian.

Dio. Appian.

[b] *Insequendo prægressas*] Sic edidimus, cum prius legeretur *progressas*. Ceterum vox Græca πρόπλους speciem quandam navium designat, exploratorias nempe, quæ reliquam classem præcurrunt. *Crev.*

Digitized by Google

prætoriamque Democharis Cornificius cepit, præfecto in aliam navem transiliente. Interim et nox appropinquabat, et cum Calvisio et Menodoro Cæsaris alia classis: qua conspecta Pompeiani discesserunt, isque casus servavit reliquas Cæsaris naves, ne prorsus omnes abstraherentur ab hostibus, aut immisso igne deflagrarent.

17. Ea nocte plerique, relictis navibus, in montes se receperunt, accensis ignibus fortunam significantes. Ipse Cæsar inter rerum omnium egenos circumcursitans, durare jubebat donec dies redderetur. Nec a navibus quicquam erat auxilii, quæ jam tempestate jactari cœperant: et Calvisium adesse nesciebant. Pompeianis enim solis visus erat, qui longius a terra disjuncti, prospicere facilius in altum potuerant. In hoc articulo necessitatis bona quædam fortuna Cæsari tertiam decimam legionem adduxit, quæ, clade cognita, per aspreta contendit ad ignes, imperatoremque suum ab omnibus famulis derelictum, et commilitones fessos atque famelicos recrearunt. Tum vero circumquaque nuntios dimisit Cæsar incolumitatis suæ: et vicissim, audito Calvisii adventu, exhilaratus, quieti se dedit.

18. Postera lux miserabile spectaculum aperuit crematarum aut fractarum navium: fluitabantque passim armamenta, navibus etiam quæ supererant valde quassatis atque laborantibus. Sed otium ab hostibus Calvisii præsentia præstabat, ut subduci reficique possent; cum subito exortus auster vehementiori omnes discrimine involvit. Sed Pompeius intra portum Mamertinum deduxerat suas naves. At Cæsarianæ circa littus asperum et importuosum ingenti periculo jactabantur. Neque resisti poterat, per absentiam nauticæ turbæ, cujus pars major in littus evaserat. Sabini tamen minus afflicta classis est, Menæ providentia; qui magno rei maritimæ usu, longius in mare provectus, ubi mitius intumescebant undæ, jecit anchoras; remigioque contendens adversus ventum, ne funes intenti rumperentur, effecit, ut eodem semper loco tenere se posset, tantundem spatii subinde remensus remigio, quanto abreptus venti violentia fuerat. Sed et alii

Dio et Appian.

Digitized by Google

quidam industriam hujus imitati, pestem intentatam repulerunt.

19. At reliqua multitudo ventum, ut verno tempore, cito positurum existimans, utrimque revincta anchoris navigia, ne colliderentur, contis propulsabant; minime diuturna ope, cum flatus impetuosior obstantia omnia disjiceret, navesque, disruptis anchoralibus, in littus impingebantur. Sævum deinde diem tristior nox excepit, intendente se vento, et tenebris conspectum adimentibus. Jam pridem enim aurium usus perierat, nequicquam contento clamore petentibus opem, quorum voces ventorum fluctuumque stridor, et repercussu montium multiplicati fremitus obruebant. Etiam æstus his accesserat malis, et ex navibus utcumque servatos, in terra quoque fluctus infesti consequebantur. Tandem, appetente die, remisit ventus, et sub solis ortum plane quievit; undis tamen adhuc diu sævientibus: atrocior enim tempestas fuerat quam vidisse locorum istorum accolæ unquam meminissent.

Sueton. Aug. 16. Oros. VI. 18. Dio. Appian.

20. Igitur Cæsar, majore hominum parte, et classe pæne universa mulctatus, deposita spe potiundæ in præsens Siciliæ, eadem adhuc nocte Vibonem properavit, non sustinens calamitatem intueri, cui remedium afferre non poterat: scriptisque ad amicos et duces literis, præsto esse jussit omnes. Interim quos secum habebat milites circum maritima præsidia dimisit, ne Pompeius, victoria factus alacrior, in Italiam irrumperet. Sed ille ne reliquias quidem cladis impedire conatus est, quominus ut poterant funibus colligantes navium rimas, Vibonem secundo vento defluerent, tantum abest ut de continenti cogitaret: suorum satis acer defensor, ad aliena invadenda segnis. Igitur Cæsar, deficientibus ad Pompeium vicinis, Liparenses ex insula Neapolim translatos, ibi degere ad finem belli coëgit. Ipse quia et pecunia opus erat et navibus, iisque multis, et celeriter; neque populus, fame iterum urgente, bellum, ut contra fœdera susceptum obterens, conferre quicquam volebat; Mæcenatem in Græciam misit, pertrahendi ad bellum Antonii causa. Ea spes si fefellisset, legiones onerariis trajicere, bellumque terra gerere majorum exemplo cogitabat.

Dio. Appian. Dio. Appian.

Digitized by Google

21. Erat Antonius in procinctu ut Parthis iret obviam. Idcirco Mæcenate cum bona spe dimisso, a sacra olea Athenis coronam sibi sumsit; atque ex certo oraculo vasculum, aqua e Clepsydra fonte[c] impletum, extulit secum. Sed jam totam belli molem P. Ventidii virtus et fortuna discusserat. Is, commissa aliis obsidione Aradi, quæ conscientia admissorum pertinacius repugnabat; adversus Pacorum cum magnis copiis iterum irrumpentem in Syriam contendit. Nondum ille transierat Euphratem: sed metuebat Ventidius, ne prius adventaret, quam ipse quas in Cappadocia trans Taurum habebat legiones contrahere posset. Idcirco non ignorans, ex iis qui socii videbantur, quendam Channæum, Cyrrhesticæ nationis regulum, proditorem agere; cum illo intima sua consilia communicare simulans, campos maxime timere dicebat, agebatque cum proditore, 'induceret Parthos, ut ad Zeugma trajicerent exercitum, brevissimo itinere, et arctissimo Euphratis alveo. Tum enim se opportunitate collium facile elusurum sagittarios equites.'

Plut. Anton. et Appian. Parth.

Vell. II. 78. Dio, XLVIII.

Dio, XLIX.

Front. Strat. I. 1. et Dio.

22. Cum hæc ad Parthos relata essent, omnia se Ventidii consilia tenere putantes, ut, qua minime vellet ille, transgrederentur, infra Zeugma pontem struxerunt. Habebant et iter ad eum locum prolixius, et, dum flumen ibi propter latitudinem operosius jungitur, amplius quadraginta dies consumti sunt. Ita Ventidius triduo antequam Pacorus adveniret, copiis receptis omnibus, in agro Cyrrhestico expectavit hostem. At ille contemnens Romanos pro imbellibus, quod transmittenti fluvium non occurrerant, castra Ventidii obsidere ausus est. At Ventidius partem legionum intra vallum ordinatam habebat, quæ prius non procurreret, quam hostes quingentis non amplius passibus abessent. Hoc ubi factum est, barbarisque et sagittarum usus ademtus, et fiduciæ Romanæ inopinata oblata facies; celeriter debellati terga verterunt, maxime glandium violento jactu eminus territi.

Plut. Dio.

Justin. XLII. 4.

Front. II. 2.

Flor. IV. 9.

Front.

Dio et Just.

[c] *Clepsydra fonte*] Xylander in nota ad hunc Plutarchi locum, Clepsydram fuisse ait fontem in arce Athenis, sic dictum ex eo quod in Clepsydræ morem, modo amitteret aquam, modo reciperet. Hæc ille ex Scholiast. Aristoph. Ὄρνισι. Crev.

Digitized by Google

23. Ceterum, uti mos Parthis, in diversa intenderunt fugam, insequentibus Romanis. Idcirco Pacorus castra Ventidii discessu legionum sine defensoribus reperturum sperans, eo impetum convertit. Enimvero Romanus, ceteris subito emissis legionibus, consternatos, et locis iniquis circumventos cecidit. Pacorus inter primos fortissime pugnans occubuit: reliquorum pauci pro corpore ejus propugnantes, magna multitudo, cum pontem peterent, occupati, totoque inter Euphratem et Orontem sinu concisi sunt: nonnulli ad Antiochum Commagenes regem perfugerunt.

Plut. Appian. Just. Flor. Eutr. Oros. Vell. II. 78. Dio. Flor. Dio. Oros. Plut.

24. Ventidius, quanquam tertio jam prælio victor in Mediam Mesopotamiamque Parthos compulerat, invidiæ vitandæ causa non amplius institit; sed ad perdomandos defectores arma circumferens, pleraque ex itinere recepit, viso capite Pacori, quod circa civitates mittebat, ut perisse regulum intelligerent. Namque Syri Pacorum justitiæ ac clementiæ nomine plusquam alium ullum regem diligentes, nequaquam deserturi nisi mortuum videbantur. His receptis, in Commagenen ductus exercitus, Parthos, quos eo confugisse diximus, non tradente Antiocho. Sed plus celebratæ regis opes avaritiam Ventidii stimularant, ut Samosata obsidione clauderet. Inde, quia nihil jam indigebat tot legionibus, duas cum equitibus mille, Machæra duce, ad Herodem misit, cum Antigono bellantem. Sed Machæra, plus damni amicis quam hostibus inferendo, movit Herodem, ut ad Antonium properaret, quem venisse Samosata compererat. Quippe Ventidius offerenti mille talenta[d] Commageno pacem dare non erat ausus; prohibente Antonio, qui jam haud longe semotus, suum hoc videri opus volebat, nec per Ventidium omnia fieri. Sed obsessi, pace desperata, fortius repugnantes, eo tandem adegerunt obsessorem, ut acceptis talentis trecentis,[e] et duobus admodum obsidibus non valde illustribus, acquiesceret: concesso vicissim, ut ab Antiocho quidam Alexander, qui transfugerat ad Romanos, occideretur.

Dio.

Plut. Joseph. Antiq. XIV. 27. et de B. Jud. I. 12.

Plut.

Oros. Plut.

Dio.

[d] *Mille talenta*] Marcas argenti 93750. *Crev.*

[e] *Talentis trecentis*] Marcis argenti 28125. *Crev.*

Digitized by Google

25. Jam dimiserat Ventidium Antonius, tanquam ad triumphum quem meruisset: ceterum felicitati ejus haud obscure invidebat. Neque postmodum opera tam boni ducis usus est, quanquam ob ejus gesta supplicationes sibi triumphumque Romæ decretum noverat. Sed eadem ipsi quoque decreta Ventidio erant. Pensasse Crassianam cladem Pacoro interfecto videbatur: addebatque momentum aliquod admirationi, quod eadem die res utraque gesta dicebatur. Igitur primus hic omnium hoc de Parthis decus retulit, et suo quidem ævo solus, extincto prius Antonio, quam decretum sibi triumphum duceret. Ita P. Ventidius P. F. pro consule ex Tauro monte et Parthis triumphavit A. D. v. Kalendas Decembres, magna admiratione pristinam hominis fortunam cum præsente comparantium, quod qui, sicut Massurius tradidit, iterum, semel certe triumpho Pompeii Strabonis ductus ipse fuerat, nunc de ferocissima gente splendidissime triumpharet. Eidem, cum postea fato concederet, is quoque honor est habitus, ut publico funere sepeliretur.

Plut. Oros. Dio. Flor. Dio. Oros. Eutr. Dio. Plut. Plin. VII. 3. Dio. Fast. Cap. Plin. A. Gell. XV. 4. Val. Max. VI. 9. A. Gell.

26. Ceterum uti lætitiam summam populo Romano Pacori finis, ita patri Orodi luctum incredibilem attulerat. Denique amenti similis, sine cibo, sine voce, ut prorsus obmutuisse videretur, complures dies exegit. Postea ubi loqui rursus incepit, nihil aliud quam Pacorum in ore habuit, quasi cum præsente sermones conferens. Hunc enim filiorum omnium haud dubie præstantissimum, jam successorem suum declaraverat. Itaque luctu tandem remittente, nova exercuit hominem solicitudo, quem ex triginta filiis faceret Pacori loco regem: cum senilis animus a tot pellicibus, pro suo quaque filio nitente, diversas in cogitationes distraheretur. Postremo Phrahatem prætulit, suo totiusque domus malo. Mox enim scelestissimus parricida patrem, quasi contantem mori, fratresque, primum Antiochi filia prognatos, quod materno genere nobiliores erant, deinde ceteros omnes, interfecit: suum quoque filium mox adjecit, jam adultum, ne quis superaret, qui contra se ab offensis optimatibus rex nominaretur.

Just. Vell. Just. Plut. Dio. Just.

27. Inter hæc Antonius, obiter constituta Syria, in

Digitized by Google

Joseph. Antiq. xiv. 27. et de B. Jud. i. 13. Dio. Joseph. Ægyptum properans,[f] C. Sosium, in Ventidii locum Syriæ et Ciliciæ præpositum, Herodi restituere regnum, et ulcisci Antigonum jussit; qui per absentiam Herodis, Josephum fratrem ejus cum quinque cohortibus Romanis interfecerat. Igitur Sosius, præmissis duabus legionibus, cum reliquo exercitu subsequi statuit, quantum per anni tempus (jam enim vergebat æstas) liceret. Sed dum Dio. subigendis Aradiis, qui jam diu perpessi omnia, tamen desperatione magis quam viribus resistebant, Sosius detinetur; Joseph. Herodes magno prælio ducem Antigoni Pappum vicit, eoque timoris adegit hostes, ut recepturus caput gentis Hierosolyma videretur, nisi propter vehemens frigus, Plut. in hyberna deduci exercitum oportuisset. Per idem tempus Antonius Athenas rediit, auspicio suo quam ductu gestis rebus illustrior. Unde vulgo existimabatur commune hoc ei cum Cæsare fatum esse, ut per legatos quam Dio xlviii. per se ipsum esset uterque felicior. Nam et Agrippa Plut. præclare se gessit ubivis pro Cæsare: et a C. Sosio atque L. Canidio Gallo Antonianis ducibus inclyti reges victi sunt.

Dio. 28. Jam primum M. Agrippa, consulatu suo et Canidii, Galliam rebellantem compescuit, primusque a dictatore Cæsare transiit Rhenum. Sed et Aquitanos insigni prælio vicit.* Appian. Civ. l. v. Idcirco Cæsar evocatum, et triumphare jussum, Dio. classi fabricandæ, exercendisque remigibus præfecit. Vell. ii. 79. Sed Agrippa, vir prudentissimus, scientissimus parendi, Dio. minime convenire putavit, ut mœrente Cæsare triumpharet, Tac. Ann. i. 3. cujus beneficio tantus e tantulo factus esset. Nam Sen. de Ben. iii. 32. humili loco ortus, ut etiam Vipsaniæ gentis, tanquam obscurissimæ, nomen ipse tolleret, Val. Max. iv. 7. M. Agrippam L. F. ubique præferens, ad maximos honores evectus amicitia Cæsaris fuerat.

Senec. Contr. ii. 12. Dio. 29. Igitur prætermisso triumpho, toto conatu in mandatum sibi munus incumbens, naves per omnem Italiæ

[f] *In Ægyptum properans*] De hoc Antonii in Ægyptum itinere solus Josephus mentionem facit. De eo Dio, Appianus silent. Plutarchus vero satis significat, Antonium, ex quo Octaviam in matrimonium duxerat, non ante rediisse ad Cleopatram, quam cum, post Tarentinum fœdus, in Syriam adversus Parthos venit. *Crev.*

* A. U. C. 715. A. C. 37.

Digitized by Google

eram ædificabat. Maximus enim fiebat apparatus ad tam vicinum et formidabile bellum. Nam et amici Cæsaris, et quædam civitates ultro promissas naves construebant. Sed quoniam plerumque littus Italiæ importuosum erat, et stationes tantæ classi non reperiebantur; Agrippa præclarum opus orsus, quomodo ex Lucrino lacu portum faceret, excogitavit. Quippe in agro Cumano Misenum inter et Puteolos locus in lunæ speciem curvatus, Lucrinum Avernumque lacus habebat. Hoc Agrippa mirabili prorsus opere commisit mari, 'portumque Julium' appellavit, tum quidem recipiendis navibus aptissimum; hodie paludem cœnosam ac tenuem, ex quo subterraneus ignis, facta per montes eruptione, vicina late cineribus altissimis opplevit. Nunc quidem Mons Novus appellatur, anno factus centesimo septimo priusquam hæc scriberemus.[s] Hujus operis multi scriptores confusius quam explicatius fecerunt mentionem: res ita ferme habuit.

Liv. Epit. Appian. Dio. Cassiod. Chron. Dio. Virg. Georg. II. 161. et ibi Philarg. Suet. Aug. 16. Cluv. Ital. Anton. et Cellar. Geogr. Anton. II. 9.

30. Lucrinum lacum ab externo mari dirimebat agger antiquus, octo stadiorum longitudine, nec latior, quam ut incedere per eum currus posset. Vetus erat fabula structum ab Hercule, Geryonis armenta per regiones illas agente. Hanc molem duabus angustis fossis, per quas intrare naves possent, scidit Agrippa; deinde, fossis aliis ductis, Lucrinum Avernumque conjunxit: simul quo undique facilius ad portum iter esset, sylvas circum densissimas, nihil reveritus antiquas locorum cærimonias, exscidit. Inde profectum existimo rumorem, simulacrum antiquum, sive Calypsus illud fuit, sive ipsius Averni, sudasse. Neque negligenda res visa, pontificesque, licet natura loci calidis aquis referti miraculi fidem elevaret, locis iisdem piacularia sacra fecerunt: maxime quia sub idem tempus tanta ibi facta tempestas fuerat, ut prodigii loco haberetur. Sed Agrippa, portu strenue effecto, naves eo deductas consternere, remigesque tota hyeme exercere instituit. Nam Cæsar viginti millia servorum ad hos usus manumiserat.

Strabo, v. p. 245. Diod. IV. Dio. Strabo. Dio et Philarg. Sueton. Vell. Dio.

s *Anno .. centesimo septimo priusquam hæc scriberemus*] Anno Domini 1538. a. d. III. Kal. Oct. *Crev.*

sive die vigesima nona Septembris: quod docuit nos Cellarius.

Digitized by Google

Liv. Epit. Joseph. Antiq. XIV. 27. et de B. Jud. I. 13. Heges. I. 31. Joseph.

31. Iisdem consulibus et Judæi subacti. Vere novo rex Herodes, castris ad Hierosolymam positis, tres aggeres excitari jusserat, eodem loco et exemplo quo Pompeius olim ceperat urbem. Deinde ad nuptias cum Alexandri filia celebrandas Samariam profectus, consummato matrimonio, cum ingentibus copiis in castra rediit. Venit mox eodem C. Sosius cum legionibus undecim, et sex equitum millibus, magnoque auxiliorum numero, ad borealem oppidi murum opposito vallo.

Dio, XLIX. Joseph.

32. At Judæi, gens pertinax, et odii semel concepti retinens, nihil omittebant, quo nocere obsessoribus possent:[a] nec audacia tantum, sed et patientia laboris formidabiles, cuniculis maxime molesti erant, unde subito exsilientes, necopinantibus damnum inferebant: et priusquam ferme pars aliqua muri machinis impelli posset, interiorem novum opponebant. Hac contumacia in quintum usque mensem contra tantos exercitus locum tenuerunt, cum interim et fame premerentur, quod forte septimanus iis annus erat,[b] quo prætermitti solebat agricultura. Sed fiducia templi alebantur, cui non defore divinum auxilium; et si quis in hujus defensione occubuisset, hunc vero præ ceteris felicem Deoque amicum prædicabant. Nec nisi per partes capi Hierosolyma potuit. Quadragesimo die viginti admodum delectorum Herodis exteriorem murum transcenderunt; quos statim secuti sunt Romani quidam centuriones a Sosio. Sed adhuc resistebat interior murus, nec superari ante quintum decimum diem potuit. Tum vero urbs inferior cum vestibulo templi capta, porticibus quibusdam circa delubrum inflammatis: cujus rei invidiam Herodes in Antigonum detorquebat.

2 *Omittebat ... posset* edd. ante Crev.

[b] *Septimanus iis annus erat*] Cœpta erat obsidio antequam septimanum hunc annum numerare inciperent Judæi. Sed tres postremi menses obsidionis cum tribus primis anni septimani, sive sabbatici, mensibus concurrerunt. Siquidem urbs capta est, teste Josepho, mense tertio, qui vocabatur a Judæis Casleu, die solenni jejunii, qui est vigesimus octavus illius mensis, et incurrebat hoc anno in ipsas Kal. Jannarias anni Juliani. Vid. Usser. Annal. ad A. C. 37. *Crev.*

Digitized by Google

33. Interim Judæi, qui partim in templum interius, partim ad superiorem urbem confugerant, legatis ad Sosium missis, sacræ rei faciendæ otium petierunt. Eundem exoraverunt et qui capti apud Romanos erant, ut interesse sacro sinerentur. Ille sperans hæc esse signa deditionem agitantium, utramque concessit. Sed ubi nihilo secius in rebellione persistebant, die quadam Saturni facta vis est, templumque pugnando captum: nec urbs defendi diutius potuit. Magna omnis ætatis sexusque cædes fuit, Romanis propter obsidionis moram iratis; Judæos accendente factionum inter se crudelissimarum odio. Antigonum ad pedes se abjicientem immisericorditer accepit Sosius, complexis manibus Antigonam nominans, vinctumque in custodiam dedit. Dio. Joseph.

34. Sic iterum a Romanis capta est Judæorum metropolis, eadem die, qua septimo et vicesimo anno ante[1] expugnata a Magno Pompeio fuerat. Herodi curæ fuit prohibere alienigenarum turbam, arcana templi et sacrorum spectare contendentem. Idem vix impetravit a Sosio, prædam urbis militibus suis asserente, ut, a se acceptis pecuniis, direptionem remitteret. Inde Sosius, aurea corona in templo dedicata, captivum Antigonum Antonio adducens, discessit, regno Judæorum Herodi tradito. Atque ille minime certam ejus possessionem sibi spondens, quamdiu Antigonus superesset, maximis muneribus expugnavit Antonium, ut interfici juberet. Igitur Antiochiæ deligatus ad palum, flagrisque cæsus, et securi percussus est: quo supplicio neminem adhuc regum quisquam Romanus affecerat. Cum hoc extincta nobilissimæ stirpis dignitas, penes quam supra annos centum vigiti sacerdotium et principatus Judæorum fuerat, in Herodem, plebeiæ gentis hominem, Idumæis parentibus ortum, concessit. Dio. Plut. Joseph. Antiq. xv. 1. et de B. Jud. i. 13. Joseph. Antiq. xiv. 28.

35. Sequenti anno, qui L. Gellium L. F. L. N. Poplicolam, M. Cocceium Nervam consules prætulit,* quietæ res in Syria fuerunt, absente Antonio, metuente Antonium Sosio, si magnis gerendis rebus obscurare gloriam imperatoris legatus videretur. Sed Parthi bellum ingens in- Dio.

[1] *Septimo et vicesimo anno ante*] to. *Crev.*

Anno 27. incipiente, 26. exple- * A. U. C. 716. A. C. 36.

Digitized by Google

ter se moverunt, ob Phrahatis novi regis crudelitatem et vecordiam, qui post multa parricidia nemini jam parcere poterat, nobilissimo cuique infestior, quo magis sibi ab hoc genere metuebat.

Plut. et Appian. Parth.

36. Igitur multis quaquaversum diffugientibus, ad Antonium Monæses venit. Erat vir illustris ac potens, et prioribus adversus Romanos bellis magna virtutis fama. Quapropter Antonius eum Themistocli, se magno regi comparans, tres ei donavit urbes, Larissam, Arethusam, Hierampolim, quam et Edessam, et prius Bambycem appellatam supra scripsimus.

Dio. Plut.

Supra, cvi. 21.

Dio XLVIII.

37. Interim Roma multiplici prodigiorum denuntiatione est exterrita. Quippe delphines concurrisse invicem cruenta pugna circa Clypeam ferebantur: Romæ sanguinem inter pluviam lapsum cœlo, varie distulerunt volucres: ludis Romanis, senatorum in Capitolio, sicuti mos erat, epulatus est nemo. Liviæ quoque oblatum omen, sicut ipsi lætum, ita civibus formidabile habebatur. Quippe circa tempus nuptiarum cum Augusto, in Veientanum suum eunti, prætervolans aquila gallinam albam, ramulum lauri cum baccis suis rostro tenentem, in gremium abjecerat. Eam cum ali Livia, serique ramum haruspicum monitu jussisset; tanta pullorum soboles provenit, ut ea villa diu postea 'ad Gallinas' vocaretur, quæ Via Flaminia, juxta nonum ab Urbe lapidem, fluvio Tiberi inædificata fuerat. Ramus etiam, quanquam ita crescere laurum Democritus et Theophrastus ambigant, tale lauretum produxit, ut postea diutissime triumphis Cæsarum ad coronas sufficeret. Ea res potentiam Cæsarianæ domui stabilem videbatur promittere.

Plin. xv. 30. et Suet. Galb. 1. et Dio.

Theoph. de Causis Plantar. l. III. Plin. Suet. Dio.

38. Percellebantur etiam homines crebra mutatione magistratuum, cum nonnulli eodem die inirent ejurarentque; nihil inde quærentes amplius, quam honorem nominis, et spem adipiscendi provinciam, ac cetera non nisi magistratu functis tribui solita. Contra erant qui magistratus capessere paupertate, aut alia qua causa vetabantur. Nam et qui apud Pompeium erant, quasi merito arcebantur desponsis honoribus; et quidam, bonis amissis, sumtus tolerare non poterant.

Digitized by Google

39. Inter quos M. Oppius, propter pietatem in parentem gratus plebi, cum ædilitatem prætermittere statuisset, stipe collata seque et impensam munerum exhibuit: cum etiam in theatrum ingressi quidam histrionum specie cum personis, pecuniam contulerunt; animorum suorum obsequentes judicio; periculum, ne inimicis triumvirorum favisse dicerentur, hac cautione vitantes. Nec hic stetit in Oppium populi amor: quin et mortuum paulo post in Campo Martio funeravit. Sed invidia nobilitatis ossa sepulti translata sunt alio, pontificibus monentibus, locum sacrum esse, neque contaminandum mortuorum reliquiis: cum tamen multos ibi sepeliri et passi jam et passuri essent. Appian. Civ. IV. et Dio.

40. Eodem vere M. Antonius Athenis egressus, cum trecentis navibus, Brundisii non receptus, Tarentum appulit, promissum Cæsari auxilium ferens. Sed Cæsar expectare dum sua classis præsto esset, maluit: licet semel iterumque invitatus, ut apparatu Antonii, suffecturo ad id bellum, uteretur. Apparebat aliquid subesse querelæ ac suspicionum. Idcirco Octavia, quæ comitata virum ex Græcia fuerat, exoravit eum, ut ad fratrem mitteretur. Alteram ea jam filiam apud Antonium pepererat, et tum etiam erat prægnans. Appian. Civ. V. Plut. Dio. Appian. Plut.

41. Hæc in itinere occurrens Cæsari, primariis amicis ejus adjunctis Mæcenate et Agrippa, multa precum humilitate contendit, 'ne se miserrimam omnium matronam ex omnium felicissima redigi pateretur. Nunc enim,' inquit, 'totus orbis me beatam prædicat, suspicitque duorum imperatorum, alterius sororem, alterius conjugem. Sin vero, quod Dii ne sirint! prava consilia vos in bellum egerint, uter vestrum sit futurus superior, in incerto erit; unum erit certissimum, me, utcumque res ceciderit, in perpetua solicitudine et luctu fore; cui in qualibet viri fratrisque fortuna, semper plus offeretur quod cruciet, quam quod reficiat.' Cæsar ad hæc objicere, 'se desertum ab Antonio, maximum in discrimen incidisse: sed et missum in Africam esse Calliam,[k] ut Appian.

[k] *Calliam*] Libertum Antonii. *Crev.*

Digitized by Google

fœdus contra se cum Lepido jungeret.' Tum Octavia: 'Calliam ad Lepidum non alia causa missum esse scio, quam ut de matrimonio ageret. Cupiebat enim Antonius desponsam adolescenti Lepido filiam collocare, priusquam Parthicum ad bellum proficisceretur. Prius autem crimen ita diluit Antonius, ut tibi per Mæcenatem satisfactum eo nomine credam.'

42. His obtestationibus, et quia Calliam etiam miserat Antonius, ut ex ejus quæstione deprehenderetur veritas, ita Cæsar emollitus est, ut, non accepto Callia, cum Antonio se collocuturum diceret, inter Tarentum et Metapontum, circa fluvium Evonymum, si et illi videretur. Accepta conditione, cum eodem forte tempore ad flumen uterque venisset, Antonius carpento desiliens, in scapham forte stantem eo loco se conjecit solus, trajecturus ad Cæsarem: contendit et ille vicissim prævenire cupiens Antonium; et aliquamdiu occurrentium sibi in amne certamen fuit, uter in alterius ripam fidemque se traderet prior. Sed vicit Cæsar, 'ad duos unum se proficisci' dicens, 'non ad Antonium modo, sed et ad sororem suam.' Itaque conscenso Antonii carpento, cum eodem Tarentum profectus, ea nocte apud illum mansit sine corporis custodibus. Postridie rursus apud Cæsarem eadem omnia Antonius fecit. Adeo duo illi summæ fortunæ competitores, ut[3] rationibus suis conducere putabant, intimam familiaritatem levibus suspiciunculis, et professa odia summæ benevolentiæ significationibus vicissim obruebant.

Plut. Appian.

43. Ceterum, quia Cæsar bellum Siculum sequentem in annum differebat, Antonius in Parthos properabat; ille navibus indigebat, hic legionibus; instituta est permutatio, uti Cæsar Antonio duas legiones Italicas daret, hic Cæsari rostratas cum remigio centum. Sic et classem adeptus est Cæsar, qua egebat; et sumtu liberatus Antonius, milites nactus, quos, Italiam obtinente Cæsare, licet ex prioribus pactis delectuum jus haberet, difficulter confecisset. Octavia quoque, præcipuum et instrumentum

Dio. Plut. Appian. Plut. Appian.

Dio. Plut.

3 *Et* pro *ut* legebatur ante Crev.

Digitized by Google

et vinculum instauratæ amicitiæ, viro mille delectos milites impetravit a fratre; fratri vicissim decem phaselos a viro: quod genus navium inter longas et onerarias ferme medium est. Appian.

44. Accesserunt nova ex sponsalibus firmamenta, et Antyllo, quem Antonio Fulvia pepererat, filiolam suam despondit Cæsar; et Antonii Octaviæque filiola Cn. Domitio pacta est, qui modo hostis acerbissimus triumviris, et proscriptus inter parricidas fuerat. Sed facile fuit quidvis polliceri, nihil servaturis, nisi quod postea quoque sibi profuturum censuissent. Sub idem tempus, opinor, etiam auctore Antonio, Pomponiam Agrippa duxit, T. Attici filiam, equitis Romani affinitatem generosarum nuptiis anteponens, cum, propter summum in amicitia Cæsaris gradum, nullius non conditionis potestatem habere videretur. Præterea convenit, 'ut Sex. Pompeio sacerdotium et consulatus, nuper pacta, eriperentur: ipsi nihilominus, elapso tempore triumviratus,[1] in aliud quinquennium potestatem retinerent.' His peractis profectus Antonius, liberos suos ex utroque matrimonio, et Octaviam conjugem ad Cæsarem remisit Corcyra, ne molestiarum ac periculorum qualia bellum affert, haberet participes: nisi forte, quod eventus affirmat, plus de Cleopatræ amoribus, quam de bello solicitus, amoliendum hoc in tempore impedimentum judicavit. Dio. Corn.Nep. Att. c. 12. Dio. Appian. et Dio. Plut. et Dio.

45. At Cæsar, novis copiis navalibus auctus, quanquam prius quiescere eo anno statuerat, bellum incepit, non pœnitendis initiis, nisi quod Menas ingenio levis, et cum fortuna mutans animos, præterea Sabino parere non ferens, impetrata fide, cum sex aut septem navibus iterum ad Sextum transfugit. Existimatum etiam est, minis Antonii perterritum, et quotidianis ceterorum Pompeii libertorum exprobrationibus promissisque præbuisse aures: præsertim ultione sumta de Menecrate, quem præcipuum inter Pompeianos inimicum habuerat. Cæsar, Dio. Appian. Oros. VI. 18. Appian.

[1] *Ipsi nihilominus, elapso tempore triumviratus*] Jamdiu elapsum erat tempus prioris triumviratus, ultima nempe die ejus anni, quo Ap. Claudius Pulcher et C. Norbanus Flaccus consulatum gesserunt. Vid. not. ad c. 38. lib. præcedentis. *Crev.*

Digitized by Google

offensus hac perfidia, in Sabinum effudit iram, ablata tanquam indiligenti classis præfectura, quod fugam tot navium non senserat. In ejus locum Agrippa maritimum imperium accepit: a quo interim nova confecta classis Romano more lustrata est. Constitutis ad ipsas undas altaribus, naves instructæ circumstabant magno omnium silentio. Interea sacerdotes, re divina juxta mare facta, ducibus assumtis, piacularia exta navigio imposita ter circum classem circumvehebant. Invocabantur potentia maris numina, 'uti quæ detrimenta, quæque pericula destinata classi fuissent, ea in hostium caput expetant.' Postremo pars extorum, turba favente linguis, in mare projiciebatur; partem adolebant altaribus.

Dio, XLIX. et Appian. 46. Tum educta portu classis animi speique Cæsarem implevit, undique cincturum navibus Siciliam. Quippe et Antonianæ naves jam ad fretum processerant: et Lepidus, quantumlibet invitus, auxilia promiserat. Sed maxime nova classe confidebat, mira firmitudine specieque compactis navibus, quæ neque rostrorum timerent impetum, et magnum numerum propugnatorum caperent, et turres portarent, unde tanquam e muro in subjecta hostium navigia pugnari posset. Ceterum omnes istas cogitationes momento quasi tempestas circa Palinurum promontorium adorta difflavit. Res hoc modo gesta est. Constitutum erat, uti A. D. Kalendas Julias (quod ob patris memoriam sibi faustum fore ominabatur) tribus diversis classibus Pompeius oppugnaretur. Ille contra Plennium quendam cum una legione, et magna multitudine velitum Lilybæum et vicina loca tueri jussit: et præsidia ad orientem et occidentem disposuit, insulis etiam occupatis, Lipara præsertim et Cossura, ne harum opportunitate hostes juvarentur. Messanæ vero (hanc habebat arcem belli) quod roboris erat in classe secum habebat; inde quamlibet ad necessitatem occursurus.

Dio. Plin. VII. 45. Vell. II. 79. Oros. Sueton. Aug. 16. Dio. Appian. Strabo, VI. p. 268. Appian.

47. Interim, die dicta, Lepidus ex Africa solvit, mille ducens onerarias, septuaginta longas, in quibus erant semiplenæ legiones duodecim, equitum Numidarum quinque millia, magnusque apparatus alius. Interim et a Tarento Statilius Taurus cum navibus Antonianis cen-

Vell. II. 80. Appian.

Digitized by Google

tum duabus affuit; ceterarum enim remigium pestilentia nuper exhauserat. Cæsar Puteolis facto sacrificio, porrectisque e prætoria in mare extis, profectus est, Ap. Claudio cum magna multitudine navium postremum agmen cogente.

48. Ubi tertia dies venit, vehemens auster aggressus est omnes, Lepidique multas onerarias depressit. Tenuit tamen ille Siciliam, conclusoque intra Lilybæum Plennio, multa circum oppida armis aut deditione cepit. Taurus, animadversa tempestate, mature Tarentum reduxit classem. Appianæ naves afflictæ circa Minervæ promontorium, et quædam in scopulos aut brevia compulsæ sunt, disjectis nec sine gravi damno ceteris. Cæsar in Velinum portum se et naves suas receperat, præter hexerem unam, quæ circa Palinuri promontorium vi tempestatis soluta est.

49. Erat ea portus natura, ut ad cetera tutus versus occidentem[m] pateret. Idcirco, cum repente versus in Africum auster esset, neque portu exire naves, prohibente vento, poterant, neque aut remis aut anchoris contineri, quominus inter sese aut ad saxa comminuerentur. Ita naves majores sex amissæ, minores sex et viginti, cum aliquanto majore numero liburnicarum. Nam et ab hoste damnum datum erat, Menasque multas ex disjecta classe naves abstraxerat aut exusserat. Tanta hæc erant incommoda, ut ante tricesimum diem emendari non posse viderentur, quo tempore pæne in exitu futura æstas erat, ideoque rectius videbatur, venientem in annum expeditionem differri.

Dio. Vell. II. 79. Appian. Dio. Appian.

50. Sed Cæsar, 'vel invito Neptuno victoriam se adepturum' jactans, ceterum populum timens, si diutius annonæ penuria premeretur; continuo subduci reficique naves jussit: remiges ex naufragio receptos ad Taurum misit, complendis navibus quæ penes eum vacuæ remanserant. Mæcenas in Urbem ire jussus est, ad plebem in

Sueton. Aug. 16. Appian. Dio. Appian.

[m] *Versus occidentem*] Ita habet Appianus ἐς τὴν ἑωθέραν: nec aliter esse potest, cum ab Africo vento jactentur et vexentur in illo portu Cæsarianæ naves. Male ergo prius hic legebatur *versus orientem*. Crev.

Digitized by Google

officio continendam, quæ ob adversa Cæsaris et memoriam Pompeii Magni tumultuabatur. Ipse magna celeritate atque diligentia novos per Italiam colonos hortatus, ad visendam Tauri classem Tarentum transcucurrit: mox Vibone allocutus legiones, navium apparatum festinavit: brevi tempore sic confirmatis atque constitutis omnibus, ut iterum invadere Siciliam posset.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXIX.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Ex diverso Pompeius hac felicitate non ad industriam, sed vanitatem et ineptias excitabatur: jam haud dissimulanter Neptuni filius appellari volens, cujus spreto numini duplex naufragium Cæsaris, et alterum quidem per æstatem immissum imputabat. Idcirco et paludamentum induit cyaneum pro purpureo, et Neptuno Salaciâque,[a] parentibus scilicet suis, bobus auratis et equo fecit. Sed et equos vivos, quidam et viros addunt, conjecit in fretum. Nec tamen securus audiit iterum instare Cæsarem, quam cum strenuo et irrequieto res esset, considerans. Idcirco Menodorum ire speculatum quid fieret in Italia jussit.

Appian. Civ. v. Plin. IX. 16. Porph. ad Hor. Epod. 9. Appian. Oros. VI. 18. Sueton. Aug. 16. Appian. Dio XLVIII. Auct. de Vir. Ill. in Sext. Pomp. Dio.

2. Ille dolens sibi classis imperium non esse redditum, sed solummodo paucarum navium, quas reduxerat, præfecturam relictam; ne contra Lepidum quidem opera ejus Pompeium uti voluisse; iterum agitare proditionem animo cœpit. Ceterum quo majoris apud Cæsarem fieret, si prius edidisset plura documenta, quantum in eo præsidii partibus esset; omne quod secum habebat aurum inter

Appian. Dio, XLIX. Appian.

[a] *Salaciæque*] Appianus habet Θαλάσσῃ. Interpres ejus eo modo vertit, quo hic Freinshemius. *Salacia* revera ab Augustino, de Civ. Dei VII. c. 22. uxor Neptuni dicitur. De ea vid. et Festum. *Crev.*

Digitized by Google

suos distribuit, ut promtioribus ad omnia uteretur. Ergo centum octoginta et septem passuum millibus[b] tridui spatio eremigatis, impressionem in naves Cæsaris sæpe fecit, ad tuenda loca, ubi novæ aliæ fabricabantur, dispositas. Ex his binas ternasve subinde abripiens, simul onerarias in stationibus incursu intercipiens aut corrumpens, omnia pavoris atque consternationis implebat. Non enim Cæsar modo, sed etiam Agrippa petendæ materiæ causa tum aberat. Quoque majus audaciæ simul et artis specimen ederet, aliquando nave in mollius solum sponte impacta, in luto se obhærere simulavit; donec decurrentibus, velut ad certam prædam, hostibus, inhibendo se expedivit, abiitque cum plausu et cachinnis, non sine stupore et verecundia Cæsarianorum.

3. Sed ubi maturum esse putavit, dimisso senatore, quem ceperat, Rebilo, præstruxit ad novum consilium viam. Deinde commentus apud suos, Mindium Marcellum, jam a tempore dictatoris familiarem Cæsaribus, ad se transiturum, cujus nuper amicitiam Romæ comparaverat; sine suspicione cum eo in quadam parva insula congressus, mentem suam aperuit, 'se coactum injuriis Calvisii, quas pati non potuisset, ad Pompeium refugisse. Nunc amoto Calvisio, nihil obstare quin redeat ad Cæsarem non male de se meritum; modo fides a M. Messalla detur.' Nam hic per absentiam Agrippæ classi præerat. Nec diu dubitavit Messalla, Cæsari gratum se facturum admonitus aut conjiciens.

Cic. ad Fam. xv. 17. Appian.

4. Ergo ubi cum aliquot triremibus Mindius affuit, tanquam a Cæsaris partibus transiens, adjunxit ei se proditor, et suos partim volentes, alios repugnare validiori non ausos, transduxit. Postquam in conspectum Cæsaris admissus est, ad genua procidens oravit veniam, nihil excusans. Et eam quidem haud gravatim tribuit Cæsar: ceterum ingenio tam mutabili nihil postea majoris rei credidit, deditque negotium certis hominibus, dissimu-

Dio. Oros. Appian.

[b] *Centum octoginta et septem passuum millibus*] Leucis nostratibus 62. Appianus Græca mensura enuntiat stadia 1500. Ridicule priores editiones Freinshemii, *duodeviginti passuum millibus*. Crev.

Digitized by Google

lanter eum custodiendi: præfectos triremium qui manere nolebant, quo cuique visum est abire, dimisit.

5. Jam refecta classis erat, et Cæsar Vibonem appulsus, Messallam cum duabus legionibus transmittere in Siciliam jussit, Lepidique copiis conjunctum stationem agere in Tauromenitano sinu. Tres alias legiones ad statuam (Stylida[c] vocant Græci) excubare jussit; quod is locus, ad duodecimum a Rhegio milliare[d] distans, brevissimum in Siciliam trajectum habebat. Sed Taurus a Tarento Scylacium, obversum Tauromenitanæ regioni promontorium, petiit, itineri simul prælioque paratus. Nam et mari speculatoria navigia præmittebat, et littora curabat exploranda per equites. Ideoque Cæsar a Vibone transgressus, probata Tauri diligentia securior, eodem rediit. Pompeius adversum hæc, iisdem locis præsidia constituit, quibus per eandem æstatem habuerat. Interim quatuor Lepidanæ legiones, deceptæ specie occurrentium navium, nam a Lepido missas existimaverant, in Papiam Pompeii ducem inciderunt; maleque mulctatæ, ne Lepidi quidem navibus, quæ postea venerant obviam, ausæ confidere, vario et miserabili errore multas onerarias amiserunt. Sed et duæ ferme legiones desideratæ; plerisque in mari varia peste consumtis, et si qui enare potuerant, exceptis a Tisieno Gallo Pompeianarum partium duce. Ceteri statim aut postea pervenerunt ad Lepidum, cum ad Sextum Papias abnavigasset.

Strabo, VI. p. 257. Plin. III. 5. Appian.

6. Sed cum universa classe Cæsar explorato profectus ad Strongylen, quæ septem Æolidum una est; cum ex magna specie copiarum, quas circa Pelorum et Mylas et Tyndaridem agere videbat, ipsum adesse Pompeium conjectaret, relicto cum imperio Agrippa, Vibonem repetiit, pedestres copias adducturus. Inde ad castra Tauri citatis itineribus transgressus, cum tribus legionibus et M. Messalla fretum transire statuit, ut per absentiam Pom-

Plin. III. 8. Appian. Dio. Appian.

[c] *Stylida*] Ab Appiano στύλις, a Strabone στηλὶς scribitur. Utraque vox Græce sonat *columellam*. Ab scriptoribus Latinis 'Columna Rhegina' dicitur.

[d] *Ad duodecimum .... milliare*] Ad leucas nostrates quatuor. *Crev.*

Digitized by Google

peii Tauromenio capto, duabus ex partibus illum angeret. Interim et Agrippa e Strongyle transjecit Hieram, eaque capta, se paravit ut postridie Mylas transvectus Democharem adoriretur, qui stationem ibi cum quadraginta navibus habebat. Sed ubi cum dimidia parte classis Hiera
Dio. profectus, non exire Democharem vidit, contemta hostis ignavia rediit, sequenti die classem universam adducturus. Vicissim Demochares non alias Agrippæ naves esse ratus, et has ipsas tardas et graves, noctu evocavit Pompeium, eo proposito ut conjuncti Agrippam aggrederentur.

7. Igitur postridie sub idem ferme tempus utrimque
Appian. classibus eductis, cum Agrippa et Apollophanem cum quinque et quinquaginta navibus adesse, et cum aliis septuaginta Pompeium sequi cognosset, nuntio celeriter ad Cæsarem misso, in magnis animi fluctibus fuit: idem-
Dio. que et Demochari similibus causis acciderat: et nisi fuga præter turpitudinem haud minus periculi quam prælium habuisset, non dubitabatur utrobique, quin præstaret recedere. Sed quia digredienti secuturus hostis timebatur,
Appian. et Dio. pari aliquamdiu Marte concursum est. Pro Pompeio celeritas navium, artesque gubernatorum et remigum erant; Agrippa plures et firmiores habebat: et robur Cæsariani
Dio et Hor. Epod. 9. militis adæquabat Pompeianorum desperatio. Fugitivi enim plerique erant, quibus, si caperentur, ne simplex quidem sperari mors poterat.

Appian. 8. Memorabilis in hoc prælio casus unius navis fuit, quam Agrippa præ ceteris petebat, quod ea Papiam invehi cognoverat; incurritque impetu tam violento, ut, prora discussa, carinam aperiret, et qui in turribus ejus constiterant in mare excuterentur. Igitur et navem, aqua copiosa admissa, celeriter mersit: cum thalamitis,
Pollux v. 17. (sic appellantur ordinis imi remiges,) ceteri tabulato per-
Appian. Dio. fracto enatarunt. Et Papias in proximam navem receptus, pugnam repetiit. Pompeianorum enim scaphæ passim oberrabant, quibus exciperentur nantes, fractis aut amissis navibus. Nam et integræ relinquebantur, quoties ferreis
Appian. manibus comprehensæ defendi adversus tanto validiores
Liv. Epit. Vell. II. 79. non poterant. Idcirco Pompeius ex edito loco conspicatus quæ fierent, signum receptui dedit, jam advesperas-

Digitized by Google

cente die. Redieruntque, servatis ordinibus, ad littora non aspera aut saxosa, sed quæ multo cœno limosa erant, applicantes. Dio et Appian.

9. Agrippa, cum cuperet, insequi non potuit, ne cum magnis suis navibus in brevia delaberetur. Idcirco, jactis in alto anchoris substitit, tanquam iterum invasurus vel per noctem. Sed monentibus amicis, ne militem nimiis vigiliis et laboribus debilitaret, neve nimium crederet infido mari, vix tandem se recepit. Sunt qui dicant, Cæsaris invidiam veritum, absolvere victoriam noluisse. Sed et dicere solitum inter familiarissimos, 'secundum locum tenentibus magna prudentia opus esse: velle enim præpotentes laboribus et periculis eorum maxima consequi, sed hoc sciri credique ab hominibus nolle: dandam igitur esse operam, ut perficiendis ingentibus operibus strenue desudent, perfectorum titulo cupide solerterque cedant.' Appian. Dio.

10. Hoc prælio Pompeius, cum naves amisisset triginta, hostiles quinque corrupisset, laudavit tamen suos, donavitque, 'pro victoribus sibi esse' præfatus, 'qui cum tantis navibus æquo Marte dimicassent: non enim prælium istud, sed hostilium murorum oppugnationem videri. Subjecit, 'se quoque navium suarum altitudini nonnihil astructurum esse.' Interim Cæsar, ubi Messana digressum Pompeium, fretumque sine idonea custodia relictum sensit; cum Antonianis navibus Tauromenium petere constituit. Ceterum Pompeius id ipsum conjectans,[1] parte navium Mylis relicta, quæ præsentis imperatoris speciem Agrippæ facerent; cum post prælium leviter cœnasset, continuo Messanam redierat. Agrippa vero pro præsenti copia milite refecto, Tyndaridem, quæ dedebatur, advectus, oppidum volentibus incolis recepit; sed mox a præsidiariis strenue pugnantibus ejectus est. Aliis tamen oppidis recepta sunt ejus præsidia. Quibus rebus consumta die, sub tenebras pridianam stationem repetiit. Oros. Appian. Dio. Appian.

11. Jam Cæsar e Scylacio provectus Leucopetram attigerat, ubi certioribus nuntiis Pompeium ad Mylas Agrippæ concurrisse doctus, statuit noctu transire fretum,

1 *Conjectatus* edd. ante Crev.

Digitized by Google

et in agro Tauromenitano copias exponere. Sed, cognito prælii eventu, haud satis decorum victori putans per tenebras subrepere, expectata luce, quantum capere militum naves potuerant, vacuo mari transjecit, ceteris cum Messalla relictis, quos remissis mox navibus arcesseret. Ceterum Tauromenii non receptus, præternavigato amnis Onobalæ ostio (Cantarum hodie vocari autumant) et fano Veneris, ad Archegetam appulit. Id loco nomen erat a parvo simulacro Apollinis, quod ibi posuisse Chalcidenses ferebantur, Theocle duce[2] ad condendam coloniam ex Eubœa profecti, cum Naxum, quæ postea Tauromenium est appellata, occupassent.

Fazell. Hist. Sicul. Dec. I. l. II. c. 3. Appian. Thucyd. VI. init. Strabo, VI. p. 267. Plin. III. 8.

12. Hic, exscensione facta, simul terram Cæsar attigit, lapsante vestigio procubuit. Nec exterritus sacra fecit Deo, castrisque ibi collocatis, oppidanorum tentare animos decrevit. Nondum absolutum vallum erat, cum Pompeii magna classis cum ipso imperatore affuit, in defessorum locum integris repositis remigibus: simul et equitatus ejus conspectus est, pari celeritate per littora transcurrens: et alio loco pedestres copiæ apparuerant. Ea repente res objecta magnopere Cæsarianos exterruit, qui victum prælio Pompeium nusquam discedere posse per Agrippam putaverant. Neque absurde creditum est, si undique simul factus impetus esset, deleri Cæsaris exercitum potuisse. Tres omnino legiones erant, cum equitibus quingentis, quorum nondum advecti equi erant: velites mille: voluntarii ex novis coloniis duo millia, cum classiariis. Sed equitatus tantum, impetu in munientes facto, interturbavit opus, nequicquam, navibus, ne sero diei prælium inirent, sub Coccyno capientibus stationem: peditatu in oppidum Phœnicen abducto.

Appian. Dio. Appian.

13. Cæsar, hac opportunitate usus, non intermisso per noctem labore, castra permuniit. Deinde traditis L. Cornificio copiis, ante lucem cum classe profectus est, occupaturus transitum, antequam præcluderetur, et minus timens Pompeii naves, ut paucas numero, et recens victas. Igitur dextra acie Titinnio commissa, sinistra Carcio, si

Dio. Appian.

2 *Hoc* pro *Theocle*, in edd. antea inventum, ex Strab. edidit Crev.

Digitized by Google

modo recte traditum nomen est, vectus liburnica classem circumiit, solicitus hortator: quo tempore, ne forte agnitus ab hostibus in periculo esset, imperatoria insignia deposuit.

14. In eo cursu, cum obviam se Pompeius tulisset, bis congressi, ad noctem usque depugnarunt. Tum vero Cæsaris haud dubie inferior fortuna fuit; multisque captis aut mersis navibus, pars ceterarum, ipso frustra hortante, versus Italiam fugit, quas Pompeiani neutiquam longe insecuti, ad reliquas oppugnandas redierunt. Et harum pleræque tum mersæ sunt, aut in hostium devenerunt manus. Et, si quis enatare ex his potuit, ab equitatu Pompeii littus obeunte capti aut interemti sunt. Pauci ad Cornificii castra penetrarunt, a velitibus ejus deducti: nam gravem armaturam educere adversus legiones victoria suorum alacres, minime tempestivum judicabat. Ipse Cæsar in multam noctem jactatus, et animi pendens, utrumne Cornificium, an vero Messallam peti oporteret, bona quadam fortuna sub portum Abalam cum uno tantum satellite delatus est. Quem a montibus decurrentes quidam exceptum, et in acatium ex acatio translatum, quominus deprehendi ab hostibus posset, animo et corpore ægrum, ad Messallæ castra deportarunt. Nec quicquam habuit antiquius, quam, missa ad Cornificium liburnica, significare salutem suam, et maturum auxilium polliceri: misit etiam circum vicinos montes, 'Cornificio' jubens 'opitulari quotquot possent.'

Liv. Epit. Vell. Oros. Dio. Appian.

Dio. Vell. Appian.

15. Curato deinde corpore post modicam quietem, ad Columnam Rheginam profectus est, deducente Messalla, ubi Carrinas cum tribus legionibus constiterat, jussu Cæsaris in Siciliam trajecturus. At tum Liparam præmissus est a Cæsare mox secuturo. Sed hanc animi agitationem consolata est res parva dictu, nisi superstitione inflaretur: piscis e mari exsiliens ad pedes ambulantis se abjecit. Hoc argumento spoponderunt vates, 'sub pedibus Cæsaris futuros, qui tum tenerent maria.' Idcirco jam tranquillior animo scripsit ad Agrippam, 'ut ad eximendum periculo Cornificium, expeditas copias duce Laronio mitteret.' Mæcenatem iterum ablegavit Romam: atque is

Dio.

Appian.

Digitized by Google

correptos aliquot novarum rerum auctores supplicio affecit publice. Messalla Puteolos navigavit, ut legionem primam a Vibone adduceret, præclaræ fidei specimine edito: nec enim omni ope humana destitutum interficere arduum fuisset, si proscriptorem suum potius, quam imperatorem cogitare maluisset.

Liv. Epit. Vell. Dio et Appian.

16. Interim in magno periculo cum expositis militibus Cornificius versabatur. Armis castrisque tutum fames oppugnabat: nec ignarus ejus rei Pompeius, provocante Cornificio, detrectavit certamen. Idcirco, navibus incensis, quæ forte delatæ ad castra ejus e prælio fuerant, Mylas instituit petere, lacessentibus undique Pompeianis. Nam sive per campestria loca pergebatur, equites assultabant: sive per montana et aspera, Maurus jaculator molestus erat. Nec itineris facultas, nec pugnæ dabatur; cum levis et expeditus hostis subsistentes refugeret, abeuntes insequeretur. Et erant defendendis inermibus occupati, quos ex naufragiis servatos in medium agmen receperant. Maximus erat in fluminibus transeundis metus, cum divulsi invicem, et cum aqua aut luto luctantes multi vulnerarentur.

Diod. IV. p. 201. Appian.

17. Triduum inter hæc pericula consumtum est. Quarta deinde dies certi interitus metum attulit. Deventum in ea loca erat, quæ profluvio quondam Ætnæorum ignium exusta fuerant, usque in mare decurrentibus rivis. Rhyaca [e] vocabant accolæ, non nisi noctu transire ea soliti, vitandi æstus gratia. Sed Cornificiani nec inter tenebras suscipere iter propter ignorantiam locorum audebant; neque sustinere interdiu poterant vim pulveris quo suffocabantur, et fervorem plantas, nudis præsertim pedibus incedentium, perurentem. Et tamen morari vetabat sitis, et hostilium copiarum formidabilis conspectus, ad angustias, quæ regionem illam ambustam finiunt, ab ipso interim Pompeio adductarum.

Dio et Appian.

18. Magnus erat in agmine numerus sauciorum, qui ad progrediendum invalidi commilitonum humeris portaban-

[e] *Rhyaca*] Appianus, *ῥύακα πύρος*, id est, profluvium, sive torrentem ignis.

Digitized by Google

tur. Sed tum extrema desperatio coëgit; his depositis oneribus, ne sui quidem ulla jam parsimonia in hostes irrumpere. Hoc impetu repulsi Pompeiani primos aditus reliquerunt: nec ideo minus aliæ fauces haud procul inde custodiebantur. Idcirco non labore tantum vulneribusque et siti affectos, sed etiam frustra niti autumantes, vix excitavit Cornificius, ostenso fonte propinquo, ut, semel collectis viribus, unicam salutis spem pugnando capesserent. Sed dum multa suorum jactura manum cum præsentibus conserunt, fontem ab alio præsidio hostium occupari viderunt. Appian.

19. Tum vero penitus omnis defluxit corporibus animisque vigor: torpentesque fatigatione et tædio, quod in ipsis erat, perierant; cum eminus conspecta signa legionum, dubia primum, mox ubi cognosci potuere, certa spe deficientes erexerunt. Laronius erat ab Agrippa missus cum tribus legionibus et frumento, cujus egere Cornificianos sciebat. Nam Agrippa, Democharem alio profectum sentiens, Tyndaridem ceperat, refertam copiis, et opportuno ad mare situ. Idcirco Pompeius ipsum adesse Agrippam existimans, tanta celeritate discessit, ut etiam pars impedimentorum in castris relinqueretur. At Cornificiani milites fonte potiti, quanquam monentibus de periculo ducibus, adeo biberunt intemperanter, ut multi, præcluso spiritu, inter hauriendum exanimarentur. Ceteros ad Agrippæ castra perductos superveniens paulo post Cæsar laudavit donavitque ex merito: vim enim maximam non hostium modo, sed, quæ sunt hominibus intolerabilia, famem, sitim, æstum sustinuerant. Cornificius quidem tantum sibi servatis hisce copiis tribuit, ut postea Romæ, quoties a cœna rediret domum, elephanto vectaretur. Dio et Appian. Dio. Appian. Dio.

20. Interea Cæsar ingentem exercitum in Siciliam transduxerat, legiones unam et viginti, leviter armatorum plures quinque millibus, equitum viginti. Ceterum totum fere littus Pompeiana præsidia tenebant, continuos ignes alentia, ut metu incendii naves Agrippæ, quem maxime timebant, deterrerent. Tauromenitanas quoque fauces, et quæ ad Mylas sunt, Pompeius occuparat; montanosque calles, muris eductis, præcluserat. Sed et profectum Appian.

Digitized by Google

Dio. Tyndaride Cæsarem, oppositis apud Dianium castris, levibus equitum prælliis distinuit, pugnæ se nolentem com-
Appian. mittere: donec fama adventantis Agrippæ excitus, ad Pelorum transcucurrit. Sic relictas hostium discessu Mylensium fauces Cæsar occupavit, recepto etiam Dianio, parvo oppidulo, sed magnæ in fabulis famæ, propter Solis armenta, quæ socii Ulyssis ibi mactasse ferebantur.

21. His rebus cognitis, et comperto adventum Agrippæ
Dio. falso jactatum fuisse, Tisienum Gallum Pompeius accivit.
Appian. Ei Cæsar obviam iturus, aberravit a via circa Myconium:
Plin. VII. 45. et, quia cum expeditis copiis, ut ad prælium, processerat,
Appian. noctem tempestatibus horridam sine tabernaculo exegit, scuto tantum Gallico, sustinentibus per vices militibus, tectus. Emicabant inter præcipitatos imbres ex Ætna prorumpentes flammæ, cum terribili mugitu: adeo quidem, ut Germani, locorum imperiti, præ consternatione cubilibus exsilirent; nec amplius fabulosa crederentur, quæ de montis ejus incendiis, igniumque torrentibus antiquitas tradiderat. Inde progressus ad vastandum agrum Palæstanum, Lepido forte per ea loca frumentanti occurrit.

Dio. 22. Namque is tempestatibus et insultu Democharis amissa parte navium, non ad Cæsarem continuo, sed Lilybæum contendit, necessitate incertum an consilio, eoque ipso ancipiti, sive ut Cæsarem luctari solum cum Pompeio sineret, sive ut ab illo virium hostilium partem abstraheret in sese: Tisienum certe hactenus detinuerat.
Appian. Igitur conjunctis ambo copiis Messanam obsidione clau-
Oros. Dio. serunt. Sed cito exortæ sunt suspiciones et discordiæ, cum Lepidus pari cum Cæsare potestate ageret; Cæsar eum legati potius loco habere destinasset. Ea causa festinationis. Cæsari fuit, ne Lepido spatium daret cum hoste transigendi. Absque hoc enim fuisset, spes erat citra sanguinem debellari posse; quod et frumentaria res et pecuniaria incipiebat esse apud Pompeium angustior.
Appian. Taurus enim missus ad hoc a Cæsare, commeatus Pompeii frequenter intercipiebat, civitatesque occupabat, unde alendus illi exercitus esset.

Dio. 23. Ergo cum alteri prælio decernere lubitum, alteri

Digitized by Google

necessum videretur; ad summam dimicationem haud ægre deducta res est. Continuis aliquot diebus Cæsar instructas legiones ante castra, naves in mari Agrippa ostentaverat, reformidante congressum Pompeio, quod erat utrobique infirmior. Tum vero metuens ne, si subterfugere prælium pergeret, tanquam sua confessione victus, a sociis desereretur; misit ad Octavianum quæsituros, 'utrum navali pugna velit decernere:' qua parte sibi plusculum confidebat. Cæsarem quoque, licet semel iterumque improspere tentato mari, conditionem recusare puduit. Dies ergo condicta est, in quam trecentis utrimque navibus concurreretur. Terra quoque instructæ sunt acies: sed spectaturæ tantum maritimo prælio dimicantes. Appian. Oros. Dio. Appian.

24. In eo labore sita utrisque summa rerum videbatur: nec ad instruendas classes quicquam reliqui fecerant. Igitur acriter et diu certatum est: quanquam Agrippæ recenti commento Pompeiani graviter infestarentur. Harpago erat, sed ea forma, ut et vis ejus robustior esset solito, et inevitabilis impetus. Tignum enim cubitorum quinque ferro coopertum, duobus in utroque capite ferreis annulis firmissimis instruxerat: ex horum altero pendebat uncus ferreus ad comprehendendas hostium naves; alter multos habebat funiculos, quibus harpago semel injecta navibus, aptabatur machinis, quarum opera violentissimo nisu attraheretur. Neque præcidi tignum ferro munitum poterat; neque propter ejus longitudinem ad funiculos pertingi.

25. Victa igitur Pompeii classe, pedestris etiam exercitus, timore correptus, Messanam versus abivit. Eodem et pauci ex navali prælio se receperunt, septemdecim navibus: quos ipse quoque mox Pompeius comitatus est a Naulocho conscendens. Ceteri varia clade deleti: cum ejectas in littora naves Cæsar incenderet, altum tenentes Agrippa persequeretur. Inter hæc relictus cum exercitu Tisienus Gallus, in potestatem Cæsaris se transdidit: exemplumque hoc præfecti equitum imitati sunt. Hac pugna naves Cæsaris tres tantummodo mersæ referuntur, Pompeianæ duodetriginta: ceteræque omnes, præter septemdecim quas diximus, incensæ fractæque sunt, aut in manus hostium pervenerunt. Liv. Epit. Oros. Vell. Dio et Appian. Appian. Oros. Appian.

Digitized by Google

Dio et Appian.

26. Pompeius inter hanc calamitatem, exercitus quoque defectione cognita, protinus, abjecto imperatorio cultu, Messanam certos homines præmisit, qui filiam, amicosque, et pecunias, et quicquid pretiosum erat, jam enim hunc in casum consarcinata habebat, in naves servatas imponerent. Misit etiam Lilybæum ad Plennium inde arcessendum, octo legiones ejus fugæ comites habiturus. Neque tamen expectavit ad se properantem, pavidus ducum suorum præsidiorumque nuntiis frequenter ad victorem deficientium. Igitur cum reliquis navibus relicta Sicilia cursum in Asiam direxit, Antonium, ob servatam in simili periculo matrem, sibi sperans æquiorem fore. Nec insecutus quisquam est fugientem, alia per negotia impeditis victoribus, et inter se parum amicis. Quippe Cæsar in castris ad Naulochum remanens, Agrippam ad obsidionem Messanæ miserat; quod oppidum intraverat jam Plennius, unaque secum hostem attraxerat Lepidum. Igitur a duobus exercitibus se videns obsideri, de pace oratores misit. Ibi tendente Agrippa, ut in adventum Cæsaris res integra servaretur, Lepidus et pacem Plennio statim dedit; et conciliandis ejus legionibus, annuit ut una cum suis militibus Messanam tota nocte diriperent. Accessit et incendium, studio, an inter militarem licentiam temere ortum: et utraque audita clades excivit Cæsarem, ut sequenti statim die advolaret.

Appian.

Sen. Nat. Quæst. IV. Præf. Appian. Dio.

Appian. et Dio.

27. At Lepidus, adventu Cæsaris cognito, reliquit oppidum, et in colle quodam munito castris positis, obterere Cæsarem in concione militum cœpit, acceptasque ab eo injurias exponere. Animus enim ei creverat, tot circum se videnti signa legionum, quarum multitudinem, acceptis in fidem Pompeianis, usque ad numerum viginti duarum adauxerat. Igitur et Siciliam retinere cogitabat, jure facturum dictitans, quod et venisset in eam insulam prior, et plures civitates in deditionem accepisset.

Vell. II. 80. Oros. Sueton. Aug. 16. Appian. et Dio.

28. Cæsar, cum et hæc audisset fieri, et fauces contra se præsidiis insessas videret; amicos de injuriis questum misit. Remisit alios Lepidus, ad disceptationem provocans. Venit Cæsar, et exprobrandis utrimque maleficiis, eo processum ut ultro citroque minæ jacerentur. Ergo tanquam in vicinia hostilium castrorum excubiæ

Appian.

Digitized by Google

diligenter actæ sunt: et eductæ portu naves ad anchoras steterunt, ne a Lepidanis incenderentur: iterumque civile bellum Romani exercitus horruerunt, nunquam concordi inter pares potentia. Lepidus tamen a suis quoque postponebatur Cæsari, segnitiem ejus cum industria et virtute adolescentis comparantibus. Hoc ubi Octaviano innotuit, sperans promissis præmiisque ad se pertrahi Lepidi copias posse, per idoneos homines cum singulis tribunis atque præfectis egit. Cesseruntque haud pauci, præsertim qui Pompeium secuti, parum sibi cautum, pace cum Lepido facta, credebant, nisi consensus Cæsaris accessisset. Vell. Dio. Appian.

29. Postquam satis parata omnia visa sunt, cum magno equitatu profectus ad castra Lepidi, sed relictis extra vallum alis, cum paucis suggressus, quod videretur de pace acturus, intromissus est. Sed inter incedendum astute jactis vocibus, invitum se cogi ad bellum modo singulos, modo universos testabatur: et imperatorem appellantibus quotquot viderant, Pompeiani, quos corruptos fuisse diximus, accurrerunt, veniam orantes. Ille 'mirari' respondit, 'veniam hos ab se petere, qui nihildum ad promerendum eam fecissent.' Intellecta vox est, et alii mox signa transtulerunt ad Cæsarem; alii facturi eadem, detendebant tabernacula: cum excitatus tumultu Lepidus ad arma prosiliit, telaque jaci cœpta, et armigero Cæsaris occiso, ipse quoque percussus innoxio ictu, quia thorax pectus defenderat, cursu se recepit ad equites. Id præsidiarii milites in proximo castello conspicati, deriserunt Cæsarem, et in fugam ejus jocati sunt. Nec mora, irritatus adolescens castellum oppugnavit equitum opera, nec ante quievit, quam illud expugnasset. Ceterorum quoque præsidiorum præfecti statim, aut nocte proxima se dediderunt, intacti plerique, pars in speciem tantummodo paulisper oppugnati ab equitibus. Dio. Tac. Ann. I. 10. Appian. Vell. Dio. Oros. Appian.

30. Non defuerunt tamen qui serio vim repellerent, donec, universo adducto exercitu, castra Cæsar obsedit. Tum vero descitum est vulgo; et quanquam, durante adhuc in Lepidum reverentia, communiter nihil moveretur, per partes transibatur: et auxilia quæ summitteban- Dio.

Digitized by Google

Appian. tur a Lepido plerumque transfugiebant, cum illis ad quos custodiendos venerant. Jam et Pompeianorum reliqui agminibus factis deseruerant, et apparebat finem deficiendi nullum fore: cum signa abeuntium retinens imperator exclamavit, 'Hæc ego nunquam dimittam vivus.' Abscessit tamen, territus violentissima voce signiferi, 'Dimittes ergo mortuus.' Postremi omnium equites, tanquam ad redimendum moræ crimen, miserunt ad Cæsarem, utrumne occidere deberent Lepidum consulentes, jam exutum imperio. Sed id quidem vetuit Cæsar. At Lepidus, repentina fortunæ mutatione dejectus, cum pullo amiculo ad Cæsarem venit. Cui cum ad genua vellet accidere, sublevatus est ab assurgente; vitaque concessa et bonis, Romam remissus, ut inde Circeios in perpetuum exilium ablegaretur, triumvirali potestate ademta. Pontificatum tamen maximum, Octaviano concedente, usque ad finem vitæ retinuit.

Sen. Nat. Quæst. IV. Præf. Oros. Dio. Appian. Vell. Suet. Liv. Epit. Appian. Sueton. Aug. 31.

31. Sublato in hunc modum Lepido, Cæsar ex sua unius sententia ordinavit Siciliam. Equites et senatores qui fuissent in Sexti partibus, supplicio affecit, præter paucos: milites in suas legiones distribuit. Urbium quoque pensata merita: pertinacioribusque pœnæ constitutæ, sponte deditis venia præbita. Rheginis deinde, paucitate incolarum laborantibus, supplementum Cæsar ex sociis navalibus dedit. Antonio naves ab illo acceptas remisit, substitutis aliis in locum earum quæ perierant. Pompeium neque per se neque per alios persecutus est, sive quod e numero patris interfectorum ille non fuerat; sive ne querendi causam præberet Antonio, si videretur in partem illius cum armis transcendere.

Dio. Strabo, VI. p. 259. Dio. Appian.

32. Donativum inde militibus dedit, coronasque et honores distribuit, concessitque Pompeianis veniam, et plura promisit in futurum, pollicitis, quam præsente copia, ad tantam exsaturandam multitudinem instructior. Conductis enim in unum copiis, legiones numerabat quinque et quadraginta, equitum millia quinque et viginti, levis armaturæ septem et triginta circiter. Nec tulit miles differri spes suas, poposcitque missionem et præmia, quibus donati post Philippensia arma victores fuerant. Cæsar,

Oros. Appian. Vell. II. 81. Oros. Dio et Appian.

Digitized by Google

quanquam hoc bellum illi minime conferendum videretur, tamen respondit 'accepturos digna præmia, simul Antonius cum suis exercitibus affuisset, quos participes ejusdem liberalitatis haberi par esset: missionem non impetraturos nisi finita more majorum militia,' minis additis, 'si tumultuari tam iniquis causis pergerent.'

33. Ne tamen horum contumacia recens dediti exercitus accenderentur, vocata concione, lenius egit. 'Non abesse longe tempus quo satisfieri postulatis eorum debeat. Scitis enim,' inquit, 'mihi cum Antonio sic esse divisas partes, ut tamen quæ summam reipublicæ, pacem bellumque, cogendosque et dimittendos exercitus concernant, de communi sententia statui oporteat. Igitur quamprimum erit occasio, erit autem propediem, ne dubitate quin de commodis legionum sim cum eo diligenter acturus. Interea sub signis neque otiosi reipublicæ, neque vobis inutiles manebitis. Quando enim beneficio Deorum civilia tandem arma quieverunt; ad externa bella vos ducam, ubi neque formidetis ullum scelus, neque hostes pari robore parique scientia armorum habeatis. Illyrios, Pannonios, Dalmatas, neque debita præstare stipendia, et ultro incursare fines nostros, dum internis discordiis distringimur, audistis. Eos ulcisci in animo est: et ad hæc bella, si parum esset imperatorem hæc jubere, ipsi operam vestram offerre, atque, ut ita dicam, obtrudere deberetis; quo Romani nominis ignominiam vindicaretis in illos, qui nisi vestros animos vestrosque lacertos contemnerent, injuriis in populum Romanum abstinuissent. Adversus hos laudabilis erit ferocia, quam contra imperatorem vestrum turpiter et frustra consumitis. Ad lætitiam ulti doloris, ad gratulationem civium, ad defensæ reipublicæ gloriam, accedent et a me præmia, et in opulentis gentibus minime expers prædæ victoria erit.'

34. Acclamatum est, 'satis sibi exhaustum laboris, nec ad nova bella profecturos, nondum acceptis priorum præmiis ac honoribus.' Atque illo respondente, 'se et honores dedisse multos, et additurum coronas alias legionibus; itidemque his qui navali prælio vicissent, oleaginas; præterea tribunis et centurionibus prætextas, jusque adipia-

Digitized by Google

cendi ordinis in sua cuique patria;' tribunus Ofilius nomine 'corollas et prætextas puerorum delinimenta esse' exclamavit; 'militibus agris opus esse et pecunia.' Ea vox assensu circumstantium excepta cum esset, Cæsar indignatus de tribunali descendit. At laudantibus Ofilium plerisque, et ceteros incusantibus, qui ad communem causam contabantur accedere, pari temeritate tribunus negavit 'opus aliis fore: se enim vel solum ad impetranda hæc tam justa sufficere.' Sed ille quidem tam ferociter locutus in præsentia, postridie nusquam comparuit; neque rescire vulgus potuit, quid eo factum esset.

35. Admonuit hoc exemplum ceteros, ut nemo unus præcipue, sed confertim uno ore acclamarent, 'mitti velle.' Cæsar satis intelligens, nondum militiæ pertæsos, ideo tantum postulare missionem, ut se paulo post cum Antonio dimicaturum (id enim fore olim apparebat) redimere operam eorum atque benevolentiam quoquo modo cogerent, minime cedendum judicavit: sapienter existimans, si semel vinci passus esset, nunquam militum licentiam avaritiamque cessuram, quin aliud ex alio flagitarent. Igitur severitatem liberalitate temperans, ut diversa erant genera ætatesque militum, varie cum iis agere instituit. Et Mutinensis quidem militiæ sociis, ut vetustissimæ legionum parti, missionem dedit; nihilo secius exsoluturum præmia pollicitus. Cum hi discessissent ex insula (statim enim jusserat avehi) ceterique in petenda missione persisterent, dimisit omnes qui dena stipendia explevissent; quo numero ferme erant, qui ad Philippos navarant operam. Hos quoque facessere jussit ex insula.

Oros. Appian. et Dio.

36. Sic dimissis circiter viginti millibus, cetoros pro concione adhortatus, 'ne perfidiam non sponte imperatoris militiam deserentium imitarentur,' laudavit, donavitque quingenis denariis,[f] spe insuper facta, fore ut brevi honore opibusque cumulati dimitterentur. Adjunxit 'nullius eorum opera deinceps usurum, quos invitus dimi-

[f] *Quingenis denariis*] Marcis nostratibus 7. unciis 6. semuncia 1. *Crev.*

Digitized by Google

sisset, etiamsi instantissime deprecarentur: neque daturum præmia, nisi quos, causa cognita, dignos judicasset.[f] Interim ut præsentibus promissum donativum repræsentaretur, quam ad rem pecunia deerat, statim a concione Siculis tributum imperavit talenta mille sexcenta.[g] Sed Agrippæ coronam auream rostratam, itemque vexillum cœruleum, virtutis causa dedit: qui honos nemini ante eum erat habitus.[h] His ita gestis, Statilium Taurum, cujus armis interim Sicilia tota cesserat, in Africam pro consule misit: a quo, statim recepta vetere provincia, ne Numidia quidem moram fecit. Ita præmissa parte exercituum, ceteros ipse secum ex Sicilia deduxit. Hæc victoria Cæsari, non modo ad ingentem accessionem virium profecit, sed etiam opportuna fuit ad motus Italiæ coërcendos, incipiente jam tumultuari Etruria: sed ad famam adventus ejus omnia confestim conquierunt.

Sueton. Aug. 24. Appian. Liv. Epit. Dio. Sueton. ib. 25. Sen. de Benef. III. 32. Virg. Æn. VIII. 684. Vell. Oros. Dio. Appian. Dio.

37. At Romæ quo die parta, eodem etiam annuntiata victoria est. Miles enim quidam nescio quo furore correptus, ut tum singula maxime gerebantur, ita vocibus ac gestu expressit: postremo cursu Capitolium petens, ad pedes Jovis ensem deposuit, tanquam cessaturo posthac ejus usu, pacatisque redituris temporibus.

38. Tanto maturius meditari adulationem potuit senatus, qui olim assuefactus servire fortunæ, et, quibus illa faveret, immodicos honores redeunti decrevit; ipsi delato arbitrio, partem eorum quam delegisset, aut simul omnes accipiendi. Obviam etiam egressus est longissimo itinere, simul incedente maxima multitudine populi: salutantemque Deos, et e fanis domum se recipientem, prosecuti sunt.

Appian. et Dio.

39. Postridie tam in senatu, ut moris erat, extra Ur-

[f] *Talenta mille sexcenta*] Marcas argenti 150000. *Crev.*

[h] *Qui honos nemini ante eum erat habitus*] Ita volunt, præter Livii Epitomen, Velleius, Seneca, Dio. At Plinius, non semel, sed VII. 30. et XVI. 4. Varronem, illum eruditorum principem, corona navali rostrata piratico bello a Pompeio donatum esse memorat, ut dictum est supra XCIX. 31. Quin et, si recte supplevit Festum, in voce *Navali corona*, Scaliger, Atilio idem decus, in bello adversus Nabin, delatum fuerat. Sed Agrippæ rerum gestarum splendor et nominis claritudo ceteris nimirum præumbravit, et plerosque scriptores in errorem induxit. *Crev.*

Digitized by Google

Sueton. Aug. 84. Dio et Appian.

bem evocato, quam pro concione res suas atque consilia exposuit, idque, sicut solenne fuit ei in omnibus majoris momenti negotiis, de scripto, quod mox edidit. Argumentum erat plenum amoris et benevolentiæ. Gestis suis enumeratis, gratias agebat patribus, propter honores delatos. Laudationem enim, statuas, primam ubique sedem, triumphalem arcum, ovationem, coronam lauream perpetuo gestandam, ferias anniversarias, qua die vicisset, atque ea die ut in cella Jovis Capitolini cum uxore et liberis epularetur, decreverant.

40. Sed ex his tum quædam recusavit Cæsar modesta oratione: promisitque consuetis honoribus contentum fore cum præclara civilis extincti belli conscientia: quo sublato nunc tranquillitatem atque pacem jubebat expectari, et quæ inde bona proficiscuntur. Atque ut ea jam inciperent persentiscere, se tributa quotquot indicta, nec dum persoluta essent, debitoribus remittere dixit; itemque vectigalia nonnulla, et mercedes habitationum. Accepit tamen ex honoribus, ut ovans iniret Urbem, et annua solennia victoriæ suæ, cum aurata statua in foro, habitu triumphali, cingentibus columnam navium rostris, et inscriptionem hanc præferente basi: OB PACEM DIV TVRBATAM TERRA MARIQVE PARTAM. Ingressus est Urbem iterum triumvir reipublicæ constituendæ causa, ovans ex Sicilia, Idibus Novembribus.

Fasti Capit. Sueton. Aug. 22. Oros. Dio et Appian.

41. Sub eos dies, offerente maximum pontificatum populo, quod eum adimi vivo cuiquam inauditum erat, recusavit: et quibusdam Lepidum pro hoste publico necari jubentibus, constantissime renisus est. Nec deerant, qui hæc secus interpretarentur. Facta hæc, ut Lepido atque Antonio, tanquam dispari præditis ingenio, conflarent invidiam: neque sponte fuisse liberalem, sed quod exigi a depauperatis civibus non potuerit, donare quam perdere maluisse.

Sueton. Aug. 31. Appian. Dio.

42. At patres ob ejusmodi moderationem multa decreverunt: 'uti sacrosanctus haberetur, et qui eum verbo, quive facto læsisset, eadem pœna teneretur, ac si tribunum plebis violavisset:' quorum et potestatem, et in subselliis una considendi jus ei dederant. Additum etiam, 'uti

Oros.

Digitized by Google

habitaret in publicis ædibus,' postquam destinatam domus aream Apollo vindicarat. Plures enim domos per procuratores suos in Palatio, ubi habitare decreverat, jusserat emi. Sed fulmine tactus est locus, responderuntque haruspices, 'eum a Deo desiderari.' Nec his contenti patres, in Agrippam quoque, quem gratissimum Cæsari videbant, versa veneratione, decreverunt, 'uti quoties aliquis triumphans[i] cum corona laurea inveheretur, ille acceptam a Cæsare navalem gestaret.' Sueton. Aug. 27. Dio. Vell. Sueton. Aug. 29. Dio.

43. Inter hæc Valerium Messallam, propter navatam eo bello operam, augurem fecit Cæsar, cum proscriptus nuper fuisset, etiam aucto sacerdotum numero. Sed et Uticenses civitatem Romanam beneficio Cæsaris acceperunt: et militibus promissus ager dividi cœptus: et, deficiente publico, aliunde coëmi Cæsar jussit. Passim enim per municipia et colonias, deminuto capitum numero, agri supererant. In his Capua cum esset, magnum modum agrorum, quos publice possidebant Campani, ab his adeptus est, eosque militibus in supplementum coloniæ ascriptis distribuit: Cnosia invicem his attributa regione Cretæ, unde duodecies[k] redibat annuum, multo largiore fructu, quam quem ex agris suis perceperant; et, qua maxime postea gloriati sunt, aqua Julia. Hæc enim profecto plurimum et ad salubritatem oppidi, et ad amœnitatem contulit. Quorum aquæductuum etiamnum in ruinis antiquæ Capuæ vestigia et fragmenta sub terra reperiuntur. Vell. Leandri Ital.

44. Inde circum exercitus literas misit, una die ubique aperiendas. Jubebantur omnes fugitivi, quamlibet his fœdere Pompeiano concessam libertatem senatus confirmaverat, jamque se pro militibus illi gerebant, comprehendi. Hi posteaquam adducti sunt in Urbem, interrogati unde et a quibus profugissent, dominis sunt restituti: quotquot reperire dominos non poterant, alii Romæ crucibus affixi sunt, pars magna per Italiæ Siciliæque civitates, unde Appian. Dio. Oros. Appian.

[i] *Uti quoties aliquis triumphans*] Hoc loco mutila est Dionis oratio, sed ita ut satis intelligi possit mentem ejus hanc esse, ut quibuscumque diebus triumphales viri coronam lauream gestare soliti essent, iisdem Agrippa suam navalem gestaret. Vid. not. ad l. CXXVI. c. 35. supra. *Crev.*

[k] *Duodecies*] Marcæ argenti 4687. unciæ 4. *Crev.*

Digitized by Google

Dio. quisque fugerat, pœnas dederunt. Et ut amplissimo ordini plus dignitatis accederet, vetuit amiciri Cæsar purpura, nisi magistratus senatorios; quoniam vestis illa etiam ab humilioribus usurpari cœperat.

Dio. Plut. Anton. Appian. Parth. Dio. 45. Eisdem consulibus, P. Canidius Crassus legatus Antonii, relictus ab eo in Armenia, et hanc devicit, et in Iberos exercitu ducto, regem Pharnabazum prælio fusum ad societatem belli contra vicinos Albanos adegit: et horum rege superato Zobere, progressus ad Caucasum usque, Antonii nomen famamque iis locis celeberrimam effecit. Plut.

46. Ceterum ea res fraudi potius Antonio, quam honori et lucro fuit: quatenus successus ille vanum animum ad bellum Parthicum, quod jam olim secum agitaverat, vehementius impulit. Etiam in Monæse ingentem spem collocaverat, quem peritum regionum, et de Parthorum erga se affectu multa et præclara pollicentem, ejus belli ducem habere decreverat, regno promisso. Sed hæc quidem tota destinatio mox evanuit, postquam Phraates, Parthis moleste ferentibus Monæsis exilium, miserat ad eum nuntios, dextram daturos, integram ei apud regem gratiam, et magna ab isto commoda fore. Pupugit ea res Antonium; ceterum ne alios forte ad sese transitures deterreret, dissimulavit offensam, simul oblatam occasionem decipiendi Phraatis existimans. Ut enim incautum imparatumque invaderet, sibi gratum esse prætulit redire ad suos Monæsem, pacis pararium: unaque misit legatos amicitiam promissuros, si captivos et signa, Crassi calamitate amissa, Parthus reddidisset. Plut. et Dio.

Plut. Dio. Plut. 47. Ipse interim Syriæ appropinquans, Fonteium Capitonem misit, ut Cleopatram adduceret: cujus amore deperibat, super cetera irritamenta communium etiam liberorum recordatione devinctus. Geminos ex ea sustulerat: e quibus puellam appellari Selenen jusserat, puerum Helium, siderum nominibus. Venit illa, nec modicam postulans laboris mercedem, Herodi quidem Judæo maximi discriminis causa fuit, cujus regno inhiabat. Effecit enim ut propter interfectum Aristobulum affinem suum capitis arcesseretur: quemadmodum et Lysaniam Ptolemæi Joseph. Antiq. xv. 4. Dio.

Digitized by Google

filium, quem Ituræis Antonius dederat regem, Parthis favere calumniata perdiderat. Nam inexplebilis avaritiæ fœmina cunctis Syrorum regulis struebat insidias, ut, his sublatis, eorum ditiones dono Antonii obtineret. Igitur licet dimissum semel Herodem continuo infestavit, ut redimere pericula sua sæpius pecunia cogeretur. Joseph. ibid.

48. Neque minus iniqua Arabi Malcho, duorum regna sibi flagitabat. Tandem Antonius, hinc muliebribus incitatus furiis, inde pudore retentus; ne aut daret omnia, aut negaret, Judæo Hierichunta et feracem balsami regionem ademit, Nabatæo maritimam: sed et Phœnicum urbes, cis Eleutherum fluvium usque ad Ægyptum, Cleopatram habere jussit, Tyro et Sidone exceptis, quas ab antiquo sciens esse liberas, eam gratiam quantumvis blandienti reginæ noluit gratificari. Sed illa tamen ad Euphratem usque prosecuta proficiscentem, non ante dimisit, quam aliquot Ciliciæ Cretæque partibus,[1] ad hæc Cyrene et Cypro auctior discederet. et de B. Jud. I. 18. Plut. Dio.

[1] *Aliquot Ciliciæ Cretæque partibus*] Has Antonii largitiones ad posteriora paulo tempora referunt Plutarchus et Dio. *Crev.*

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXX.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Plut. Anton. Appian. Parth. Dio, XLIX. Vell. II. 82. Dio. Justin. XLII. 5. Flor. IV. 10. Liv. Epit. Plut.

1. At M. Antonius,[a] remissa in Ægyptum Cleopatra, cum Euphratis transitum diligentius quam pro sua opinione custodiri accepisset, in Armeniam iter flexit, a cujus rege, contra regem Medorum, (Artavasdes[b] nomen utrique fuit,) invocabatur. Ibi lustrato exercitu, reperit legiones sedecim validissimas, cum Gallorum et Hispanorum cohortibus millia decem implentibus. Equites legionarii simul cum auxiliis millia sedecim: neque multo minor levis armaturæ multitudo.

2. Sed hic tantus apparatus, cujus fama Bactrianos et Indiam perterrefecerat, postremo in ludibrium abiit, corrumpente occasiones Antonio, dum amore Cleopatræ, velut insania, correptus, citius seriusve justo agit omnia, non ad occasiones rerum, sed suas libidines deliciasque respiciens.

[a] *At M. Antonius*] Appianum in Parthicis hic tantum allegamus, eum postea ideo omissuri, quod quicquid apud eum legitur de Antonii in Parthos expeditione, ad verbum exscriptum e Plutarcho est, sive ipse, quod parum verisimile est, hoc furtum fecit, sive potius aliquis consarcinator e Crasso et Antonio Plutarchi collectam hanc Parthicorum bellorum historiam sub nomine Appiani venditavit. *Crev.*

[b] *Artavasdes*] Idem nomen est Artabazes et Artavasdes: et Artavasdes hic Armeniæ rex idem est qui supra memoratus est Crassi socius, nec satis auditus monitor, CVI. 27. 28. 36. *Crev.*

Digitized by Google

Nam et magnam ejus anni partem, dum luxuriatur cum Cleopatra, perdiderat: et, quanquam æstas reliqua nequaquam par esset tantæ expeditioni, festinabat, ut apud illam hybernare posset. Idcirco licet longe fuisset consultius in Armenia reficere militem, qui decies centena millia passuum[c] raptim confecerat; atque hyeme ibi transducta, primo vere, priusquam ex hybernis Parthi moverent, occupare Mediam, sine mora profectus est, nuntiis etiam instigantibus, qui Medum longe a suis finibus auxilium adduxisse Parthis attulerant. Sed nec indicere bellum curæ habuit, quo prorsus inopinus invaderet; non ante professus hostem, quam Atropatenen attigit, quæ ab Armeniis Araxe fluvio disjungitur.

Liv. Epit. Plut. Dio. Flor. Plut. Strabo, XI. p. 523.

3. Progressus aliquantum, cum celeritatem, qua per Mediam irrumpere cogitabat in Parthos, mole impedimentorum tardari cerneret; relicto ad ea cum parte exercitus Oppio Statiano, majorem et firmiorem equitum peditumque numerum agens, ad Praaspa[d] contendit. Erat ea Medorum regia, sita in munito et arduo colle, distans ab Araxe et finibus Armeniæ passuum millibus trecentis.[1] Hic primum ipsa res arguit imprudentiam consilii, quo tormenta, quæ trecentis plaustris vehebantur, et arietem pedum octoginta reliquerat. Nec enim idonea materies aderat, in regione humiles tantum arbores et mollis ligni educante. Quod proximum erat, aggerem jecit, ut velut ex æquo loco consereret cum propugnatoribus manum.

Plut. et Dio. Vell. Plut. et Dio. Strabo. Plut. Dio et Plut.

4. Interea Parthus Medusque reges implicitum validæ urbis oppugnatione hostem sinentes, in Statianum mittunt haud ita magnam manum, sed satis validam adversus ex itinere fessos, et tale nihil expectantes. Igitur et Statianus, et quos secum habebat, (erant autem legiones duæ,) irrumpentibus sub serum diei barbaris, occidione cæsi sunt: nec evasit quisquam, præter unum Polemonem,

Liv. Epit. Flor. Vell. Dio et Plut.

1 *Quadringentis* edd. ante Crev. Ex Strab. emend. ille.

[c] *Decies centena millia passuum*] Leucas plus 330. *Crev.*

[d] *Praaspa*] Sic legitur hoc nomen apud Dionem: apud Appianum *Phraata;* apud Plutarchum Φραάρτου πόλιν. Strabo autem nominat *Vera* Οὐέρα. *Crev.*

Digitized by Google

Ponti regem, quem ceperunt vivum, acceptoque mox pretio, dimiserunt. Direptis deinde impedimentis, et corruptis machinis, pleni spiritus ac ferociæ, ad liberanda Praaspa contenderunt.

5. At Armenius Artavasdes, licet præcipuus suscipiendi belli auctor, in regnum, desertis Romanis, abiit, non sine crimine proditionis, cum neque ad Antonium adduceret copias, neque Statiano (potuisse enim creditur) subvenisset. At periculo suorum exterritus Antonius, licet ad primum Statiani nuntium propere signa moverat, nihil præter mortuos, et vestigia cladis reperit; ne hostibus quidem usquam comparentibus. Quarum rerum sicut altera mœstitiam dubitationemque indidit animo; sic altera, quasi fugientibus ob metum barbaris, utrumque exemit.

Strab. XI. p. 544. et XVI. 748. Dio.

Plut.

6. Sed ubi reditum ad Praaspa fuit, et annona, vicinis omnibus devastatis, cœpit esse gravior; cum decem legionibus, tribus cohortibus prætoriis, et universo equitatu frumentatum iit; hoc maxime modo hostes ad pugnam elici posse sperans. Nec amplius unius diei progressus iter, cum circumfundi Parthos undique, vimque minitantes cerneret, signum pugnæ in castris proposuit. Ceterum detendi tabernacula jussit, ut speciem non pugnaturi, sed proficiscentis præberet. Ita lunatam barbarorum aciem præteriens, imperavit equiti, simul animadverteret tam prope accessisse signa legionum, ut inferri in hostem possent, invectus faceret initium prælio. At Parthi, stupentes spectaculo, disciplinam Romani militis considerabant, servatis exacte ordinibus prætereuntis, et cum silentio quatientis pila: cum subito cum clamore irrupit eques, et usum arcuum propere suggressus abstulit. Repugnabant tamen: sed ubi et funditores, violentiore ictu et longius pertingente, quam Parthicæ sagittæ possent, incubuerunt, et legiones clamore scutorumque strepitu hostium exteruerunt equos; priusquam ad manus venire miles posset, solutis ordinibus abierunt. Ibi magnam in spem Antonius venit, posse profligari bellum, si fugientibus instaretur. At ubi ad sex millia passuum[2] insecutus pedes, et triplo

Dio.

Plut.

2 *Octingentos passus* edd. ante Crev. Ex Plut. emend. ille.

Digitized by Google

spatio eques, non ultra triginta viros cepisse, nec occidisse plusquam octoginta cerneret; gravis incessit omnibus solicitudo, siquidem victores tantillum inferre detrimenti possent, victi tot amitterent armatorum millia. Dies insequens Praaspa repetentibus eosdem labores attulit: et, vix dimotis hostibus, ad castra sua magno cum labore redierunt.

7. Interim et obsessi, eruptione facta, relictos ad opera turbaverant, aggeremque incenderant. Igitur Antonius, rebus ubique parum ex voto fluentibus tristior, advocatos in concionem severissima oratione castigavit. 'Quid hoc est flagitii, milites,' inquit, 'aut qua vecordia acti tantum militiæ dedecus admisistis? Ignaviane vestra factum, an vero negligentia dicam, quod ex oppido pæne capto facta eruptio, opera incensa, vos ipsi a mollissimo genere hominum fusi fugatique estis? Front. IV. I. 37. Liv. Epit.

8. 'Medos enim, si nescitis, a multis ætatibus, priusquam Pompeium et Romana arma experirentur, non Græci modo, sed etiam Syri Cappadocesque omnibus ferme prœliis vicerunt. Desinamus Romani jactare Pacorum et Parthicas laurus, si ab his superari patimur, quos servire Parthis non pudet. Scilicet, si sub Ventidio militares, timeri ab hoc hoste postulares, cui nunc et auspiciis et ductu M. Antonii par esse non potes. Hoc vulgari per provincias placet, hoc narrare hostes, audire socios, in Italiam, in Urbem, ad senatum Cæsaremque perferri? Adeone tot legiones cum essetis, me unius diei itinere distante, tueri opera non potuistis? Ecquid futurum erat, si me ratio belli longiorem aliquam in expeditionem abstraxisset? In unius igitur oppidi obsidione mihi cum tanto exercitu hærendum erit: aut, si usquam abcessero, metuendum, ne vos, tanquam relicta a pastore pecora, dissipemini? At ego tribunos militum vobis, ego legatos reliqui, penes quos hærere culpæ vestræ partem nolim, neque commisisse quenquam, ut sim ei asperior, quam consuetudo mea patiatur.

9. 'Sed quemadmodum ingenio meo lenitas congruit; ita disciplinæ, quæ tutelam imperii et exercituum continet,

Digitized by Google

necessaria est severitas. Nam hæc exempla si impunita patiaris, quid erit deinceps flagitii, quod animadversione dignum esse quisquam existimet? Spe corrupta celeriter expugnandi Praaspa, utilitatem publicam, et armorum nostrorum famam, et populi Romani formidatum prius his gentibus nomen prodidistis. Quantum nobis afferre potuerit moræ sterilis arborum regio, et propterea multo labore ac tempore vix effectus agger, magno dolore nostro sensimus: nunc ad eadem reficienda opera unde otium nobis, unde materia erit?

10. 'Vestrum hoc facinus erit, quicumque huic culpæ affines estis. Per vos irrisi contemtique aut munitæ urbi sine machinis et operibus assidebimus, aut infecto negotio discedemus. Hoc ego nisi jam in auctores vindicavero, non recuso quin nullius usus imperator habear. Erit tamen apud me non innocentiæ tantum securitas, sed etiam levioribus delictis venia. Quos autem constabit gravius peccavisse, quam ut condonari iis debeat, causam non dicent, quominus, quam exemplo suo labefecerunt disciplinam, eam supplicio suo sanciant.' Mox legioni, cujus eo tempore statio fuerat, pro tritico hordeum admensus est, legato cum ignominia dimisso, punitisque duarum cohortium centurionibus omnibus, et manipulis decimatis.

Plut. et Dio. Frontin.

Dio et Plut.

11. Inter eas calamitates, cum et eruptionibus Medorum, et præliis Parthorum Antonius fatigaretur, multique milites, frumentandi causa progressi, paulo longius interciperentur, sustinebatur tamen: donec, præterito jam æquinoctio, subvereri Parthus cœpit, ut suos, omnia potius quam hyemem sub pellibus laturos, continere in castris posset. Suberat etiam metus, ne vel indignatione robur augente, vel accitis alicunde auxiliis, Romanus oppidum vi subigeret. Subornatis igitur notissimis quibusque Parthorum, parcius incessi Romanos frumentatores, et nonnulla citra pugnam concedi jubebat: præferrique benevolum animum in milites; in Antonium convicia jaci, qui tot egregios viros contumacia sua perderet. 'Mittendis enim ad regem legatis, pacem haud dubiam impetrari posse. Nunc illum expectare in aliena regione famem ac

Plut.

Digitized by Google

hyemem, duos atrocissimos hostes, etiamsi præterea nulli essent. Quod si tum retrocedere conentur, quomodo tandem emensuros iter, satis difficile futurum vel amicis et deducentibus Parthis?' Hæc ubi per multos et sæpe ad Antonium relata sunt, jussit a barbaris, si forte eadem hæc iterarent, exquiri, utrumne illa, sciente ac probante Phraate, dictitarent? Tum demum ex amicis quendam misit, qui ad tegendam turpitudinem, ne contentus tuta fuga videretur, captivos et signa Crassi repeteret. Legationem hanc Phraates superbo excepit apparatu, aurea sella sedens, ac nervum arcus pulsans. Nec oratione quam aspectu minus terribilis, longo sermone increpavit Romanos, 'Antoniumque' jussit 'satis habere, quod suos milites, suaque signa retineret; ac si cordi fœdus esset, primo quoque tempore Parthorum finibus excederet. Sic tutum ei discessum, pacemque fidam fore.' Dio. Plut. et Dio.

12. Dura conditio erat, sed duriora timebantur. Idcirco paucis inde diebus vasa colligens, præ pudore milites alloqui non potuit, vir alioquin præstans facundia, et civilibus militaribusque concionibus exercitatissimus: vicemque suam hortandi milites Domitio Ahenobarbo demandavit. Ea res multis displicuisse dicitur, contemni se putantibus, post tot toleratas ærumnas. Plerique, rem ut erat conjicientes, æquioribus animis imperium secuti sunt. Cum recessisset a Praaspis Antonius, Medi, relicta ab eo opera, aggere disjecto, incendere. Plut. Dio.

13. Tum vero maxima exceperunt Antonium pericula, insanique labores: et erat actum de universo exercitu, ni e mediis hostibus auctor salutis extitisset. Parthos in præliis opera servorum uti consuevisse, supra etiam indicavimus: et inter equitum millia quinquaginta, quæ occurrerunt Antonio, solos quadringentos liberos fuisse relatum est. Igitur et milites Crassiani hoc in numero cum essent inventi; quidam eorum natione Marsus* noctu Liv. Epit. Vell. Flor. Justin. XLI. 2. Vell. Hor. Carm. III. 5.

* *Quidam eorum natione Marsus*] Velleius et Florus a captivo Romano e Crassianæ cladis reliquiis monitum esse Antonium memorant. Hinc judicavit Freinshemius in not. ad Flor. IV. 10, male legi apud Plutarchum ἀνὴρ τῷ γένει Μάρσος, rescribendumque esse Μάρσος: eo quidem magis, quod Plutarchus addit eum Parthorum moribus longo usu assuefactum fuisse, quod vide-

Flor. IV. 10. et ibi Freinsh. Plut. Dio. Plut.

accessit ad vallum, monuitque ne, itinere quo venerant, reverterentur. Quippe per campestria et plana redituros inevitabilis manebat a Parthis equitibus pernicies: montanis et sylvestribus locis tutior Romanis receptus erat, hostibus impeditior persecutio. Neque vero simulatæ paci fidendum, idem Marsus admonuit; simul viarum offerens ducem, et, cum fides postularetur, vinciendum se præbens, donec Armeniam attigissent.

14. Ita vix itinere bidui progressum est, per pacata in speciem omnia: die tertio cum, juxta fluvium incedente agmine, ruptum recens aggerem Marsus animadvertisset, effusasque in viam aquas, haud procul abesse hostem monuit. Vixque spatium Antonio fuit diducendi ordines, ut procurrere levis armatura posset, cum Parthi se intulerunt: et a velitibus atque funditoribus post multa utrimque vulnera repulsi, denuo fecerunt impressionem. Tum vero Gallus eques emissus est, disjecitque atque dissipavit Parthicas alas, ut eo die quicquam præterea tentare desinerent. Hoc documento admonitus imperator, quadrato deinceps agmine semper incessit, non a tergo tantum, sed etiam in lateribus levi collocata armatura. Equitibus injunctum, ut hostes repulisse contenti, longius ne persequerentur.

15. Cum eundo pugnandoque proximum quatriduum ita præterisset, ut Parthos, non minoribus acceptis quam illatis detrimentis, tæderet incepti, simul instans hyems desiderium repetendi domos faceret; rem prope restitutam Fabii Galli[f] temeritas afflixit. Vir erat fortis et strenuus. Ideo facile persuasit Antonio, ut sibi ad tutelam postremi agminis majorem numerum levis armaturæ, simul aliquot equitum alas concederet: cum his se sperare operæ pretium facturum. Incumbentibus deinde Parthis, cum summovisset hostem, non ex priorum dierum instituto recepit se ad suos, sed cupidius institit pugnæ. Igitur qui in ea

tur arguere hominem non indigenam. *Crev.*

[f] *Fabii Galli*] Aliter legitur hoc nomen apud Plutarchum et Appianum: apud illum, Φλαούϊος Γάλλος; apud hunc, Φλάβιος Γάλλος. Mutavit Freinshemius propterea quod *Galli* cognomen in Flavia gente non reperitur; apud Fabios in usu fuit. *Crev.*

Digitized by Google

parte curabant, a se divelli Gallum videntes, revocabant hominem: et Titius quæstor, manu signis injecta, convertere jubebat; increpans Gallum, cujus stoliditate tot viri fortes in discrimen adducerentur. Ille sua curare quæstorem jubens, perstitit in sententia, donec ab hostibus circumventus, auxilium postulavit.

16. Ibi vero magna tum ceterorum ducum imprudentia, tum P. Canidii, qui apud Antonium plurimi fiebat, paucæ cohortes alæque subsidio missæ; deinde, dum illæ vincuntur, aliæ aliæque. Ita factum ut priorum quorumque consternatione etiam recens advenientes auferrentur. Nec sisti potuit, donec fulsere signa legionum, quas a prima acie raptim Antonius adduxerat. Inprimis tertiæ legionis virtus, per medium fugientium agmen enisa, barbaros ab insequendo deterruit. Ea pugna non pauciores tribus millibus amissi: sauciorum ad quinque millia recepta, in quibus auctor cladis Gallus, quatuor transfixus sagittis, haud diu superfuit. Ceteros Antonius obiens, multa commiseratione, nec sine lacrymis consolatus est.

17. Nec deerant Antonio artes, quibus militari vulgo probaretur. Nobilitas, facundia, simplicitas, et quod in donando erat largissimus, in colloquendo comis, mirificum ei conciliabat favorem. Tum vero se curæ videntes esse imperatori, sic affecit penitus, ut obliti vulnerum, 'eum sui ipsius curam agere' juberent: 'eo salvo, salvos milites, salvum omnem exercitum fore.' Mox cum pulla veste proditurus in concionem, vetantibus propter omen amicis, imperatoriam purpuram sumsit: verbisque factis, cum victores laudasset, pulsos incusaret; adeo commoti sunt qui arguebantur, ut causis fugæ indicatis, tamen se vel decimandos, vel arbitratu ejus puniendos offerrent, modo tristari imperator et ægro esse animo desineret. Tum ille vicissim tactus hoc animo obsequioque militum, sublatis in cœlum palmis, 'Vos vero,' inquit, 'Dii Deæque omnes, precor, ut, si quid istinc præterea impendet calamitatis, id omne meum in caput vertat: at vos tam bonis tamque amantibus mei militibus parcite.' Sed hæc mutua inter imperatorem et exercitum benevolentia sic confirmavit animos, ut hostes, qui post hanc victoriam

Digitized by Google

nihil non sibi pollicebantur, spe sua judicioque magnopere fallerentur.

18. Illi contra suam consuetudinem prope castra Romana pernoctaverant; et, affluentibus in horas aliis, (nam et ex perpetuo comitatu suo, tanquam ad paratam prædam, multos rex mittebat) ad numerum quadraginta millium equitum aucti, Romanos iter facientes invaserunt. Sed alacriter ab his repugnatum est, donec per declivia euntibus rursum acerrime institerunt Parthi, tanta multitudine sagittarum immissa, ut pæne obruerentur.

19. Ibi jussu Antonii legionarius miles, receptis in medium velitibus et equitatu, testudinem fecit, in quam cadentibus sagittis, hostium pharetræ sine noxa militis exhaurirentur. Inusitatum id spectaculum non uno errore decepit Parthos. Primo enim, cum in sinistrum genu omnes procubuissent, essetque idem ab equis, ad hoc exercitis, factum, barbari vulneribus et fatigatione deficere Romanos simul omnes rati, omissis arcubus arripuerunt contos, sic interfecturi jacentes. Sed ubi cominus ventum, consurgens subito miles, pilis conjectis, complures interemit; reliquos miraculo rei et suorum casu attonitos conjecit in fugam, eo terrore, ut deinceps aggredi legiones non auderent. Igitur denuo pacis in speciem frumentum aut pabulum petentibus occurrebant, remissos ostendentes arcuum nervos: 'neque se ulterius infestos fore abeuntibus. Paucos Medorum secuturos, unius alteriusve diei itinere: nec inferendi periculi causa, sed tutandis vicis suis paulo longius distantibus.'

Frontin. Strat. II. 3. Dio. Flor. Plut.

Dio. Plut.

20. Sed suberat ingens dolus, et exitiosus omnibus, si declinassent in campos. Quod spe Parthicæ pacis, et ob commoditatem aquandi factum esset, nisi nobilis Parthus in castra Romana venisset, Monæsis se propinquum esse dicens, et ejus in gratiam salubre consilium afferre. Collibus deinde eminus ostensis, 'Sub his,' inquit, 'universæ Parthorum copiæ latent, excepturæ vos, siquidem in campos signa demiseritis. Altera qua instituistis pergere via, molestias habet, quibus assuevistis. Hanc vero si prætuleritis, scitote vos M. Crassi fato perituros.' Cum eadem dux viæ Marsus diceret, neque magnopere aliud

Digitized by Google

timendum superesse, præter iter unius diei per loca arida; secutus consilium Antonius, aquam portari jussit in utribus et galeis, quod omnia vasa defecerant. Sed Parthi, animadverso suas insidias non succedere, præter morem suum noctu secuti agmen, sub ortum solis extremis incubuerunt, vigilando et eundo defatigatis. Quippe eadem nocte circiter triginta millia passuum[3 g] confecerant.

21. Huic labori periculum additum priusquam expectabatur, (longius enim abesse hostem putaverant,) ad hæc sitis, non aquarum modo penuria, sed etiam calore certaminis accensa, (pugnandum enim simul et incedendum erat,) pæne ad desperationem impulit universos: donec flumen esse in proximo, eoque jam primos pervenisse ordines auditum est. Sed ne sic quidem miseriarum finis: accessio quin immo fuit. Salinacidas enim aquas[h] amnis vehebat, quæ potæ stomachum exulcerabant dolore, sitimque ultro adaugebant. Nec ignorabat hæc Marsus, aut monere omittebat. Sed impatientia sitis vicit: neque præsens molestia sinebat curare aut metuere futuram. Donec Antonius rogando, docendoque 'non longe flumen abesse salubrius, atque ultra viam asperam, ubi necessario finem insequendi facere Parthos oporteret: ne igitur, ob tantillam voluptatem, tam in propinquo sitam spem incolumitatis corrumperent,' permovit eos, ut, coërcita potandi lubidine, castra ponerentur. Jam et Parthi ex more recesserant, cum iterum Mithridates affuit, post modicam quietem properari jubens ad proximum trajiciendum amnem: nec longius Parthos secuturos. Contra Antonius aurea illi vasa quamplurima dono misit: ex quibus ille, quotquot occultare veste poterat, secum abstulit. Flor. Plut.

3 Ex Plut. correxit Crev. pro *septem et viginti millia passuum* in edd. priorr.

g *Triginta millia passuum*] Leucas nostrates 10. *Crev.*

h *Salinacidas ... aquas*] Freinshemius in not. ad Flor. IV. 10. hanc Salmasii emendationem probat, reponentis *Salinacidis* pro *salmacidis*, quod præferunt vulgata Flori exemplaria. Firmat Plutarchus, apud quem dicitur hujus fluminis ἀλμυρὸν καὶ φαρμακῶδες ὕδωρ. *Crev.*

Digitized by Google

22. Ceterum iter ejus diei quietum fuit: sed nox insequens terrorem habuit maximum, ipsis militibus auctoribus, qui passim occidebant spoliabantque eos penes quos aurum et argentum esse sciebant: diripiebantque pecunias Antonii, et argentum ejus factum concidebant dolabris.
Flor. Plut. Tum vero correptus ultima desperatione, qui hostium eam irruptionem esse crediderat, Rhamnum libertum suum, qui fuerat gladiator, jurare coëgit, 'confestim mortem illaturum, ubi jussus esset; ablaturumque caput:' ne aut vivus perveniret in potestatem hostium, aut mortuus agnosceretur. Inter hæc amicis complorantibus, dux itineris suaviorem et humidiorem auram sentiens, haud procul abesse miseriarum finem docuit, flumine vicino: simul allatum est, tumultum e militari licentia natum esse. Igitur ad hunc cohibendum, castrorum metationis dari signum jussit.

23. Dum tentoria figuntur, simul cum oriente die Parthi affuerunt. Idcirco, sicut fuerat superioribus diebus factum, iterum testudine se Romanus texit, donec vis major præterisset. Tum iter et pugnam continuando primum agmen fluvium attigit; objectisque ad arcendum hostem equitibus, quod vulneribus aut morbo debile erat in exercitu trajectum est. Ibi demum, remissis arcuum nervis, quieverunt Parthi, acclamante quodam ex ducibus:
Flor. Plut. 'Ite et bene valete Romani: merito virtutem vestram in cœlum effert fama, qui Parthorum tela incolumes sustinuistis.' Sed illi promissis hostium minime fidentes, otio læti, transmiserunt universi, curatisque jam ex commodo corporibus, reliquum ad Araxem iter die sexto peregerunt.

24. Eo loco postremum timuerunt, sparso rumore Parthos insidiari vorticosum et profundum amnem transituris. Sed vanus ille timor fuit: transgressique sine noxa, cum tandem in pacatiora venisse intelligerent, præ gaudio procidentes osculabantur amicum Armeniæ solum, et in mutuos complexus ruebant cum lacrymis, tanquam erepti ex inferorum faucibus, vitæque redditi. Nam profecto miserrimus hic et patientissimus exercitus longo tempore ærumnas incredibiles pertulerat; per ignotas regiones, et

Digitized by Google

hostilia omnia, viginti et uno diebus trecenta circiter millia passuum[1] fugiendo emensus. Liv. Epit.

25. Inter hæc fames etiam incubuerat, crebris prælliis impedientibus frumentationem, et inopia jumentorum, quorum pleraque variis modis interierant, reliqua sauciorum corporibus et sarcinis onerabantur. Reperio chœnicem frumenti venisse denariis quinquaginta:[k] panes hordeaceos pari pondere argenti fuisse permutatos. Et per se satis grande malum fames erat, et aliorum causa. Quippe plerosque ad nefandos cibos adigente necessitate, radices herbæque vellebantur, nullo salubrium noxiorumque discrimine. Sed eminebat una pestis, quæ in cibo sumta mirum insaniæ genus, et ex eo mortem inferebat. Inde qui gustassent, omnium aliorum immemores, vertendis lapidibus, tanquam re maxime seria, occupabantur; donec transmisso veneno ad vitalia, bilem evomentes conciderent. Et didicerant quidem adversus hanc ægritudinem vinum esse remedio: sed illud quoque jam defecerat. Oros. vi. 19. Plut. Oros. Plut.

26. Super hæc instabant vi ac dolis barbari præoccupantes angustos transitus, fossis et operibus obstruentes viam, aqua pabuloque prohibentes. Quod si forte per commodiorem aliquem locum processurum agmen videbatur, spargebant Parthi famam, ibi maximum esse periculum ab insidiis; subornatis qui per speciem benevolentiæ monerent loca peti, veris periculis minime caritura. Jam et perfugere quidam, tot incommodorum tædio, tentaverant: et nisi Parthorum sagittis in conspectu ceterorum cooperti fuissent, periculum erat ne plerique sequerentur. Idcirco sæpius exclamasse Antonium ferunt, 'O decem millia!' Græcos adsignificantem qui, duce Xenophonte, longius iter, et a pluribus infestati confecerant. Perisse dicuntur militum Dio. Oros. Dio. Plut.

[1] *Trecenta ... millia passuum*] Centum leucas. *Crev.*

[k] *Chœnicem frumenti venisse denariis quinquaginta*] Chœnix est mensura Græca, quæ aliquanto major est decima parte modii nostratis. Denarii quinquaginta æstimantur a nobis unciis argenti nostratibus 6. grossis 2. *Crev.*

Digitized by Google

Vell. II. 83. viginti millia, quatuor equitum, calonum pars ferme tertia: impedimentorum prope nihil superfuit.

27. Ceteros etiam, cum se jam omni molestia defunctos crederent, haud multo leviora prioribus mala exceperunt. Primum ex longa inopia cibus potusque immoderate sumtus concitavit atroces morbos, ut multi colicis doloribus et hydrope extinguerentur. Deinde tempestatibus amissa sunt octo circiter hominum millia, dum ex ardoribus Armeniæ Cappadocum frigora succedunt, et ex subita mutatione cœli corpora olim variis debilitata modis concipiunt morbos. Ferunt Antonium adeo talisse hæc ægre, ut vetuerit referri ad se perentium numerum, cum mederi, qua voluisset ratione, non posset; qua potuisset, nollet.

Plut. Liv. Epit. Plut. Flor. Dio.

28. Quippe in Syriam, atque inde Ægyptum properans, ut apud Cleopatram hyemaret, neque hyberna habere in Armenia voluit, nec cum eo rege bellum; multis instigantibus ne perfidiam hominis insultam pateretur. Nec enim dubitabatur, quin ille victoriam Parthicam corrupisset: quando inter proficiscendum profligaverant hostem decies octies, sed levi cedentium damno, quos propter velocitatem equorum assequi Romani non potuerant. Quod si Armenii equites, assueti Parthico hosti, neque celeritate impares, affuissent, ingens periculum Parthis incubuerat, ne propulsantibus Romanis, persequentibus Armeniis, grandi aliquo infortunio mactarentur. Sed Antonius, in alia tempora vindictam differens, pecuniam et commeatum ab rege, tanquam socio et amico, accepit; neque proditionem exprobrando, neque, ullis aliis in rebus, priorum temporum prætermissa aut imminuta comitate.

Flor. Liv. Epit. Plut. Dio. Plut.

29. Ex Armenia, licet jam adulta hyems esset, per continuas nives Cappadociam raptim transiens, Antiochiam pervenit: nec ibi commoratus, cum paucis ad mare descendit, et in castello quodam inter Berytum et Sidonem ('vicum album' vocabant) Cleopatram expectavit; sæpe a poculis, quibus intemperanter delectabatur, exsiliens, ut specularetur adventum ejus. Postquam illa

Dio. Flor. Plut. Oros. Plut. Dio et Plut.

Digitized by Google

affuit, vestem et pecuniam exercitui divisit, quinque et triginta denarios[1] singulis, tanquam allatum a Cleopatra donativum. Sed alii vestem a regina suppeditatam aiunt, pecuniam negant: ceterum illius nomine distributam, ab imperatore profectam esse. Hic expeditionis Antonianæ exitus cum Romæ non ignoraretur, et fama nuntiante veritatem, et diligenter explorante cuncta Cæsare; tamen supplicationes in Urbe, tanquam bene gesta republica, fuerunt. Quippe Marcus, occultatis cladibus, tantummodo, si qua erant paulo meliora, inflatius perscripserat: quod vivus e tantis periculis evasisset, victoriam vocans. Et supersedebat arguere Cæsar, durante adhuc Sexti bello: dein ratus fore, ut Antonius sua sibi vecordia malum arcesseret.

Dio. Vell. Flor. Dio.

30. Nec deerant quæ domi curarentur, ubi quotidie multa ex antiquo more mutabantur. Nam neque ædiles ullos iste annus habuit; quod civilibus bellis attritæ multorum facultates insanis ludorum sumtibus terrebant petituros: neque præfectus Urbis feriarum causa fuit. Sed illorum partibus prætores et tribuni plebis functi sunt; hujus, delecti quidam e collegio prætorum. Reliqua negotia publica tum in Urbe, tum per universam Italiam, illo et sequentibus aliquammultis annis, C. Cilnius Mæcenas eques Romanus administravit.

Fasti Capit. Dio XLVIII.

31. Eodem anno Cn. Domitius triumphavit, ob res in Hispania gestas, A. D. XVI. Kalendas Sextiles. Hic aurum coronarium non ab aliis quam Hispaniæ civitatibus acceptum, partim instruendo triumpho insumsit; reliquum contulit ad refectionem Palatii.[m] Ejusdem operis ornamentis et mutuo sumtas ad triumphum a Cæsare tabulas et statuas immiscuit; repetentique Cæsari facete respondit, 'mitteret ipse et juberet tolli; sibi enim ad hoc ministerium deesse famulos.' Et Cæsar, ne res dedicatas Diis auferre videretur, acquievit. Huic victoriæ

[1] *Quinque et triginta denarios*] Uncias argenti nostrates 4. grossos 3. *Crev.*

[m] *Palatii*] Sequitur interpretem Dionis Freinshemius. Sed vox Græca *βασίλειον*, qua utitur Dio, melius verteretur *regia*: nempe Numæ regia in radicibus Palatii, sive Palatini montis, sita. *Crev.*

Digitized by Google

Usser. Ann. a. C. 28. deberi rationem apud Hispanos computandi tempora, quam Æram vocant, viri docti non male existimant; victa gente Romanis ritibus paulatim mutante patrios: quemadmodum et paulo post, Antonio superato, Ægyptii Julianum annum receperunt.

Id. ib. a. C. 28.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXXI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Cum deinde L. Cornificius L. F. Sex. Pompeius Sex. F. anno darent nomina, novam in spem opprimendi Parthorum regis Antonius venit:* quod Polemon, Zenonis Laodiceni oratoris filius, quem Ciliciæ Pontique parte attributa regem appellaverat, venerat Alexandriam, 'a Medo se mitti' dictitans, 'cui male cum Parthis conveniret, ob prædam inique divisam, et inde orta jurgia, ex quibus in amittendi regni timorem Medus incidisset.' Is igitur Antonium exciri jusserat, omnes opes suas in belli societatem offerens. Idque facere tanto cupidius credebatur, ut Armeniæ regem ulcisceretur, iratumque ei Antonium attraheret, a quo contra se quoque nuper adductos eosdem Romanos dolebat.

Dio, XIX. Strabo, XII. pp. 578. et 556. Appian. Civ. l. v. p. 715. Dio. Plut. Anton. Appian. Parth. et Dio.

2. Igitur Antonius, nihil addubitans victoriam suam fore, si Medorum sagittariis et equitibus, quæ superiore bello sola ipsi præsidia defuerant, adjuvaretur, novam expeditionem parabat, ut ad Araxem fluvium Medo conjunctus, impetum in Parthorum regionem faceret. Interim ut Artavasdem Armenium dolo caperet, evocavit eum, quasi de rationibus suscepti belli deliberaturus. Sed illi

Dio.

* A. U. C. 717. A. C. 35.

Digitized by Google

fraus suboluit, nec se commisit Antonio. Quapropter hic, dissimulata ira, sub specie belli Parthici, oppressurus imparatam Armeniam, ex Ægypto movit.

3. Interim et Sex. Pompeius hoc maxime modo calamitatibus bellisque suis finem imposuit. Cum Messanæ suorum fidei diffisus, per altum vela facturum dixisset, extincto navis prætoriæ lumine, oram Italiæ legit: spoliatoque obiter Junonis Laciniæ fano, Corcyram atque Cephalleniam advectus, in quosdam suorum forte vi tempestatis eodem ejectos incidit. Nec tamen assumsit omnes; sed exposito periculo, si pauciores quam ut se defendere, plures quam ut latere possent, simul incederent, plerosque aliam alibi æquiorem quærere fortunam coëgit. Cum ceteris Mitylenæorum portum tenuit, qua in civitate bello civili pater Pompeius hunc puerum adhuc cum noverca Cornelia deposuerat:[a] et, Lesbiis eum ob patris memoriam cupide recipientibus, hyemem ibi exigere statuit, quod Antonius, ad quem ibat, in Mediam processisse nuntiabatur. Sed postquam præfectum Asiæ C. Furnium sibi parum amicum expertus, Antonii improsperam fuisse Parthicam expeditionem didicit; in spem adductus est, si quidem perisset Antonius, in ejus se potentiam succedere posse: sin superesset, saltem in imperii venire societatem. Duabus præterea rebus animus ei augebatur: recenti memoria Labieni, qui Asiam omnem celeriter subegerat; et

Dio XLIX. p. 270. Flor. IV. 8. Dio. Appian. Civ. I. v. p. 747. Dio. Appian. et Dio.

[a] *Qua in civitate bello civili pater Pompeius hunc puerum adhuc cum noverca Cornelia deposuerat*] Hæc non uno modo peccant adversus historiæ fidem. Primo Sex. Pompeius non erat puer tunc, cum Pharsalica pugna decertata est, siquidem periit, ipso teste Appiano, anno ætatis suæ quadragesimo. Vid. infra 18. Ad Pharsaliam autem pugnatum est anno ante hunc decimo quarto. Itaque illo tempore Sex. Pompeius annum ætatis agebat septimum et vigesimum. Secundo hinc patet Sex. Pompeium tunc ea fuisse ætate, qua partem laboris et periculi capessere posset, neque deberet extra belli aleam deponi in insula. Et vero supra, l. CXII. c. 8. Freinshemius ex Lucano memoravit eum fugienti se patri adjunxisse postea paulo, quam ille a Lesbo solverat cum uxore Cornelia. Itaque dubitari non potest quin Appianus hoc loco, et post eum Freinshemius, memoria lapsi sint. Appianus vero et in eo quoque erraverat, quod eum cum matre (quam multo ante Pompeius res suas sibi habere jusserat) depositum fuisse narrat apud Mitylenæos. Sed hunc ejus errorem vidit et emendavit Freinshemius. *Crev.*

Digitized by Google

quod ad eum quotidie multi confluebant ex Sicilia et aliis provinciis.

4. Igitur imperatorio habitu resumto, ad occupandam continentem oppositam se accingebat,[b] missis interim Alexandriam legatis, Antonio societatem et amicitiam offerens: cum paulo ante, jubenti arma ponere Antonio, et sic promittenti veniam, dicto audientem fore rescripsisset. Tum vero, speculandi causa, suos per speciem legationis misit; et eodem tempore legatos in Thraciam Pontumque; legatos ad Parthorum regem, eo se recipere cogitans, hac spe, futurum ut Romanus, et Pompeius, exercitui Parthico dux, ut modo Labienus, præficeretur. Nec omittebat augere classem, exercere remiges; quoties argueretur, prætexens a Cæsare metum, aut Antonio parari ista dictitans. Dio. Appian. Dio. Appian.

5. Legatorum Pompeii talis ad Antonium oratio fuisse traditur: ‘Missi sumus a Pompeio, qui fortuna iniquiore coactus relinquere Siciliam, ad tuam dexteram confugit, non quasi deesset quo se reciperet, sed quia magnitudinem animi tui fidemque et simplicitatem morum, multis experimentis cognitam, semper probavit. Nec enim longinquus erat aut difficilis in Hispaniam cursus, quæ patrem ejus, quæ fratrem constantissime dilexerat; quæ protexit ipsum post cladem fratris rerum omnium inopem; quæ mox adjuvit enixissime, et, quam semper exhibuit, nunc quoque pollicetur operam. Ceterum ille sic est affectus animo, ut tuam fortunam atque adeo voluntatem sequi malit: tecum, si pax placet, quiescere; tecum, si bellum anteponis, adire pericula postulet. Neque vero recens hunc induit animum. Jam olim, cum Siciliam adhuc firmiter obtineret, Italiam popularetur, amicitiam tuam ambiit, matre quoque tua, quam servatam ad te misit, pararia pacis atque societatis usus.

[b] *Ad occupandam continentem oppositam se accingebat*] Dederat Freinshemius *de Peræa occupanda consilia agitabat*. Sed nulla est in his locis Peræa. Rhodiorum autem Peræa, pars Cariæ, longius distat; neque ad eam accessit in tota hac, sive dimicatione, sive fuga, Pompeius. Nimirum fraudi fuit Freinshemio Græca ap. Dionem vox Περαία, quam tamen probe intellexit et vertit Dionis interpres; cujus verba pro Freinshemianis, aperte falsis, nobis religioni non fuit hic supponere. *Crev.*

Digitized by Google

6. ‘ Atque utinam eadem tibi mens fuisset! Utriusque res longe nunc haberent commodius: neque Pompeius expulsus Sicilia foret, neque tu adversum Parthos expeditione irrita teque et exercitum fatigavisses. Nam sine tua classe nihil adversus Pompeium Cæsar potuisset; nec adversus te Parthi, si fuisses adjutus his copiis, quas tibi Cæsar promiserat. Sed præterita, quoniam mutari nequeunt, ne vituperemus: documentum potius inde sumamus ad ea quæ sunt in manibus. Ecce nunc iterum eadem illa Pompeius monet, quæ utinam illo tempore ad animum admisisses! Toties deceptus, tot appetitus insidiis, aliquando dispar tuo Cæsaris ingenium, artes dissimillimas agnosce. Ita neque simulatis fœderibus ejus, neque subdola affinitate capieris.

7. ‘ Nam ab hoc quidem homine fidum pacatumque nihil expectaveris. Simul ipsi vires placebunt suæ, frustra tot amicitiæ vincula jactabis: infestus implacabilisque fiet. Ecquid enim Pompeii fortuna mentem aperire Cæsaris potuit, quem sine causa bello petivit, neglecto fœdere? Ecquid Lepidi, quem potestatis et victoriæ socium, imperio et dignitate spoliavit? Idque te inconsulto, citra cujus assensum tantarum rerum nihil oportebat geri: te fraudato præmiis utriusque victoriæ, quem decebat commodorum omnium participem consortemque haberi. Sed ille unus imperare omnibus, unus obtinere quicquid tot sæculis rei Romanæ partum est, postulat. Ideoque summotis jam ceteris hominibus, qui resistere ambitioni ejus poterant, te propediem, ne dubita, petiturus est, qui nunc cupiditatibus illius unus obstas.

8. ‘ Hæc quidem te quoque clare perspicueque videre existimat; sed tamen a se etiam moneri voluit, quo duo hæc penitus intelligeres: primum, neque moleste Pompeium ferre, quod naves Cæsari præbuisti, cujus ad bellum Parthicum tibi necessaria tum videbatur amicitia: alterum, spem esse Pompeio permagnam, te, considerata fraude Cæsaris, et perpetuo consiliorum ejus tenore, damnisque et periculis Parthici belli, quorum ille non mittendo promissos exercitus maxima causa extitit, non esse commissurum, ut diutius injuriæ tuæ vindictam, amicis

Digitized by Google

solatium, inimico ludibrium debeas. Denique, ut compendio Pompeii mentem omnem edisseramus, sic habe: Sextus cum tota classe, fidelissimisque copiis, quæ ne adversa quidem fortuna usum reliquerunt, in tuam se fidem tradit. Tu vero, sive quietæ res manebunt, insigne pacis ornamentum habebis, servatum Magni Pompeii filium: sive turbabuntur, juvenis acer, industrius, invisus infestusque Cæsari, tot una adductis navibus, tot fortissimis viris, minime pœnitenda partium tuarum erit accessio.' Liv. Epit.

9. Antonius ad hæc respondit, 'se mandasse M. Titio, ut cum parte Syriacarum navium militumque descenderet in Asiam, Sextumque, si se armis tueretur, invaderet; sin vero, honorifice ad se deduceret. Jam igitur in manu Pompeii esse, utram experiri sortem malit.' Dio. Appian. Oros. VI. 19. Appian.

10. Hæc cum maxime agerent, adducti sunt, quos in Parthos Sextus miserat, ostensique legatis excusantibus tempora juvenis in maximas angustias conjecti. 'Nec indignari Antonium debere, si ille dubitatione quadam, ne plus apud Antonium veteres offensæ, quam preces suæ valerent, ad barbaros respexisset. Omnem certe eam cogitationem, quemadmodum sit ex desperatione nata, ita, simul cognoverit ab Antonio se recipi, in nihilum abituram.' Et satisfieri sibi passus est Antonius, placabilis ingenio, neque suspicionum tenax.

11. At Sextus, audito, contra se Titium mitti, quem ob defectionem a suis partibus oderat; Ahenobarbum in suam redigere potestatem conatus est, eo pignore suam salutem in tuto fore ratus. Caius enim Furnius, Antonii nomine Asiam obtinens, appellentem eo Pompeium arcere insuper habuerat, neque satis ad hoc validus, neque comperta dum Antonii voluntate. Sed ubi eum bello se parare animadvertit, provincialium habito delectu, Domitium quoque Ahenobarbum accivit propinqui exercitus ducem, cum rege Amynta. Et convenerant illi, cum amicorum quidam Ahenobarbi Curius prodere illum Pompeio conatus est: sed proditus ipse convictusque, de consilii sententia pœnas dedit. Pompeius, interfecto suo liberto Theodoro, quem unum arcani ejus conscium indicasse rem rebatur, abjecit de cetero inutile fallendi con- Dio. Appian.

Digitized by Google

silium, et proditione Lampsaco potitus, magnis stipendiis invitavit Italici generis homines, quos eo C. Cæsar dictator in coloniam deduxerat. Jamque sub signis trium legionum instar habebat, cum equitibus ducentis. His copiis subito comparuit Cyzici, oppidum commodissimo situ proditione recepturus. Sed repulsus a militibus, qui custodiæ gladiatorum, quos forte ibi habebat Antonius, erant additi, portum Achæorum repetiit.

12. Venit eodem et Furnius semper observans eum, ne quam urbem occuparet, et frumentationem impediens. Hunc quoniam allicere Pompeius ad pugnandum nequiverat, in castris suis adortus, misit aliam manum, quæ sibi resistentem a quæstoria porta invaderet. Et successit dolus: irrumpentibus Pompeianis a tergo, coactus castra relinquere Furnius, multos milites amisit. Per Scamandrios enim campos imbribus madentes perquam impedita faga fuerat.

13. Hujus victoriæ fama Sexto multorum conciliabat animos, et ex Furnii auxiliis pars magna, egeni tributisque exhausti homines, gaudebant stipendia facere sub Sexto, qui pecuniosus et liberalis habebatur. Satis jam belle procedere cetera videbantur: sed equitatus deerat. Igitur, comperto, alam equitum Italicorum ad Antonium pergere, quam Athenis Octavia miserat, ablegavit ad eos corruptores cum auro: sed deprehensi sunt ab his qui sub Antonio Macedoniæ præerant, aurumque inter equites proditionem abhorrentes distributum.

Dio. Appian. 14. Interim Sextus, Nicæa atque Nicomedia, præclaris Bithyniæ urbibus, occupatis, pecunias colligebat, invalido ad prohibendum Furnio, qui propinquis locis castra muniverat: donec ei primum advenerunt e Sicilia naves septuaginta, reliquiæ classis quam Antonius Cæsari commodaverat; neque multo post cum aliis centum et viginti e Syria Titius affuit. His ad Proconnesum appulsis, Sextus classe desperans, incendit naves, quas gravioribus sarcinis oneraverat; remigesque ad pedestrem militiam transtulit: ne tum quidem consilio bellandi deposito. Quapropter amicorum ejus principes Cassius Parmensis, Nasidius, Saturninus, Thermus, Antistius,

Dio. Appian.

Digitized by Google

ceterique, et præcipuo apud eum honore habitus Fannius, postremo socer ipse Scribonius Libo, pacta salute, ad Antonianos duces transierunt. Ille destitutus, castris nocte relictis, in mediterranea Bithyniæ contendit, Armeniam, ut existimatum est, petens.

15. Luce reddita, Titius Furniusque et cum his Amyntas persecuti fugientem, circa vesperam attigerunt: et quia omnes pariter ab nocturno prælio abhorrebant, castra utrimque sunt posita. Tum quoque consilium audax Pompeio susceptum fuit, nec futurum inutile, si tam urgendis cœptis pertinax, quam ad tentandum promtus, fuisset. Tribus enim cætratorum immissis millibus, hostes castris expulerat, poteratque fortassis absolvere victoriam, si fusis fugatisque insisteret. Sed ille contentus aliquid præripuisse itineris, brevem ejus lætitiæ inanemque fructum sensit. Mox enim collectis viribus hostes insecuti, carpendo extremum agmen, confirmando provinciales, frumentum, aquam, pabulum eripiendo, in eas angustias redegerunt hominem, ut spretas antea conditiones repetere cogeretur. Oros. Appian.

16. Demum circa Midæum, haud incelebre Phrygiæ majoris oppidum, colloquium Furnii expoposcit, quem ut paternum amicum, et majoris dignitatis, Titio præferebat. Cum utrimque ad ripas amnis Sangarii accessissent, Pompeius ostendit, 'se, legatis ad Antonium missis, cum interim alimentis egeret, nemine præbente, hæc ad consilia prolapsum. Ceterum petere ut ad Antonium deducatur, nec alteri quam Furnio cogatur se credere.' Furnius ad hæc: 'siquidem ipsi pacis studium cordi fuisset, aut statim ad Antonium proficisci, aut Mitylenis responsum ejus opperiri debuisse. Id quoniam esset prætermissum, suadere se, ut veniat in fidem Titii, cui negotium istud permissum sit ab Antonio: neque duces ejusdem imperatoris tentet inter se committere.' Dio. Appian.

17. Parum hæc placebant Pompeio, qui Titium a se aliquando servatum, pro ingrato aversaretur. Neque honorificum putabat, in potestatem hominis non nobilissimi se transdere, neque tutum: ne forte sive pro moribus suis, sive propter veterem aliquam offensam, fidei Titius vin-

Digitized by Google

dictam anteponeret. Igitur iterum dedebat se Furnio, aut, hoc abnuente, saltem Amyntæ. Ceterum reponente Furnio, 'nihil aut[1] se facturum, aut Amyntam, quod esset conjunctum cum illius injuria cui mandatorum suorum executionem Antonius commisisset,' colloquium solutum est. Sequenti nocte cum minime dubitaretur, quin venturus qualibet conditione in fidem Sextus esset, relictis ille per castra ignibus, et tubicinibus ad significandas ex more vigilias, cum expeditis profectus est; ne sociis quidem itineris indicans quo ducerentur. Habebat autem in animo, redire ad mare, et incustoditam Titii classem incendere. Sed profugiens ab eo Scaurus, quanquam consilii ignarus, iter prodidit: insecutusque cum mille quingentis equitibus Amyntas, equitatu carentem celeriter deprehendit.

18. Hujus ad conspectum clam palamque deserto Pompeio transierunt ejus milites: illumque jam omnes metuentem dedere se in manum Amyntæ sine conditione coëgit necessitas,[2] qui conditiones Titii respuerat. Titius, adactis ad sacramentum Antonii Pompeianis, ipsum in custodia habuit, donec imperatoris mandata venissent. Sed Antonius, his rebus auditis, primo iræ impetu, scripserat ut interficeretur: mox ductus pœnitentia, servari jussit incolumem. At forte fortuna interitum ferentes literæ posterius advenerunt. Idcirco Titius, sive recentiores has esse credens, sive propter veterem offensam simulans, jugulavit eum Mileti, ætatis ejus anno quadragesimo. Quidam non ab Antonio, sed a Planco missas literas crediderunt, qui sit solitus in gravioris momenti negotiis uti Antonii annulo, nomenque ejus subscribere. Causam autem occidendi Sexti, sive Antonio, sive Planco, fuisse magnitudinem Pompeiani nominis, et metum, ne paternæ fraternæque amicitiæ Cleopatra memor, hunc aliquando præferre Antonio inciperet; neve Cæsar hostem suum recipi causaretur.

Dio.

Vell. II. 79. et 87. Appian. Flor. Oros. Strabo, III. p. 141. Liv. Epit. Appian.

Supra, l. CXXVI. 10. Appian.

19. His rebus in Urbem nuntiatis, Cæsar ob mortem

1 *Ante* pro *aut* legebatur ante Crev.
2 Deerat *necessitas* in edd. ante Crev.

Digitized by Google

Pompeii Circenses exhibuit, et Antonio currum pro rostris, et in delubro Concordiæ statuas posuit: decernendumque curavit, ut Antonio 'cum conjuge et liberis ibidem epulandi jus esset.' Quales ipsi quoque Cæsari attributi honores erant. Adhuc enim pro amico se gerebat, literisque consolatus est eum de clade Parthica, suam sortem comparans, cui, ex invidia propter victoriam et honores ea causa decretos, propemodum plus molestiæ, quam ex ipso bello, extitisset. Dio.

20. Ipse deinde in Siciliam profectus est, inde petiturus Africam, ubi turbas quasdam enatas esse didicerat. Sed aliquamdiu tempestate detentus, neque tunc neque postea provinciam illam adiit: mutataque sententia, et Statilio Tauro permissis Africæ rebus, in Illyricum prævertit, ubi cum Liburnis Iapodes, et sub idem tempus in Alpibus Salassi Tauriscique tumultuabantur, jam a superioris Cæsaris temporibus inquieti. Sueton. Aug. 47. Dio. Pigh. Ann. 718. et 719. Dio. Oros. Liv. Epit. Appian. Civ. l. v. et Illyr.

21. Sed hoc bellum apparantem ingens veteranorum seditio tenuit, ex eo genere, quos in Sicilia dimissos fuisse prædiximus. Nulla se dum accepisse præmia querebantur: utque hæc vel novis laboribus mererentur, iterum adigi sacramento petebant. Hos igitur Cæsar, ne permixti alios etiam seditiosos redderent, seorsim habere sub signis instituit. Hoc ipsum incitamento illis fuit, ut acrius moverentur; multisque et diversis artibus ad coërcendum opus esset. Nam initio paucos eorum, qui plurima habebant stipendia, circum Galliæ colonias distribuit: futurum ratus, ut ceteri, spe paulo post adipiscendi eadem, quiescerent. Ubi ne sic quidem consederunt animi, correptos quosdam ex seditiosissimis affici supplicio jussit; terrore quæsiturus obsequium, quod provocare per lenitatem nequivisset. Tum vero palam frementes, per simulationem concionis habendæ legionibus circumfudit, armisque ademtis, cum ignominia omnes dimisit. Hoc demum facto invictum Cæsaris animum, suamque imbecillitatem veris indiciis æstimantes, seria pœnitentia exoraverunt imperatorem, ut milites fieri pateretur. Atque ille mitigatus precibus, et opus habens exercitu, prætereaque subveritus, ne ad Antonium, occasione data, se Liv. Epit. Dio. Sueton. Aug. 24. Dio.

Digitized by Google

conferrent, haud gravatim annuit: semperque postea militum eorum forti fidelique opera usus est.

Appian. Civ. l. v.

22. Duodetricesimum ætatis annum Cæsar tum agebat, lætus successibus, et ubique, propter extincta bella, magnis cultus honoribus. Nam et passim a civitatibus inter tutelares Deos habebatur. Eo impatientius ferens, non alibi modo, sed in ipsa Italia lacessi pacem; dimissis adversus alias gentes ducibus, ipse statuit Iapydas aggredi, bellicosissimos homines, adeoque firmis corporibus, ut laboribus vix sub extremam ætatem cedant; et reperti sint, qui sub centesimum vitæ annum nulla militiæ munia detrectarent. Hi Aquileiam usque excurrerant, etiam Tergeste Romanam coloniam deprædati.

Dio. Strabo, VII. p. 214. Tibull. IV. 1. v. 113. Appian. Illyr.

23. Sed Avendeatæ quidem cum iis qui Monetium incolebant, quod hodie Croatiæ oppidum est, haud procul Vanna flumine, advenienti se dediderunt. In ceteris, præsertim qui montana incolebant, perdomandis plurimus labor fuit. Horum Arupini, vicis incensis, nemoribusque succisis, qua parte venturus Cæsar credebatur, in oppidum se receperunt: deinde alias per sylvas abruptis torrentibus invias, iter molienti occurrentes, simulata fuga se subduxerunt, insidiis excepturi persequentem. Sed ille præsentiens dolum, clam præmisit expeditos qui summa montium juga occuparent. Cum ceteris copiis instituto itinere suggrediens, dum excidit arbores, viaque munienda et struendis pontibus iter aperit, ab hostibus repente invaditur. Inter eam consternationem Cæsar contanti ascendere in arduum militi scutum ademit, et in primam aciem provolans, summovit hostem. Tum vero decurrentes ex superioribus locis, qui ad hoc erant præmissi, magnum Iapodum numerum occiderunt. Igitur illi, relicto oppido, per sylvas fuga dispersi, curam injecerunt Cæsari, ne reperiri non possent,[3] vetuitque incendi oppidum, hoc saltem pignore sperans attracturum eos. Nec frustra consilium fuit: ut patrias sedes, inque iis relicta reciperent, in fidem venerunt.

Cluv. Ital. Anton. I. 19. Appian. Dio. Appian. Flor. IV. 12. Appian. Flor. Appian.

3 *Ne reperiri possent* Cler. *Ut reperiri possent* reliquæ ante Crev. edd.

Digitized by Google

24. Inde Metulum ductus exercitus, maximum ejus regionis oppidum, quod situ simul munitissimo, et egregia juventute defendebatur. In monte nemoroso duos colles murorum ambitus occupabat, modica intercedente valle. Id spatium tria millia armatorum, viribus animisque præstantium, tutabantur. Aggerem jacere Romanus instituerat. Id opus nocturnis diurnisque eruptionibus impediebatur. Neque subire muros tutum erat, quod machinas habebant barbari, relictas a D. Bruto, quo tempore circum ea loca congressus cum hoc Cæsare et Antonio fuerat. Neque de aggere perfecto proderat discussisse mœnia, quod interior subinde murus ab hoste ducebatur. Dio. Appian.

25. At Cæsar, occupato exteriore succensoque, ad novum murum binis aggeribus jactis, turres erigit, unde quatuor simul pontes in mœnia porrigerentur. Paratis omnibus, a diversa parte cieri tumultum jubet, ut a defensione loci, unde periculum struxerat, obsessi deducerentur. Cum successisset consilium, læti Romani protrudere incipiunt pontes. Sed dum inter festinationem minus caute res administratur, labare machinæ, pontesque unus super alium ruere cœperunt. Tribus ita perditis corruptisque, ne quarto quidem fidere quisquam audebat; cum accurrens Cæsar, qui ex loco edito spectaverat omnia, postquam verbis nihil profectum est, exemplo incitaturus suos, protinus exsilit in pontem, prætento scuto mœnia petens. Tum vero et Agrippa, et duo alii duces, cum uno armigero, provolant primi; tum horum imitatione milites ita certatim, ut præ multitudine pons ruptus in præceps omnes effunderet, multis statim exanimatis, maleque mulctatis compluribus, in quibus et Cæsar ipse fuit, crus dextrum et utrumque brachium sanciatus. Sed animi firmitudine debilitatem membrorum sustinens, continuo iterum contendit in turrim, seque militibus et hosti monstravit, ne aut hic inani spe ferocior, aut illi segniores desperatione fierent. Flor. Plin. VII. 46. Dio. Sueton. Aug. 20. Appian.

26. Sed et alium pontem ædificari protinus jussit, et multas insuper copias arcessi: eaque res Metulinos terruit, reputantes quam cum invicto res esset, ut missis legatis facturos imperata pollicerentur. Cæsar obsides quin- Dio et Appian.

Digitized by Google

gentos postulavit, utque præsidium acciperent: adductique sunt obsides, et præsidio recipiendo duarum arcium excelsior tradita. Sed ubi arma quoque tradere jussi sunt, conclusis in curiam uxoribus liberisque suis, præsidium Romanum noctu interfecerunt: inde, curia incensa, ne hostium arbitrio morerentur, sibi consciverunt necem. Etiam fœminæ pleræque, liberis interemtis, aut in ignem conjectis, eodem modo finierunt: et incendium nemine restinguente sic absumsit ædificia omnia, ut tanti modo oppidi vix vestigium ullum superesset. Cæsar ex laboriosissimo bello spolia nulla retulit: ne captivis quidem abductis, quippe voluntaria morte consumtis qui comprehensi fuerant. Metulinorum tamen exitus ceteros Iapodas ita exterruit, ut, damnata spe armorum, in potestatem se traderent victoris.

Dio.

Appian. et Dio. Liv. Epit.

Nic. Damasc. de Inst. Aug. Dio. Appian.

27. Inde in Pannonios, et ipsos antea Romani imperii exsortes, castra movit, nulla belli causa, nisi quod ita commodum videbatur, exercere simul et alere militem alienis impensis. Segesticani tamen obtendebantur, qui semel iterumque Romanis armis petiti magis quam domiti, cum nec obsides dare, nec aliud quicquam facere pro victis coacti essent, ferocius agebant.

Dio et Appian.

28. Nam Pannoniorum regio ab Iapydia usque in Dardanos porrigitur, fluminibus et sylvis impedita. Cœlum et solum, hodie satis clemens ac ferax, tempore Dionis, qui regionibus his præfuit, asperum atque immite habebatur. Inde homines etiam, ut solet, ferocissimos gignebat, cædisque et pugnandi cupidos. Pæonas nonnulli Græcorum vocant: quorum tamen prope Rhodopen montem, ubi Macedoniæ regiones ad mare pertinent, sedes fuit. Sed Pannonii et ab se ipsis, et ab Romanis dicebantur. Urbes tum nullas habebant: neque vicis eorum et villis injuriam inferri Cæsar patiebatur, quas in plano sitas deseruerant; hac clementia sperans conciliaturum animos.

Strabo, VII. p. 314. Dio et Appian.

29. At illi, cum se recepissent in sylvas, ad Sisciam proficiscente Cæsare, quæ haud procul abest Segestica, palantes ab agmine Romanos intercipiebant. Idcirco Cæsar, per continuos octo dies, quibus ad Savum fluvium usque processit, omni clade vastavit eorum agros, et ædi-

Digitized by Google

ficiis immisit ignem. Ubi Segesticam perventum est, oppidum ad confluentes plurium amnium, sed præcipue Colapis et Savi, quorum ille munimenta ipsa alluebat, legati ab oppidanis affuerunt, ecquid venisset cum exercitu, quidque se facere vellet, quæsitum. Ille, præsidium ut acciperent, imperabat, obsidesque centum, cum certo frumenti modo. Neque distulerunt primores, acceptis conditionibus, obsides tradere.

Strabo, VII. p. 318. et IV. p. 207. Dio et Appian.

30. Sed ubi, conspectis militibus, qui ad præsidium ibidem agendum mittebantur, exhorrescere vulgus ad speciem præsentis servitutis cœpit; dissensione inter oppidanos nata, portæ clausæ sunt, et in mœnibus armati comparuerunt. Quando enim optimatum liberi obsides dati fuerant, discors populus, horum periculo, quod ad se pertinere non putabat, nihil movebatur. Sed Cæsar, qui opportunissimum bello Daoico locum quolibet pretio redigere in potestatem cupiebat, ponte facto Savum transgressus, castris communitis, Segesticenses intra mœnia coëgit. Et quanquam inter flumen et urbem omne spatium fossis vallisque interseptum erat, improbo labore bini aggeres erecti sunt. Nec enim terra tantummodo res gerebatur, sed navibus etiam, quas a sociis ad subvehendum exercitui commeatum paratas, adverso Istro subigi in Savum amnem, atque inde in Colapim jusserat.

31. Neque segniter se defendebant obsessi, sæpius eruptione cum facibus in aggeres facta: armatis etiam lintribus prælia aliquot navalia fecerunt, in quibus, præter alios, Menas etiam occisus est, qui a Sexto ad Cæsarem semel iterumque transfugerat. Et habebant in vicinis Pannoniis fiduciam haud sine causa. Gens enim prævalida erat, si unius imperio regerentur: poterantque ad bellum educere centum millia delectæ juventutis. Sed sparsa in plures potentia nihil in commune consuli patiebatur. Una tantum natio copias suas subsidio misit: hisque profligatis, et obsessi se dediderunt, et reliqui mox Pannones exemplum secuti sunt.

32. Cæsar, tricesimo die post difficilem obsidionem recepta Segestica, sive virtutem admiratus hominum, sive precibus emollitus, clementer victoria usus est: impera-

Digitized by Google

taque pecunia, commigrare omnes in semotam oppidi partem jussit: ceteras attribuit quinque et viginti cohortibus ibi collocatis, quibus Fufius Geminus præfectus est. Reverso deinde in Urbem Cæsari triumphus decretus: quo commodius in tempus dilato, (nam ad cetera perdomanda redire in Illyricum statuerat,) sorori uxorique statuas decernendas curavit, atque rerum suarum administrationem liberam, parque tribunis jus, quo ab antiquo sacrosancti habebantur.

Dio. Appian. Dio.

33. His actis, in Galliam est profectus eo consilio, ut ad patris exemplum bellum inferret Britanniæ: sed Pannonum et Dalmatarum motibus revocatus est, cum modo M. Antonius M. F. triumvir, L. Scribonius Libo consulatum inissent.* Fama enim atrox sparsa erat, relictam in Pannoniis copiam rebellione barbarorum esse deletam. Idcirco nihil moratus hyemem, cum præcipiti itinere eo pervenisset, audit improvisa irruptione partem præsidii Segesticæ desideratam esse: ceterum postridie Geminum, prælio victorem, recuperasse et pacasse omnia.

Dio et Appian.

34. Versis ergo in Dalmatas armis, qui post signa quinque cohortium ademta Gabinio nunquam arma deposuerant, neque coërceri ab Agrippa potuerant, Priamonem duxit, quam Versus quidam nomine, Dalmatarum ductor, rursus occupatam vallo fossaque clauserat, occupatis et aliis circa locis, quæ natura et situ inexpugnabilia videbantur. Regio enim montosa omnis, frequentes ubique colles erigens, pinnarum in speciem acuminatur. Supra millia duodecim erant, pugnacissimi homines: itaque et oppidum et hos colles, dispositis opportune præsidiis, retinebant. Cæsar igitur, inaccessa loca videns, se circumvallare totum istum collium ambitum velle simulat. Interim clam emittit idoneam manum, quæ summos ad tumulos reperire viam conetur. Ii homines, sylvis occultati, stationes Dalmatarum somno languentes noctu invadunt, sternuntque; et, occupatis superioribus locis, signum, quod convenerat, edunt. Idcirco Cæsare vim inferente, barbari clamore desuper incurrentium perterriti,

Liv. Epit. Appian.

Dio. Appian.

* A. U. C. 718. A. C. 34.

Digitized by Google

aliis subinde aliisque collibus deturbantur: pars quæ eminentissimos, sed aquarum inopes insederat, obsidionem et sitim verita, cursu se recepit Priamonem.

35. Eodem et Cæsar exercitum adduxit, oppidoque cum duobus collibus proximis, qui adhuc ab hoste tenebantur, per spatium quinque ferme millium circumvallato, cum Teutino, alio duce Dalmatarum, obsessis succurrere auso, conflixit; duplici prælio geminam victoriam consecutus. Nam et obsessi eodem tempore eruptionem in opera nondum commissa fecerunt. Sed et hi, tertia suorum amissa parte, dum in oppidum refugiunt, aditum persequentibus Romanis aperuerunt. Oppido capto, Dalmatis in arcem fuga delatis, opposita est cohors una, quæ portas observaret. Ea circa quartam vigiliam eruptione subita turbata loco cessit: nec ultra profecerunt hostes, statim occurrente Cæsare; et omni ope defecti postridie se dediderunt. At Cæsar, cohortem decimatam per eam deinceps æstatem hordeo pavit: ex centurionibus quintum quemque affecit supplicio. Sueton. Aug. 24. Dio. Appian.

36. Hunc ad modum capta Priamone, Teutinum haud longe prosecuti victores. Nam et fuga sparserat copias, et locorum fraudes timebantur: eo vehementius, quod inter duos arduos montes longa vallis insidias Cæsari structas texerat, eodem loco, ubi et antea Gabinius vexatus fuerat. Idcirco Cæsar, incensis circum villis, aperuit viam: deinde, per juga montium utrimque præmissa parte copiarum, quæ decurrere quandocumque ad auxilium laborantium posset, cum cetero exercitu incessit per vallem, obvia quæque diripiens, vicosque et oppida vastans incendio. Ceterum præter Priamonem, etiam Ninia oppidum, et Sinotium duplex, (veteris ac novi cognominibus distinguebantur,) et ipsa caput olim gentis Salona, conflagrarunt. Sed ad Setoviam, magna occurrente hostium manu, acriter pugnatum: et Cæsar dextrum genu lapide saucius per aliquot dies ægrotavit. Hirt. de B. Alex. c. 43. Appian. Strabo, VII. p. 315. Appian. Dio.

37. Interea Salassi quoque sub imperium accepti: gens Inalpina, ingenioque et loci natura ferox. Idcirco et vectigalia poscebat a transeuntibus, et publicanis aquam vendebat ad aurarias. Ipsi quoque Valerio Messallæ, dum Sueton. Aug. 20. Dio. Suet. Aug. 21. Strabo, IV. p. 205.

Digitized by Google

vicinis locis agebat, non nisi pretio accepto, ligna ad focum, et ad exercitationes ulmea hastilia præbuerunt.

Appian. Sane non ita pridem Antistius Vetus aggressus necopinantes, cum, angustiis occupatis, continuo biennio eos obsedisset, salis maxime inopia fatigatos, ad deditionem perpulerat. Sed insidiati occasionibus, cum munimenta Romanorum expugnassent, omnem deinde Veteris conatum irrisui habuerunt.

Strabo. Sed et Cæsaris aliquando pecunias diripuerunt; et specie reficiendarum viarum atque pontium, e summis montium jugis in vallum Romanum saxa devolverunt.

Appian. 38. Sed tum quidem, ob L. Antonii bellum, Cæsar, his indulta libertate, veniam præteritorum dederat. At illi temporum causa hoc factum suspicati, neque mansurum, ubi plus otii nactus Cæsar esset, non omiserunt alias asciscere civitates in societatem, et abnuentes hostiliter invadere. Tum igitur Valerio mandatum id bellum est: isque magno labore ad famem redactos in deditionem accepit.

Dio et Appian.

Dio. 39. Dum ita Cæsar cum variis gentibus decertat, Antonius expeditionem denuo suscepit in Armeniam: initoque eodem die et posito consulatu, P. Sempronium Atratinum suffecit; unde quorundam annalibus eo anno non Antonius, sed Atratinus consul præscribitur. Ceterum ut dolo Artavasdem caperet, viribus diffisus, amicitiæ specie offensas tegens, Q. Dellium misit, qui filiam ejus filio suo Alexandro conjugem peteret; multa et præclara pollicitus. Quin et ipse reversus in Armenios evocavit eum Nicopolim, nec destitit omnibus artibus solicitare, literis atque sermonibus nihil nisi summæ benevolentiæ signum præferens. Nihil ad hæc moto Artavasde, (quippe alia commeruisse memor, fidere non properabat ei quem offendisset,) iterum ab Antonio Dellius adest cum blandissimis mandatis: nec eo segnius Antonius Artaxata tendit. Ita rex, partim pollicitationibus adductus, partim metu legionum quæ cum Antonio erant, in castra ejus venit.

Tac. Ann. II. 3. Liv. Epit. Plut. Anton. Dio.

40. Tum vero pecuniam sibi deesse simulans, neque libenter daturos Armenios, nisi pignoris loco regem reti-

Digitized by Google

nenti, circumduxit eum circum castella, quibus thesauros asservari noverat. Sed infructuosam ei hanc fraudem purpuratorum regis constantia fecit, neque castellis traditis, et vicem capti patris Artaxia regnare jusso, qui maximus natu filiorum erat. Tum vero, omissa penitus simulatione, catenæ sunt Artavasdi additæ,[c] sed argenteæ, quibus videlicet vinciri regem minus indignum haberetur. Ita bello contracto, cum subitus rex Artaxias, et patris insperato casu perculsus, adversus prævalidum hostem, et in penetralia regni receptum improspere dimicavisset, Armenia tota cum conjuge et aliis liberis Artavasdis in potestatem Antonii concessit. Artaxias, in Parthos exulatum abiit. His ita gestis, ut ad reliqua belli socium sibi Medorum regem asciscceret, quem Armenii antiquitus hostem, cum Parthis nuper ex prædæ Romanæ divisione simultatem contraxisse cognoverat, ejus filiam suo filio despondit.

Oros. vi. 19. Dio. Joseph. Antiq. xv. 5. Tacit. Dio. Vell. ii. 82. Zonar. Plut. Liv. Epit. Oros. Dio. Plut.

41. Relictis deinde legionibus, quot Armeniæ tuendæ satis fore credebat, cum cetero exercitu Ægyptum repetiit, Alexandriamque triumphans Romano more invectus est. Prælata fuit ingens præda, quam ex opulentissimo regno rapuerat. Artavasdes ipse cum uxore liberisque et purpuratis ante currum incessit in catenis aureis. Inde protinus[4] ad Cleopatram deducti, quæ magna populi multitudine circumfusa, in argenteo tribunali, sellaque aurea consederat.

Appian. Parth. Dio. Plut. Dio. Oros. Joseph. Dio. Strabo, xi, p. 532. Vell. Dio.

42. Sed barbari, tametsi huic se dono dari cum omni regio instrumento intelligebant, non adorarunt eam, licet minis promissisque solicitarentur, nec aliter nisi nomine salutare sustinuerunt, memores magni se Tigranis progeniem esse. Quæ res apud alios gloriam illis, odium apud Cleopatram, et ex eo magnas calamitates peperit. Nam in custodia sunt habiti, et sub Actiaci belli tempus Artavasdes interfectus est.

Joseph. Strabo xi. pp. 530. et 532. Dio. Tac. Strab.

4 *Prorsus* pro *protinus* legebatur ante Crev.

[c] *Catenæ sunt Artavasdi additæ*] Zonaram, quem hic in ora libri ascripsimus, ubique fere omisimus, quod ille in horum temporum historia Dionem et Plutarchum tantummodo in compendium redegit, servatis plerumque ipsis eorum verbis. *Crev.*

Digitized by Google

Dio. 43. Triumpho peracto, cum etiam epulum populo Alexandrino dedisset, in concione Græcorum, assumta in argenteum tribunal Cleopatra liberisque ejus, hujusmodi orationem habuit: 'Si nullum adhuc animi mei judiciique documentum habuissetis, Alexandrini, proximum certe spectaculum ducti in hanc urbem triumphi sufficere vobis potuisset. Decus enim atque lætitiam uni hactenus populo Romano exhiberi solitam, ad vos transferri beneficio meo vidistis. Deinceps igitur Alexandria quoque, tanquam altera Roma, triumphantes imperatores accipiet, captivos videbit reges, tantarum rerum voluptate, commodis, gloria decorabitur. Neque vero me fecisse pœnitet, aut aliquid a me commissum arbitror, quod jure reprehendi debeat. Nec enim vel conditoris nomine, vel magnificentia oppidi, hoc honore indigna est Alexandria; et, quod omnium primum est, reginæ merito vel anteferenda omnibus.

44. 'Hæc enim hac orta domo, penes quam per trecentos fere annos, nusquam interrupta serie, regimen rei Ægyptiæ fuit, cum animi magnitudine, prudentia, industria nullo majorum inferior, pulchritudine vero ac venustate fœminas omnes supergressa, complura virtutum suarum specimina edidisset; hoc inter alia maximum omnium atque palmarium opus confecit, ut Ægyptum imperio Romano indissolubili societate connecteret.

45. 'Atque etiam conatibus ejus atque consiliis Dii affuerunt: nisi forte humana industria tantam parari felicitatem putavistis, ut duobus Romanis imperatoribus, C.
Liv. Epit. Cæsari prius, deinde mihi nuberet. Hanc enim mihi uxorem esse Deos hominesque omnes testor: neque nobilitas ejus, neque virtutes patiantur, ut pellicis loco haberi
Dio. cuiquam mortalium debeat. Sed neque Cæsari in deliciis magis quam in matrimonio fuit: et ego, quem hoc scire propter familiaritatem Cæsaris maxime oportuit, tum ejus rei testis sum, tum etiam Cæsarionis hujus ab ipso agniti.
Sueton. Cæs. 52. Idque non ego solummodo, sed C. Matius, sed C. Oppius, aliique Cæsaris amici sciunt.

46. 'Quod igitur felix faustumque sit senatui populoque Romano, totique adeo imperio, cujus et vos haud spernenda pars estis; Cleopatram, tam pro dignitate sui

Digitized by Google

generis, quam amplitudine virorum, honoribus afficere decrevi. Hanc igitur in posterum 'reginam regum,' et hunc filium ejus Ptolemæum Cæsarionem 'regem regum' appellandum jubeo. Neque vero hæc vocabula vel imperatoris Romani uxorem, vel hunc unicum superstitem et verum Divi Julii sanguinem dedeceant. Hos igitur Ægyptum Cyprumque semper a majoribus eorum possessas, Africam præterea, et Cœlen Syriam obtinere æquum est. At meis hisce liberis ego prospicere debeo. Te ergo, Ptolemæe, regem Syriæ,[d] et quicquid regionum inter Euphratem atque Hellespontum mei juris est, constituo. Tibi, Cleopatra, Libyam dono, quæ Cyrenes finibus adjacet. Alexander Armeniam habeat, et quæ trans Euphratem occupata occupandave nostris armis ad Indiam usque porriguntur.' Tum vero novi reges ex humilioribus, quæ positæ ipsis fuerant, sedibus progressi, Antonium Cleopatramque aureis sedentes thronis, hanc etiam cum novæ Isidis nomine stolam ejus Deæ gestantem, venerati sunt. Discedentes inde Alexandrum Armenii stipatores circumdedere, Medico cultu tiaraque recta et cidari conspicuum: Ptolemæo crepidas, causiam, et chlamydem, ac diadema habenti, Macedones apparuerunt.

Dio. Plut. et Dio. Liv. Epit. Plut. et Dio. Plut.

47. Hæc tam fatua non Alexandriæ modo dicere et facere illum, sed ne Romam quidem perscribere puduit. Ceterum a consulibus[e] occultatæ sunt literæ, quanquam produci eas Cæsar, vanitatemque æmuli sui cunctis innotescere valde cuperet. Multis enim nominibus offendebatur. In suam invidiam attolli Cæsarionem sentiebat. Artavasdis quoque casu, quocum adversus Antonium consilia miscuerat, et Antonii triumpho, dolorem et misericordiam et invidiam percipiebat. Sed et literas ad eum contumeliosas Antonius scripserat, adulteria objiciens, sibique legitimam uxorem Cleopatram esse. Sed neque populus ereptum Urbi honorem triumphi, communicatum

Dio. Sueton. Aug. 69. Plut.

[d] *Te ... Ptolemæe, regem Syriæ*] Plutarchus scribit Antonium filios suos 'reges regum' appellari jussisse: quod sane verosimilius est, quam Cæsarioni hunc honorem ab eo tributum, quo supra filios ipsius Antonii eveheretur. *Crev.*

[e] *A consulibus*] Domitio et Sosio, quod memoratum a Dione hic omitti non debebat. De illis consulibus Antonio addictissimis vid. lib. seq. *Crev.*

Digitized by Google

que cum Alexandrinis, parum indignanter tulit: et super tot alia immodica præmia, hanc etiam stupri mercedem Cleopatræ dari.

48. Hæc cum ita ab se acta, ab ceteris accepta ignorare Antonius non posset, scribere ad senatum sustinuit, 'paratum se abire magistratu, graviorem diuturnioremque potestatem habente, quam in libero populo esse oporteret, sublata quæ hæc expressisset necessitate.' Neque vero hoc cum animo suo destinaverat; sed invidiam Cæsari quærebat, quem existimabat, quod ad Urbem esset, primum de abdicando compellatum, aut obsequendo potentiam, aut obnitendo studia civium amissurum esse. Ceterum hæc quidem consilia vana fuerunt.

Dio.

49. At in Urbe ludos Veneri Genitrici fecerunt suffecti[f] consules Paullus Æmilius Lepidus, C. Memmius, qui Kalendis Juliis inierant. In eodem consulatu suo Æmilius porticum Paulli appellatam privatis impensis perfecit. Eodem anno consulatum et M. Herennius gessit ex Kalendis Novembribus. Multi per id tempus, cum in imperiis non amplissimis fuissent, triumphum a Cæsare, alii ab Antonio impetrarunt: eoque prætextu auri coronarii nomine provinciis fuerunt graves. Quorum C. Norbanus C. F. T. N. pro consule ex Hispania triumphavit A. D. IV. Idus Octobres: de cujus gestis prorsus nihil reperio. At vero T. Statilius T. F. Taurus, C. Sosius, C. F. T. N. Africa et Judæa pacatis, ille A. D. pridie Kalendas Julias, hic III. Nonas Septembres, non sine causa triumpharunt. Inter alias antiqui moris ruinas annotatum est, sub id tempus pueros impuberes a Cæsare præfectos Urbi fuisse Latinis, ne senatorii quidem eos generis, sed equitum Romanorum filios.

Tab. Marm. ap. Pigh. Dio. Tab. Marmor. Dio. Fasti Capit. Vell. II. 127. Numm. ap. Pigh. Fasti Capit. Dio.

50. Anno sequenti Cæsar secundum inito consulatu,[5] quem collega Sex. Pompeio gerere debuerat, hoc interim occiso, L. Volcatium Tullum ascivit.* Ipse, cum

Supra, CXXVII. 41.

5 *Magistratu* edd. ante Crev.

[f] *Ludos Veneri Genitrici fecerunt suffecti consules*] Quinam consules ludos illos ediderint, Dio non exprimit. *Crev.*

* A. U. C. 719. A. C. 33.

Digitized by Google

mane pro æde Capitolini Jovis paululum curuli sella præsedisset, honore abiit, quem gratificari pluribus cupiebat. Eam veriorem causam esse arbitror, quam quod exemplum secutus Antonii fuerit. Quippe convenerat, ut hic et Sextus per amicos quos vellent, magistratum gererent, quod abfuturi toto eo tempore videbantur. Suffectus est in locum Cæsaris P. Autronius, statimque magistratum occepit.

Sueton. Aug. 26. Appian. Illyr. Dio. Supra, CXXVII. 38. et 41. Tab. Marm. ap. Pigh.

51. Sed ædilitatem jam pæne neglectam M. Agrippa suscepit ultro, quo Cæsari sibique populum ludorum et operum magnificentia conciliaret. Omnia enim ædificia publica, viasque omnes sua pecunia refecit: aquæductus Appiæ, Marciæ, Anienis, pæne dilapsos emendavit: Juliam a quindecim passuum millibus duxit, opere supra terram passuum VII. M. substructione passuum DXXVIII. reliquo opere arcuato. Lacus septingentos fecit,[s] salientes centum quinque, castella centum triginta, complura etiam cultu magnifica. Operibus iis signa trecenta ærea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas. Neque ulla ferme domus exinde Romæ fuit, quin sufficientem haberet ad omnia aquam. Cloacarum etiam a Tarquinio Prisco structarum maximum ac firmissimum opus, corrivatis atque per meatus immissis septem amnibus, qui torrentium modo raperent ac auferrent omnia, sic expurgavit Agrippa, ut per eas suburbana navigatione in Tiberim pervehi non dubitaverit.

Dio. Front. de Aquæd. Plin. XXXVI. 15. Strabo, v. p. 235. Dio. Strabo. Plin.

52. In Circo, ne multitudo metarum erroris causam ultra præberet hominibus, delphinas ac ova, quæ vocant, designandis curruum conversionibus posuit, ludos omnis generis editurus. Nam, ut ipse in ædilitatis suæ commemoratione scripsit, ludos fecit diebus undesexaginta, gratuita præbuit balinea centum septuaginta toto anno; ludis etiam tonsores conduxit sua pecunia, ne quis de populo sumtus in eos faceret. Induxit et senatores largitionibus, ut Trojanis Circensibus, quos pueri majores minoresque

Dio. Plin. Dio. Sueton. Aug. 43.

s *Lacus septingentos fecit*] Hæc verba inseruimus ex Plinio, quæ profecto prætermissa noluit Freinshemius. *Lacus* exponit clar. Harduinus *des abreuvoirs*; salientes, *des fontaines*; castella, *des régards*. Crev.

Digitized by Google

ludere consueverant, filios suos notescere paterentur. Tesseras etiam in theatro ex superiore loco misit, quas referentibus pecunia, aut vestis, aut aliud quid daretur. Sed et rerum variarum copiam redemtam ab institoribus, diripiendam populo proposuit. Mox ad severiores curas conversus, mathematicos (sic vulgo tum astrologos vocabant) et magos Urbe expulit; quos inter et Anaxilaus Larissæus Pythagoricus fuisse creditur; nullo maleficio, sed quibusdam ab arte medica miraculis, apud ignarum vulgus magi appellationem meritus.

Dio.

Euseb. Chron. et ibi Jos. Scal.

53. Interea Cæsar iterum profectus in Dalmatas, jam a Statilio Tauro, quem eo præmiserat, fame fatigatos et propemodum domitos offendit. Nec diutius dilata deditio est. Obsides septingentos ex principum liberis dederunt: signa restituere Gabinio Vatinioque olim ademta, et tributa persolvere ab eo tempore, quo Cæsari patri promiserant, coacti. Traxit ea ruina Derbanos etiam, conterminam gentem, paribusque conditionibus in potestatem illi venerunt.

Appian. Illyr. Dio. Liv. Epit. XXXII. Appian.

54. His manubiis Cæsar porticum Octaviæ, appellatam sic a nomine sororis, exstruxit, ibique recepta ab hostibus Romana signa appendit. Mox etiam insignis bibliotheca collocata ibidem est, sive Augustus eam, sive, quod Plutarchus scribit, memoriæ filii sui Marcelli causa Octavia dedicaverit. Sub idem tempus cum senatores quidam latrocinii arguerentur, obrui potius tam fœdam ordinis notam, quam sontium vindicari culpam placuit, edicto proposito, ne quis senator postea hoc crimine postularetur. Sic et qui tum erant rei exemti, et quibusdam aliis ostensa in posterum prædandi impunitas.

Dio. Appian. Dio. Sueton. Aug. 29. Plut. Marcell. fin. Dio.

55. In numerum patriciorum, qui frequentibus bellis exhaustus erat, plebeii quidam allecti[6] sunt senatusconsulto. Magistratus etiam varie habiti mutatique. Ex Kalendis Maiis L. Flavius consulatum iniit: ex Kalendis Juliis C. Fonteius, M. Acilius. Kalendæ Septembres L. Vinucium consulem, Octobres L. Laronium produxerunt. L. Asyllius (sive fortassis Asellio fuit) cum diuturno mor-

Tab. Marm. ap. Pigh.

Dio.

6 *Collecti* edd. ante Crev.

Digitized by Google

bo vexatus præturam deponeret, filium suum successorem accepit: in alterius cujusdam locum, qui erat extremo anno mortuus, alius paucas in horas suffectus est.

56. Dum ista Romæ geruntur, M. Antonius nuntiis et literis Mediæ regis excitus, prolixe offerentis omnia, magnam in spem venerat conficiendi Parthici belli, si sagittariorum equitumque tantum numerum legionibus suis adjunxisset. Id enim præcipue defuisse nuperis conatibus intelligebat. Interea nuntiatur Octaviam ab Urbe digressam ad virum navigare. Id concesserat petenti frater, semper indulgens, et hunc etiam prætextum belli favorabilem in vulgus habiturus, si, quod rebatur, despecta ab Antonio et contumeliose tractata fuisset. Nec fefellit eum conjectura: vix Athenas appulerat mulier, eum Antonii literas accipit, ibidem jubentis expectare, donec ab expeditione Parthica redisset. Illa, licet ægre ferens hæc mandata, misit tamen quendam ex familiaribus Antonii, Nigrum nomine, qui multam vestem militarem, jumentaque et pecunias, tum amicis atque ducibus imperatoris dona doceret deportasse: præterea lectorum virorum in prætoriam cohortem impetrata a fratre millia duo cum insignibus armis, et equitum alam.

Plut. Anton.

Dio, p. 277. Plut.

57. Hæc ubi Antonio exposuit Niger, multas identidem et meritas laudes præstantissimæ matronæ intermiscens; omnes artes adhibere Cleopatra cœpit, ne quem occupaverat loco depelleretur. Igitur amore Antonii deperire simulans, venientem velut stupente obtutu excipiebat; abeuntem linquentibus et languidulis ocellis prosequebatur. Sæpe flens videri affectabat, sed tanquam abscondere cupiens lacrymas, celeriter et furtim abstergebat. Id maxime faciebat in Syria, unde in Armenios proficisci Antonius constituerat. Hæc amatoria veneficia vocibus assentatorum ejus, familiarium Antonii, juvabantur, 'hominem durum atque crudelem' appellitantium, 'qui talem fœminam ad mortem desperatione adigeret. Nec enim sine illo victuram. Prorsus indignam eo fato, quæ, nomen conjugis Octavia retinente, vel pellicem Antonii se vocari regina tot populorum non dedignaretur.'

Digitized by Google

58. Fascinatus his Antonius, in tantum animo relanguit, ut Medo nequicquam occasionem urgente, donec Parthorum dissidia faciles præberent invadentibus, protinus Alexandriam reverteretur, æstatem opperiendam esse rescribens. Tum quoque vix ad Araxem progressus est; cum irritatus Cæsaris actionibus, de bello adversus ipsum suscipiendo cœpit cogitare. Cujus hæ proximæ fuisse causæ feruntur.

Dio, p. 281. Plut.

59. Ut Octavia, relicto in pellicis amplexibus marito, Romam irrisa rediit, Cæsar eam ad se commigrare[h] jusserat. Illa tamen, non quotidiani exempli mulier, oravit, 'ut se remanere in domo viri pateretur.' Eadem obtestata fratrem est, 'ne propter se bellum Antonio faceret, nisi majoribus causis impelleretur: decorum enim neutri fore, si mulierum causa bello civili rem Romanam involvisse dicantur.' His dictis facta etiam laudabiliora adjecit. Antonii liberorum, non modo quos ipsa, sed etiam quos ei Fulvia pepererat, curam egit: amicorum ejus desideria, quos honorum petendorum, aut aliarum rerum gratia Romam mittebat, apud Cæsarem enixe juvit: nullaque re optimæ uxoris officio deesse visa est. At sic invita nocebat Antonio, cui populus irascebatur talem fœminam negligenti, jam ob cetera quoque facinora causæ illius iniquior.

Dio, l. L. et Plut.

60. Sæpius enim triumphum ejus Alexandrinum, divisionesque regnorum, et cetera incivilia Cæsar in senatu et ad populum traducere non omiserat. Nec Antonius recriminari oblitus est: missis qui quererentur, 'victo Pompeio, exacto Lepido, omnia unum retinere Cæsarem: eadem arrogantia suis eum veteranis pæne totam Italiam divisisse, nullo respectu eorum qui cum Antonio militarent.' Sed et ex delectibus, quos Cæsar in Italia habuisset, dimidiam militum partem sibi deberi præferebat.

61. Cæsar ad ea cavillabatur, 'Sextum et Lepidum jure a se coërcitos; nec tamen abnuere se partiri bello

[h] *Ad se commigrare*] Haud satis accurate vertit Plutarchi verba Freinshemius. Καθ' ἑαυτὸν τὴν οἰκεῖν est *habere domum propriam*, domo Antonii relicta. *Crev.*

Digitized by Google

parta, si Ægyptum secum Antonius, si Armeniam dividat. Nam quod militibus suis colonias in Italia queratur non dari, habere eos Mediam et Parthos, satis amplas regiones, sua nimirum et imperatoris sui virtute quæsitas.' Nec Pompeii mentione abstinebat, 'quem a se dimissum Antonius crudeliter occidisset. Ab eodem Artavasdem fraude captum in vinculis attineri, summa cum Romani nominis infamia.' Præcipue Cleopatra exagitabatur, liberisque ejus donatus oriens, et insertus in Juliorum gentem Cæsario.

62. His aliquoties ei per partes objectis invicem purgatisque, magis magisque accendebantur: neque jam legati concordiæ causa, sed ut alter alterius exploraret consilia, mittebantur: donec Antonius non ultra differendum putans, societatem cum rege Medorum in has leges junxit, 'ut ab eo contra Cæsarem acciperet auxilia, contra Parthum ei daret.' Sic abductis secum Medis equitibus atque sagittariis, partem legionarii militis apud eum reliquit, parte etiam Armeniæ recens pacatæ eidem concessa. Filiam quoque regis Jotapen, admodum puellam, Alexandro desponsam, una cum militaribus signis quæ Statiani pugna amissa fuerant, deportavit. Polemoni, qui pararius pacis ejus fuerat, præmii loco minor Armenia concessa.

Dio, XLIX.

Plut. Dio.

63. Hæc amicitia exitiosa Medo fuit. Quippe post felix contra Parthos et Artaxen prælium, cum Romanos milites avocaret Antonius, regios non remitteret, vim hostium ferre non potuit: fususque et captus occasionem Parthis Armeniam simul Mediamque recipiendi præbuit. At Romani maxima præda aucti discesserunt, Armeniorum opulentissimo regno spoliato, direptisque etiam fanorum opibus. Anaitidis delubrum erat, ceteris religiosius cultum, eoque donariis dives. Id diripuit Antonii miles, et inter cetera statuam auro solidam, etiam antiquitate venerabili, concidit. Nec omiserim referre stultam pietatem mendaciis tueri cupientium a numinibus proditam sacrorum suorum existimationem. Eum qui primus violasset id simulacrum, oculis membrisque captum expirasse vulgarunt. Sed veteranus quidam, cum paucis post annis

Strabo, XII. p. 559. Plin. XXXIII. 4.

Digitized by Google

Augustum excepisset convivio Bononiæ, essetque illata fabulæ hujus mentio, 'se illum esse' respondit, 'et de crure numinis cum maxime cœnare Cæsarem, sibique omnem ex ea rapina censum esse.'

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXXII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Inter hæc Antonius, Canidio cum sedecim legionibus ad mare præmisso, occurrentem Cleopatram excipiens, Ephesum cum ea perrexit, ibi contracturus classem. Hæc audita Romæ Cæsarem patresque moverunt, ut, legatione missa in Urbem eum revocarent, inter præsentes facilius disceptari controversias rati: mox ire abnuentem, finito jam triumviratus tempore,[a] sicuti nuper promisisset, deponere magistratum juberent. Interim Kalendis Januariis novi Romæ consules ineunt Cn. Domitius L. F. Ahenobarbus, C. Sosius C. F. Quorum Domitius, civilium certaminum experientia cautior, modestius agebat:* alter nullis dum conflictatus infortuniis, primo statim senatu multa cum laude Antonii Cæsarem arguit; tendebatque ut senatusconsultum rationibus ejus perquam adversum fieret, ni Nonius Balbus præscriptione tribunitii nominis intercessisset.

Plut. Anton. Oros. VI. 19. Plut. Dio, L. Liv. Epit.

Suprà, CXXXI. 48. Dio.

2. Aberat tum consulto Cæsar; nolens se præbere altercationibus, quibus neque cedere sine dignitatis imminutione posset; et, si quidem imperium inhiberet, inchoare bellum videretur. Etiam ad omnia maturius pensi-

[a] *Finito jam triumviratus tempore*] Vid. not. ad CXXVII. 38.

* A. U. C. 720. A. C. 32.

Digitized by Google

tanda spatium petisse videbatur. Quo prudenter usus, simul reversus Romam est, convocari senatum jussit. Eo tempore præter militare præsidium, amicis etiam pugiones sub veste gestantibus, in medio consulum curuli sella sedentem, multa pro se suisque actis modeste locutum tradunt. Flexit se deinde ad Antonii accusationem, præsentisque consulis, quibus plurima ac gravia contra se et rempublicam commissa objectabat. Cum ad hæc silentium pertinax omnium esset, eadem se scripto comprehensurum ait, et certa die, in quem senatum iterum habere volebat, recitaturum. Tum consules, non expectata die, quod tacere ad talia tam indignum ipsis, quam obloqui intutum videbatur, ad Antonium profecti sunt, multis patrum hoc exemplum sequentibus. Sed Cæsar, ne propter suam aliquam injuriam ab his desertus putaretur, a se sponte dimissos credi maluit: quoque faceret fidem, aliis etiam indulgere se dixit, ad Antonium proficisci cupientibus. Ita discedentibus ex Urbe propinquis ejus amicisque, C. Asinius Pollio, qui post Brundisinam pacem rebus Antonii misceri desierat, in Italia mansit. Idem neque Cæsari deinceps, roganti ut secum ad bellum iret, obtemperavit, mutua cum Antonio beneficia excusans, neque se interpositurum armis, et prædam futurum victoris.

Sueton. Aug. 17. Dio. Vell. II. 86.

Plut.

3. At Domitius, cum Antonium Ephesi convenisset, hortari cœpit, ut Cleopatram, nihil aliud quam impedimentum belli futuram, in Ægyptum remitteret. Nec aliis amicorum ea ratio displicebat. At Cleopatra metuens, ne, si usquam discederet, iterum pararia pacis pignusque Octavia fieret, Canidium induxit ingentibus præmiis, ut ab ea mente Antonium revocaret. Atque ille specioso obtentu negavit 'æquum videri, quasi per ignominiam hanc removeri a bello, quæ ducentas naves, viginti millia talentorum,[a] et præterea commeatum in omnes copias præbuisset. Neque vero ex usu esse alienari animos Ægyptiorum, non contemnendam efficientium maritimarum virium partem. Sed et alioqui' negabat 'videre,

[a] *Viginti millia talentorum*] Marcas argenti nostrates 1875000. *Crev.*

Digitized by Google

cuinam illa sociorum regum prudentia concedat: ingenio solers, usu perita, quæ tantum regnum longo tempore sola gubernasset.'

4. Hæc oratio apud mulierosum hominem, et vitiorum suorum advocatis faventem, valuit: unaque Samum profecti, coactis undique scenicis artificibus, et quicumque ludis operam præstare soliti erant, inter compotationes epulasque tam fœdo luxu solvebantur, ut vulgarentur sermones mirantium, 'quales igitur hi post victoriam essent futuri, qui tam hilariter et profuse inter comparandam genio indulgerent.' Sed Antonius, Bacchicis artificibus data ad habitandum Priene, Athenas instituit cursum. Ibi renovata ludorum atque conviviorum est intemperantia; et Cleopatra, ne minoribus ibi honoribus afficeretur, quam acceptam esse Octaviam audiverat, Athenienses multis muneribus coluit. Idcirco jam a multis ætatibus summus potentiorum adulator populus, immodicos ei honores decrevit. Id plebiscitum inter primores oppidi Antonius etiam, civis Atheniensis scilicet, ad reginam detulit, orationemque habuit nomine civitatis.

5. Tum vero non diutius sustinere potuit, quin repudium Octaviæ mitteret; eamque suis ædibus juberet excedere. Illa plorans, et lamentabunda se quoque inter causas belli esse, exivit; ne tum quidem cura deposita privignorum, quos una secum eduxit, præter maximum natu, qui profectus ad patrem fuerat. Triste spectaculum id populo fuit: neque illam modo miserabantur, sed Antonium magis, qui talem uxorem amens dimitteret in Cleopatræ gratiam, quæ ne forma quidem, qua una niteretur, aut ætatis flore Octaviam vinceret. At luxus et tarditas Antonii magno metu Cæsarem liberavit, ne imparatior ordiri bellum cogeretur. Nam Antonii oscitantia spatium ei dedit, et cogendi pecunias ab invitis, et placandi spoliatos, quorum dolor inter exigendum acerrimus, ubi dedissent, modico interposito tempore, mitigabatur. Liv. Epit. Dio. Oros. et Plut.

6. Dum hæc aguntur, velut in solatium Urbe excedentium, fortuna Cæsari quosdam illustres ex cohorte amicorum Antonii restituit. Inter quos L. Plancus, qui fuerat in turpissimis adulatoribus Cleopatræ, propter vocem An- Dio. Plut. et Vell. II. 83.

Digitized by Google

tonii jactam in convivio, qua sibi rapinas exprobrari senserat, ad Cæsarem transfugit; eumque paulo post M. Titius, sorore Planci genitus, imitatus est. Sed ii causam
Dio. defectionis hanc ediderunt: 'Antonium actione Cæsaris, post discessum consulum de scripto recitantis ejus facinora, irritatum, amicorum consilium coëgisse; ibique, multis in utramque partem disputatis, bellum, repudiata Octavia, decresse. Ejusmodi consultis, et Cleopatræ tæ-
Plut. dio, mutasse partes deteriores melioribus. Nam et sugillatos a regina esse, quod Antonio consilium remittendi eam in Ægyptum dedissent.' Cæsaris non interfuit, qui-
Dio. bus quisque causis discessisset: opportunitate hominum usus est, qui acta secretissima et abstrusa consiliorum Antonii noverant.

Plut. et Dio. 7. Iidem testamento adhibiti testes, judicium ejus Cæsari prodiderunt. Nec ille conquievit, priusquam repertum resignaret; nec in senatu tantum, sed etiam in concione populi recitaret. Apud Vestales, uti consueverant,
Sueton. Aug. 17. depositum fuerat: et negabant illæ tradituras; ne veniens
Tac. Ann. I. 8. ipse auferret, non posse prohibere. Nec piguit ire, et,
Plut. et Dio. quo inimicum premeret, facinus committere plerisque culpandum. Sed et tunc fuisse ferunt, quibus res prorsus indigna videretur, aliquem in vita cogi rationem reddere eorum quæ post mortem fieri voluisset.

8. Ceterum ea scripserat Antonius, quæ Cæsari non modo conficerent apud plerosque inhumanissimi facti veniam, sed ipsum quoque inexpugnabilibus hominum odiis onerarent. Legebatur ibi justis Cæsaris et Cleopatræ nuptiis editus Cæsario: tum suis ex eadem liberis infinitas dabat opes: nec minus offendebat, quod, etiam si Romæ fuisset mortuus, corpus suum Alexandriæ et in
Dio. eodem cum illa conditorio humari jubebat. His infensi,
Plut. ceteris etiam facilius adhibebant fidem: inter quæ C. Cluvius donatam Cleopatræ Pergamenam bibliothecam dabat crimini, quæ ducenta millia simplicium voluminum habuisset. Itemque amatorias nugas seriis negotiis immixtas, et sæpe prælatas: relictum in gravi causa C.
Cic. ad Fam. x. 26. Furnium, notæ dignitatis et eloquentiæ, ut lectica per fo-
Plut. rum delatam Cleopatram imperator Romanus satellitis instar deduceret.

Digitized by Google

9. Sed Antonii familiares hæc quidem pro fictis et falsis rejectabant; populum deprecantes, ne quid immedicabile properanter statui paterentur. Quin et Plancum, multa in senatu gravia objicientem Antonio, Coponius vir prætorius acri voce repressit; 'multa scilicet perperam fecisse Antonium' dicens, 'pridie quam a Planco relinqueretur.' Vell. II. 83.

10. Miserunt etiam e numero suo Geminium in Græciam, qui rerum urbanarum statum Antonio, et imminens ei periculum exponeret. 'Id enim agi, ut, ademto imperio, hostis judicetur.' Geminius, ubi se propter Cleopatræ suspiciones, Octaviæ causa venisse putantis, rejici, atque etiam in convivio propterea sede minus honorata collocari, cavillisque subinde peti sensit; causam adventus super cœnam rogatus, 'cetera quidem non nisi sobriis agenda' respondit: 'unum se etiam in vino præclare scire, omnia recte habitura, si remissa domum Cleopatra foret.' Excandescente ad hæc verba Antonio, 'gratias se agere Geminio' Cleopatra dixit, 'qui sine fidiculis ista esset confessus.' Hinc ille non ignarus quanto cum periculo istic degeret, proxima arrepta opportunitate, Romam refugit. Alios etiam Antonii amicos Cleopatra et ejus adulatores expulerunt; in his M. Silanum, quem postea Augustus consulatus sui collegam optavit. 'Se quoque mox fuga vitasse insidias, quas indicio Glauci medici cognosset,' Q. Dellius in historiis retulit; offensa Cleopatra, quod Dellius 'sibi, atque ceteris vappam ministrari' super cœnam jecerat; 'Sarmentum' (is propter facetias in deliciis erat Octaviani) 'Romæ Falernum bibere.' Plut. Infra, CXXXV. 8. Plut. Vell. II. 84. Plut.

11. His modis effectum est, ut etiam amicis Antonii diversam in sententiam transductis, omnium consensu consulatus olim destinatus, simulque potestas omnis, quam videretur in mulierem transtulisse, abrogaretur. Ne et hostis judicaretur, illustribus viris datum, quos tum adhuc apud ipsum commorantes pari sententiæ asperitate feriri oportuisset: quos allicere benignis atque blandis rationibus cupiebant. Igitur et præmia decreverunt laudationesque relicturis Antonium: et Cleopatræ bellum propa- Dio.

Digitized by Google

lam indixerunt. Ad saga tum itum: et solennes bello sumendo cærimonias in æde Bellonæ fecialis Cæsar peregit.

12. Tum, quo animus amplior omnibus esset, in hunc sensum verba fecisse dicitur: 'Quanquam miserrima et sit et censeatur civilis belli conditio; tamen ea tempora inciderunt, ut dubitem, an non potius optandum illud fuerit, quam ut adversus mulierem, et, si recte rem pensitamus, ne ipsam quidem, sed vilissima ejus mancipia induere arma cogamur. Nam illi quidem suum foventi Antonium vix cogitatio præter hanc ulla libera erit. Eunuchus Mardio et Pothinus exercitum ducent; signum pugnæ dabunt Ira tonstrix Cleopatræ, et Charmium. Nam de Antonio pudet! sed tamen tam metuendum nihil, quam sperandum est. Olim ille mentis inops, et pharmacis potionatus arbitrium sui perdidit.

Plut.

Dio.

13. 'Nisi forte putetis suæ potestatis fuisse, cum Alexandrinus ipse gymnasiarcha Cleopatram reginam ac dominam salutavit: cum eam in foro, inter ludos, in judiciis, in transvectionibus equitum, secum perpetuo habuit: cum vino et amore saucius, inter eunuchos cursum reginæ pedes secutus est: cum aureum baculum tenens, acinace cinctus, purpura gemmisque externum in morem excultus, in aureo lecto, aureaque sella curuli diadematus præsedit. Jam cetera quis pro rerum indignitate satis execretur? Romani milites Ægyptiæ apparent: mulieris hujus nomen inscriptum scutis præferunt: et, si quæritis quis exercitui præsit, non prætorium in iis castris, sed regia vocatur: nec Antonii, ne fallamini, sed Cleopatræ imperium est. Si tamen Cleopatram vocari, non Lunam potius et Isidem fas est: nam hæc nomina imponit ei furiosus amator, non mehercule stolidius, quam quod se Dionysum, si Diis placet, et, ne parum Ægyptius videatur, Osiridem appellat.

Flor. iv. 11.

Dio.

Serv. ad viii. Æn. 678. Dio.

14. 'Iisdem veneficiis contactos amicos ejus putes, qui itidem ab hac Circe quælibet in monstra mutari patiuntur; et, cum in convivio saltatur, quos illa jusserit, aut homines aut Dii fiunt. Hi non modo, rem nostris moribus turpissimam, versari in castris fœminam, sed imperare

Vell. ii. 83.

Hor. Carm. v. 9.

Digitized by Google

vident: hi tanta Romani nominis opprobria siccis oculis aspiciunt: hi applaudunt cum imperium nostrum amentissimis donationibus concerpitur; cum alibi rapiuntur patrimonia regum, alibi prodiguntur; cum fœdissimum gulæ certamen, non profusis tantum dapibus, sed inaudito hactenus luxuriæ ingenio, una sorbitiuncula census gentium mergit. Centies sestertium[b] fuisse margaritam, quam nuper illa vorago hausisse in aceto dicitur, fama non dubitat. Serv. Macr. Sat. II. 13. et Plin. IX. 35.

15. 'Inter hanc licentiam vitiorum, et hanc fœditatem adulantium, quid mirum est, si eo usque muliebris excessit temeritas, ut pretium obscœni conjugii Romanum imperium petat, et per jura, quæ sit in Capitolio datura, jurare consueverit? Hæc etiam auditu vobis gravia esse animadverto, ut mihi certe dictu sunt. Sed quemadmodum omen istud procul a nobis patriaque abesse volumus, ita necessum est, ut armis atque manibus, summaque rerum ope, et, si aliter nequeat, vel nudi corporis objectu, hanc pestem atque hoc nefas abarceamus.' Hæc et similia locutus, non tamen institit, ut Antonio bellum indiceretur. Præstare credebat, si hominem Cleopatræ penitus addictum in eam invidiam conjiceret, ut externæ reginæ causa contra patriam civesque nulla re læsus arma corripuisse videretur. Dio. Flor. Hor. I. Carm. 37. Propert. III. 11. Eutrop. Ov. Met. XV. 826. Dio.

16. Maximum id civilium omnium, atque externorum etiam bellorum populo Romano fuit. Galliam omnem Hispaniamque, et, excepta Cyrenaica, Africam, Illyricum, etiam et insulas occidentis Cæsar trahebat. Sed et Italia publice pro partibus ejus conjuraverat. Quo tempore necessitatis ejus gratiam Bononiensibus fecit, propterea quod antiquitus in Antoniorum clientela fuerant. At Antonium, quicquid per Asiam Romanæ ditionis erat, Thraciæque populi, et cum Græcis Macedones, ad Illyrios usque et Ionium mare, Ægyptusque et Cyrene, cum adjacentibus insulis, sequebantur. Reges quin immo atque tetrarchæ, socii Romanorum, aut finitimi saltem, omnes auxilia mittebant. Igitur navium haud minus Plut. et Dio. Suet. Aug. 17. Plut. et Dio.

[b] *Centies sestertium*] Marcarum argenti nostratium 89062. unciarum 4. *Crev.*

Digitized by Google

quingentis coëgerat; in his multas quæ octo, vel etiam decem remigum ordinibus agebantur, non ut in bellum magis, quam pompam et ostentationem armatæ. Pedestres copiæ centum millia militum, duodecim equitum continebant.

17. Reges etiam ad commilitium venerant ex Africa Bogus, ex Asia Tarcondimotus Ciliciæ rex, Archelaus Cappadociæ, Paphlagoniæ Philadelphus, et Commagenes Mithridates. His Europa Sadalem a Thracia junxit. Amyntas et Polemon alios pro se duces[c] ex Gallogræcis et Ponto miserunt. Sed neque Nabathæorum atque Judæorum auxilia defuerunt, quanquam dolo Cleopatræ commissis bello regibus.

Joseph. Antiq. xv. 6. et de B. Jud. I. 14. Dio.

18. Tantaque fuit utriusque contentio, ut jurejurando milites astringerent; atque Antonius suis vicissim obstringeretur, in caput suum execratus, 'si aut pacem cum hoste faceret, aut, confecto bello, amplius bimestri potestatem retineret, senatui populoque Romano cuncta traditurus.' Atque id, licet ab ejus proposito plurimum abhorrebat, tamen vix a se passus est multis precibus impetrari, 'ne imperium ante sextum a bello mensem deponeret.' Nam victoriæ quidem, æstimatis Cæsaris suisque viribus, maximam spem conceperat, numero militum, equitum, navium, longe superior; et pecuniis, quibus abundabat, corrupturum se sperans Cæsaris præsidia. Quarum rerum causa magnas summas circumquaque, sed maxime in Italiam atque Urbem ipsam mittebat. Unde Cæsar intentiores ubique custodias disposuit, militibusque suis, ne alienam liberalitatem respicerent, nummos divisit.

Liv. Epit. Dio.

19. Cum inter tantos utrimque apparatus imminentium malorum gravis expectatio, variis hominum indiciis atque sermonibus differretur, etiam prodigiorum atrocea minæ metum auxerunt. In Urbe simius fanum Cereris ingressus, inter sacrificandum omnia confuderat. Bubo ex Concordiæ templo, ad omnia præcipuæ religionis delubra circumvolans, cum undique expelleretur, postremo in æde Genii publici consedit: neque captus est, et seno ex com-

[c] *Amyntas... alios pro se duces*] affuit ipse bello, et ad Cæsarem Amyntas, si Dioni credimus, transiit. Vid. infra c. 32. *Crev.*

Digitized by Google

spectu hominum discessit. Thensa Jovis ludis comminuta est. In Judæa terræ motus ingens infinitum animalium numerum, et hominum triginta millia absorbuit. Pisaurum, quam ad Adriaticum Antonius coloniam deduxerat, terræ motu hausta est. Super Ionium fax per aliquot dies suspensa sursum in ætherem recurrit. Albæ statua marmorea Antonii sudorem, frustra detergentibus quibusdam, sanguinemque multum emisit. Tempestatibus percussa pleraque: in his tropæum in Aventino, Victoria in scena, pons sublicius in amne. Incendia quoque multis locis fuerunt, et mons Ætna finitimos gravi terrore detrimentoque mulctavit. Joseph. Antiq. xv. 7. et de B. Jud. i. 14. Plut. et Dio.

20. Athenis ex Deorum et gigantum dimicatione, quam fecit in scuto Minervæ Phidias, Dionysi simulacrum ventis excussum in theatro jacuit; cujus numinis habitum nomenque Antonius usurpare consueverat. Eadem tempestas Eumenis Attalique colossos, quos Antonio transcripserat civitatis adulatio, ex multis solos evertit. Præsentibus curis adjecit præteritorum memoriam solicitudo, quod nuper in Etruria draco biceps, longus pedes octoginta quinque, subito conspectus, post multa et varia damna data, fulmine ictus fuerat. Romæ pueri, partium nominibus assumtis, biduo concurrerunt: Antoniani victi sunt. Plut. Plin. xxxvi. 5. Plut. Dio.

21. Tot portentis pavefactæ mentes cum in quotidiana belli expectatione essent, factum est, ut neuter eo anno quicquam inciperet. Cæsar ab Antonio venisse pecunias audiens, non audebat, nisi diligenter omnibus provisis, ab Italia discedere. Antonium vix emersum e luxu, et improviso adventu hostes territare conantem, Cæsarianæ classis nuntium decepit, quam ad Ceraunios montes stare, speculatoriis navigiis conspectis, quidam affirmaverant. Igitur in Peloponnesum directo cursu, passim dispertitus copias, quo et plura loca tutaretur, et divisis in expedito alimenta forent, Patris hyemare instituit. Ibi quoque eum prodigia impendentium malorum excepisse credita sunt, quod interea dum illic agit, Herculis fanum, quem generis sui auctorem ferebat, conflagravit. Inter has belli moras, ex omni ordine utrimque transfugerunt quidam: et Plut. Dio.

Digitized by Google

L. Messium exploratorem deprehensum Cæsar, ostenso ei prius omni suo apparatu, missum fecit; quanquam eundem etiam bello Perusino captum dimisisse meminerat.

Plut. et Dio. 22. Ad Antonium sub id tempus epistolam misit Cæsar, optionem offerens, 'venire ipse in Italiam, an se in Græciam transjicere mallet, ea conditione, ut qui admissurus alterum esset, stationes securas portusque præberet adnaviganti, et a mari copias suas tanto intervallo reduceret, quantum expeditus eques conficere una die posset. Intra quintum deinde diem de summa re cerneretur.'

23. Hoc potius eo faciebat, ut animum suis augeret, quam quod Antonium tali conditione usurum credebat. Irrisitque ille, dictitans, 'Ecquis igitur judex noster erit, si forte neglexerit alteruter pactorum fidem?' Ne tamen timere hostem videretur, contra poposcit, 'ut secum singulari pugna congrederetur. Hoc si facere non esset ausus, at ille[1] Pharsalicis campis, ubi prius inter Cæsarem et Pompeium decretum armis esset, exitum totius belli committeret.' Hæc acta sunt C. Sosio, Cn. Domitio consulibus; cum interim ex Kalendis Juliis L. Cornelius, ex Kalendis Novembribus N. Valerius suffecti consules magistratum gessissent.

Pigh. Ann.

Dio. 24. Hic annus cum inter apparatum minasque belli
Vell. II. 84. præterisset, matura omnia C. Cæsar tertium, M. Valerius
Dio. Messalla Corvinus consules exceperunt:* hinc quoque
Appian. Civ. IV. p. 611. capientibus omen hominibus, quod ademtus Antonio consulatus ad eum pervenerat, quem paucos ante annos ab
Dio. eodem Antonio proscriptum meminerant. Nec temere factum existimarunt, quod ludis quidam mente captus in theatrum insiliens coronam Divi Cæsaris suo capiti imposuerat, statimque discerptus a circumstantibus fuerat. Circa eosdem dies lupus in æde Fortunæ occisus, ludis equestribus canis a cane devoratus est. Incendium etiam
Strabo, VIII. p. 381. inter prodigia propter magnitudinem damni, nam Cereris
Zon. Dio. etiam et Spei ædes cum pulcherrimis donariis conflagra-

1 *Aut ille* Cler. *Aut hoc si facere non esset ausus, ille* reliqua edd. ante Crev.

* A. U. C. 721. A. C. 31.

Digitized by Google

rant, computatum est: quanquam fraude libertorum excitatum esse constitisset. In furorem eos egerat tributorum acerbitas, quod ab omnibus hoc genus, qui quidem Italiam incolerent, quibus res quinquaginta millium denariorum[4] aut eo amplior esset, octava pars facultatum in Plut. Dio. præsente pecunia exigebatur. Tantaque fuit hominum importunitas, tumultu cædibusque et incendio grassantium, ut armis eam coërceri oporteret. Illa demum severitas et hos compressit, et ingenuorum prævenit motus: ægre ferentibus plerisque, quod ex prædiis Italicis quar- Plut. Dio. tam annui proventus pendere cogebantur.

25. At Cæsar, ut hostem inopinatus percelleret, nondum mari navigabili, Brundisio provectus, cum Corcyram usque venisset, tempestatibus coactus cedere, retro cursum flexit. Vere demum iterum educta classis Epirum tenuit, expositisque legionibus ibi castra metaturis, ad Leucadem insulam, Ambraciique sinus cornua constitit. Nec occurrit statim Antonius, remigum inopia, quæ variarum nationum colluvies, cum procul ab imperatore hyemem transegisset, neque exercuerat sese, et morbis atque transfugiis admodum decreverat. Flor. IV. 11. Dio.

26. Igitur M. Agrippa, cum parte navium præmissus a Oros. VI. Cæsare, minime negligendam occasionem ratus, observato 19. onerariarum adventu, quæ ab Ægypto Syriaque et Asia cum armis atque commeatu ad Antonium tendebant, multas abripuit; et plerisque locis exscensiones faciundo, vehementer Antonianos perterruit. Mox in Peloponnesum Dio. irrumpens, Methonen, Messeniæ non incelebre oppidum, Strabo, VIII. p. 359. quanquam validissimo præsidio munitum, in oculis adversæ classis, subito appulsu cepit, Bogudemque ibi Mauri- Oros. et taniæ regem deprehensum occidit. Dio.

27. His auditis, Cæsar in spem erectus, contractis Brundisium senatus atque equestris ordinis primoribus, aliis, ut horum uteretur opera, ceteris, ne res interim novas domi molirentur, ad transjiciendum omnia comparabat, ostentans una secum sentire, quicquid in Urbe nobilitatis esset.

[4] *Quinquaginta millium denariorum*] Marcarum argenti nostratium 781. unciarum 2. *Crev.*

Digitized by Google

Definito deinde quantum eorum quisque servitii, quantum commeatuum portaret, universas copias trajecit. Forte pars major Antonianæ classis ad Actium (Epiri est locus) stabat; non firmissima remigio, quod inopia rerum necessariarum valde erat imminutum. Igitur conditionibus aut vi sperans suam in potestatem hos venturos esse Cæsar, eo cursum direxit. Naves in universum ille ducentas quinquaginta paraverat modicæ altitudinis, ceterum expeditas et agiles; peditum octoginta millia, cum duodecim millibus equitum.

Vell. Plut. Dio.

Plut. Vell. Dio. Oros. Flor. Hor. Epod. I. Plut.

28. Antonius, tametsi legionum numero præstabat, tamen ut Cleopatræ gratificaretur, in classe locaverat arcem spei suæ, quanquam penuria remigum vulgo e Græcia corriperentur a præfectis ejus quilibet, ita ut neque viatoribus abstineretur, agasonibusque, et messoribus, quo ex genere plerique erant qui mare nunquam vidissent. Nec sic quidem succurri poterat indigentiæ, quin magna pars classis pessime navigaret. Aiunt, cum paulo post Antonius Actium venisset, trientemque fere nautarum absumtum fame reperisset, crudelem sane atque prorsus inhumanam vocem effudisse: 'Remi modo salvi sint. Remiges non deerunt, quousque Græcia homines habuerit.' Ergo Cæsar, pedestri exercitu ad Ceraunios montes exposito, qui dehinc ad Actium procederet, obiter recepta, quæ relicta a fugiente præsidio fuerat, Corcyra, in Thesprotidis portu, quem propter Thyamin et Acheronta fluviosque alios in eum incidentes, aut ex ipso mari ebullientes aquas, ob argumentum 'dulcem' appellant, classem constituit. Interea Cæsaris adventum tumultuosi nuntii ad Antonium pertulerunt: 'illumque jam apud Torynen' (Epiri oppidum fuit) 'considere.' Quos eludens Cleopatra, 'Quid magni est,' inquit, 'si in toryne sedet Cæsar?' ad culinariæ supellectilis instrumentum, quod hac appellatione Græci notant, significationem detorquens.

Oros.

Dio.

Thucyd. I. p. 32. Strabo, VII. p. 324. Pausan. Arcad. Dio. Plut.

29. Sed hujuscemodi dictis servari classis, suggrediente Cæsare, non potuisset. Antonius cum præsentibus copiis impigre profectus, veteris ducis solertia subvenit, rostris tanquam ad procursum obversis, et, quo speciem instructarum ostentaret, remis ab lateribus navium demissis, et

Digitized by Google

remigibus armatis per tabulata dispositis. Ita delusus Caesar, abjecto pugnandi consilio, evocatos ad colloquium Antonianos corrumpere conatus, cum nihil succederet, neque propter aquarum penuriam, quas magnis operibus inaccessas hostis[2] effecerat, commorari circum ea littora posset, ad locum, ubi mox Nicopolis exædificata est, secessit. Castris hic communitis, muroque alium ad portum (Comaro nomen est) perducto, terra simul marique gravis Actio vicinus imminebat. Adeoque nihil ab eo prætermissum est, ut trans eundem murum a mari in sinum Ambracium naves transvexisse sit creditus,[e] coriis bubulis recentibus oleo inunctis, per quorum lubricitatem facilius tantæ moles provolverentur.

Dio. Plut. Dio.

30. Ceterum is erat locorum situs, ut pro eo qui prior occupasset, magnopere facturus videretur. Actium enim, circa quod ea gesta res est, Apollinis fano celebre promontorium Acarnaniæ, os Ambracii sinus efficit, portus apud Nicopolim qui sunt, respiciens: totusque is sinus, et quicquid ante eum loci est, cum accipiendis, tum tutandis navibus eximiam commoditatem præstat. Sed totum hoc spatium operibus etiam Antoniani permuniverant, ad utraque sinus cornua insædificatis turribus, et mari quod intererat, navibus præcincto. Castra juxta fanum posuerant spatio plano et aperto, pugnæque committendæ, quam stativis aptiore. Ut enim depressis et palustribus locis consuevit, tam hyeme quam æstate insalubris ibi aër erat, et morbi per castra vulgabantur.

Strabo, VII. p. 325, et X. 451. Thucyd. I. p. 21. Flor. Dio.

31. Dum ita ex propinquo castra castris opposita sunt, nihil non expertus Cæsar, educendo instructos ordines ut pugnæ faceret potestatem, adnavigando classe, et onerarias hostium abstrahendo, non tamen elicere in aciem eos potuit, quin adventum suorum præstolarentur. Tum vero propius admotus cum parte legionum Antonius, etiam equitatum ab utroque sinus latere præsidio collocavit.

2 Pro vulgat. ante Crev. *hosti*, dedit Crev. *hostis* ex Plut.

---

e *Transvexisse sit creditus*] Id a quibusdam memoratum esse scribit Dio, sed sibi commentitium et incredibile videri. *Crev.*

Digitized by Google

Cæsar, nullum eo loco sibi casum ad tentandam prælii fortunam cernens aperiri, in Græciam atque Macedoniam partem copiarum misit, ut Antonium a præsentium rerum cura revocaret. At Agrippa Leucadem, et quotquot ibi naves erant, repentino incursu cepit. Inde Patras, victo navali pugna qui occurrerat Q. Nasidio, neque diu post Corinthum in potestatem redegit. Quibus rebus, et quod a M. Titio et Statilio Tauro cæsi Antonii equites fuerant, inclinare multorum animi ad fortunæ momenta cœperunt. Transfugiebant ad Cæsarem quotidie aliqui; sed inter notissimos, Paphlagoniæ rex Philadelphus Titio Tauroque se conjunxerat. Plus tamen affecit Antonium Cn. Domitii transitio. Qui Cleopatræ invisus, quam solus Antonianorum nunquam nisi nomine salutare voluerat, quanquam febre correptus, parvo acatio ad Cæsarem trajecit. Antonius tamen magnum animum præferens, contra sententiam Cleopatræ, quicquid rerum Domitius reliquerat, ad eum remisit. Nec diu superfuit ille, non tam opera, quam exemplo prælatis partibus utilis. Nec enim tantus vir abjecturus priorem amicitiam fuisse, nisi desperatione, credebatur.

Vell. II. 84. et Dio.

Plut. Vell.

Sueton. Ner. c. 3. Dio. Plut.

Dio.

32. Ergo frequentibus jam transfugiis, Antonius metu cohibiturus quos benevolentia non posset, cum aliis quibusdam etiam partis Arabiæ regem Jamblichum excruciatum occidit: et Q. Postumius senator jussu imperatoris manibus quorundam discerptus est. Inde Q. Dellio et Amyntæ regi timens, quos in Thraciam et Macedoniam, ad conducendos mercede milites miserat; an ipsorum quoque perfidiam veritus, ipse statuit eo proficisci, ut præsentia sua, sive metum eorum, sive defectionem præveniret. Male omnino hoc ei consilium vertit. Nam et illi cum rege Thracio Rhymetalce, et Dejotarus ad Cæsarianas partes se transtulerunt; et per absentiam ejus navale prælium ausus Sosius, iniquo Marte dimicavit. Quippe L. Taresium cum paucis navibus in statione relictum oppressurus, licet inter densam nebulam aggressus in fugam egisset, assequi non potuit: et Agrippæ forte redeunti oblatus, cum multis aliis et Tarcondimotum regem perdidit. Hac pugna, simul quod ipse reversus equestri

Vell. Plut. Anton. et Apoph. Rom. in Ang. Vell. Dio.

Liv. Epit.

Digitized by Google

prælio inferior discesserat, vitare propinquitatem hostium coactum, post unius bidui moram majora castra accepe- runt. Dio. Oros. Dio.

33. Ibi cum etiam inopiam timerent, de ratione gerendi porro belli consultatum est. Cum variatum sententiis esset, vicit, ut semper, apud Antonium Cleopatra, præsidiis firmari jubens opportunissima locorum, et in Ægyptum naves militesque reduci, ubi omnia pro ipsis essent habituri. Ceterum ad hoc consilium non muliebri tantum timore delapsa erat, sed etiam injecta frequentium prodigiorum cura: quod in prætoria sua navi, quam vocabat Antoniada, cum hirundines nidum sub prora fecissent, aliæ supervenientes et has expulerant, et pullos earum discerpserant; et statuas Cleopatræ Dearum insignibus adornatas fulmen dejecerat. Hinc illa diffidens præsentibus, Antonium quoque sui terroris implevit. Nec tamen confesso timore, ne suorum animos desperatione abalienarent, aut fugientium specie abiri placuit; sed, instructa ad dimicandum classe, si quis propositum iter interpellasset. Plut. Anton. et Dio. Dio.

34. At Canidius, remissa in Ægyptum Cleopatra, pedestri Marte decernendum censuerat. 'Neque enim turpe ad famam fore, si Cæsari, Siculis bellis nautica certamina edocto, mari cederet: id immo, si neglecta damnataque fortissimarum atque fidelissimarum legionum opera, tot pedestrium prælorum victor, in classe summæ rei spem reponeret.' In Macedoniam igitur ac Thraciam jubebat transferre bellum, regem Dicomen, maxima offerentem Getarum auxilia, socium discriminis habituros. Sed hæc repudiata est, ut prædiximus, sententia. Sub idem tempus Antonius propinquum periculum effugit, cum per longa brachia, quibus castrorum munitionem portui conjunxerat, pro more securus incederet. Cæsar enim admonitus excipi eum posse, clam miserat subsessores: atque illi, paulo festinantius exsurgentes, anteambulonem imperatoris corripuerunt; ipse celeri cursu vix se recepit ad suos. Plut. Dio et Plut.

35. Interim, delectis ex omni numero præstantissimis quibusque navibus centum septuaginta, ceteras, quod imminuto transfugiis pugnisque exercitu compleri non pote- Oros. Plut. et Dio.

Digitized by Google

Dio. rant, igne consumi placuit: præter Ægyptias sexaginta, quas malo consilio Cleopatræ relinquebat. Noctu deinde pretiosissimis rerum in naves comportatis, postquam omnia satis instructa parataque videbantur, Antonius adhortandos prius milites ratus, advocata concione, hunc in modum fecisse verba dicitur: 'Quæ a duce parari oportuit, præsto esse omnia, ne mihi credi postulem, ipsi novistis, atque adeo videtis, commilitones. Sive numerum copiarum respicitis, sive cuilibet generi pugnæ idoneas manus, haud dubie superiores sumus. Taceo quod tam strenui bellatores plerique estis, pugnisque clarissimis nobilitati, ut vel singulorum celebratam virtutem hostes nostri horreant. Viribus igitur, in quibus sunt omnia, potiores, etiam pecuniarum non magnitudine modo, sed facilitate parandi utendique libertate vincimus. Nam ex ubere copia desumtis neque parcere cogimur, neque seditiones per vim ereptas querentium formidamus: qualia multa visuri mox in Italia sumus, ubi jam olim tumentibus animis metum, quo illi solo adhuc tenentur, arma nostra detraxerint.

36. 'Post ista pæne supervacaneum est de me dicere, nisi referre arbitrarer, hoc etiam ab omnibus intelligi, et vos esse ejusmodi ut quolibet imperatore vincere possitis; et me, ut quibuslibet militibus. Et ego non amplius juventa calidus, nondum senecta segnis, hos ipsos annos habeo, quibus et corporibus adhuc robur constat, et mentium longe acerrima vis est.

37. 'De ingenio et usu, quanquam in meis laudibus debeam esse restrictior, id tantummodo dicam, neutrum mihi defuisse, quominus et utilia providere, et opportuna dicere, et domi bellique facere quæ oporteret, possem. Nec ferme particula ulla negotiorum utrobique offerri potest, quam non experiendo didicerim: sæpe aliorum ductu, sæpe meis auspiciis res gerendo, parendi imperandique cognitas omnes rationes habeo. Multa caute, haud pauca audacissime gessi, ut temporibus recte uti assuescerem. Neque Fortuna defuit, quin et victoriis me multis, et nonnunquam infortuniis, ad omnes bellorum casus erudiret.

38. 'Sed ista cum apud conscios dicam, non ero pro-

Digitized by Google

lixior, ubi unum hoc addidero, cum adversæ partes numero et robore militum, apparatuumque varietate multipliciter vincantur, a nulla tamen re imparatiores, quam ab imperatore, in certamen descendere. Unde enim ei in his annis necessaria huic loco experientia? Quem et corpore invalidum esse scimus omnes, nec aut in continenti, aut in mari ullius prælii victoriam per se obtinuisse. Certe in Philippicis campis dum ego vinco, ille fusus, fugatus, castris exutus est: nec, quid intersit inter duos, aut brevius possem aut verius exponere. Jam etiam victoriæ futuræ certissimum præsagium sumi ex paratibus solet. Illis igitur, si quid roboris est, forte sit in legionibus, et pedestribus copiis. At vero navibus, ut ipsi videtis, tanta differentia est, ut nostris quidem noceri minime posset a tanto infirmioribus, si sola mole sua defenderentur. Jam vero cum tantus sagittariorum numerus e turribus telorum imbrem eminus sparget, ecquis hostium suggredi sustinebit?

39. 'Neque vero Sicula victoria quenquam terreat, quæ et ipsa non Cæsaris decus, sed Agrippæ ministerium, immo classis meæ facinus fuit. Cum mancipiis et libertis Pompeii decertatum est: et quid ejus copiæ ad nostras? Et sic tamen semel iterumque fœde mulctatus est iste Cæsar, cum unius Siciliæ vires oppositas haberet. At quota pars imperii nostri est Sicilia? Ut, si quis hanc subegerit, formidandus esse nobis videatur! Ego vero tam parum istis eventis moveor, ut, cum possim et pedestri bello vincere, maritimo experiri maluerim, cujus victoriam secum tracturam omnia prospicio. Nam hostium legiones in angusta conclusas quasi quadam insula, cum omnia circa nostra sint, sedendo[3] deinceps, et arcendo tantum commeatus, quod mare tenentibus facillimum erit, expugnabimus.

40. 'Dixi, milites, quanta brevitate potui, quantis argumentis victoriam nobis certam deberi arbitrarer. Nunc etiam, quod omen Dii avertant! quid victis expectandum sit, cogitate; quo fortius pugnam capessatis, hisque ani-

3 *In angusta conclusas insula sedendo* edd. ante Crev.

Digitized by Google

mis ineatis prælium, ut omnino victoribus inde discedendum existimetis. Sicula illorum victoria nobis documento sit, quæ in vos sint exempla edituri, qui tam multos, etiam illustrium virorum, interemerunt; nec eorum tantum qui apud Pompeium fuerant, sed etiam ex Lepidanis, socios suos, consortesque periculorum, quibus haud minimam deberent partem ejus ipsius victoriæ, qua tam insolenter abutebantur.

41. 'Quid jam de ipso Lepido loquar? Cujus cum injuriam nullam, beneficium magnum et recens haberent, (nec enim sine hujus auxilio evertere Pompeium potuissent,) ingratissimi mortalium hominem innocentem, benemeritum, mitem, imperio exuerunt, et nunc quoque captivi modo habent in custodia. Neque mitiores in ceteros, quos pecunias crudeliter exigendo cum in arma egissent, pro hostibus occiderunt. Qui ergo talia in amicos sociosque perpetrant, quid non audebunt in adversarios? Nobis scilicet parcent, quibus illi viles fuerunt? Abstinebunt nostris, qui suorum facultatibus minime pepercerunt? Tam impotentes manente bello, victoria moderate utentur?

42. 'Sed quid ego in enarrandis quæ adversus alios deliquerunt, verba consumo? Quis enim indignius meipso acceptus est et habitus? Triumvir constituendæ reipublicæ, pari atque Cæsar jure creatus, tanto tempore sic usus potestate, ut pœnitere ejus non debeat; quantum in collega est, magistratu privor, destinato etiam consulatu careo: non de senatus sententia, cujus nomen frustra præscribi, tot primorum ejus ordinis, ipsorumque adeo consulum profectio ex Urbe demonstravit. Satellites Cæsaris sunt, qui hæc molienti patrum auctoritatem falso circumdant, in se quoque, non tantum in rempublicam injurii, quando sic se cervicibus suis regem imponere non sentiunt. Jam pro se quisque rationem ineat, quid sibi possit ab hoc monstro polliceri; cujus inhumana atque impia temeritate testamentum M. Antonii e penetralibus Vestæ vi raptum est, vivi, valentis, Armeniæ tum maxime victoris, et tanta potentia subnixi: nec raptum modo, sed resignatum, lectumque publice? Cujus

Digitized by Google

quidem exemplum rei, ne feracissima quidem scelerum tempora produxisse memorantur.

43. 'Hæc ergo designavit in collegam suum, cognatum, amicum etiam, si Diis placet. Ecce enim negat arma adversus me induisse! Quid ergo vobis fiet, commilitones, quibus aperte minatur, quorum honoratissimum quemque inter hostes judicatos nominatim retulit? Quod si non eodem decreto bellum indixit omnibus, ne ideo factum putetis, quod in aliquos futurus sit lenior. Discordiæ semina jacere voluit vafer adolescens, satis gnarus conjunctis se parem esse non posse: sin dissentiamus, adversus omnes occasionem aperiri. Ergo et credulos nonnullos levesque spe ac promissis pellexit: non reputantes hac se perfidia justum imperatorem, et reddendæ reipublicæ studium jurejurando professum, cum eo commutare, qui nihil aliud quam servitutem simul omnium quærat.

44. 'At ego cum ceteris illustribus viris, tametsi edicto Cæsaris omni metu vacare jubemur, rebus potius quam verbis accredentes, neque vos deserere, neque ceteros qui servituti libertatem anteponent, decrevimus. Rem igitur sane æquissimam postulamus, ut eodem in nos animo sitis, duo maxime ponentes ob oculos, et quantas exituri miserias bene pugnando, et quanta adepturi bona sitis. Nihil in vos hosti superbo atque crudeli, licebit: vos immo ad summa gloriæ potentiæque provecti, rerum arbitri eritis: neque vobis tantummodo in liberata patria, sed ipsis quoque quos viceritis, ingentium commodorum auctores.'

45. Hanc in sententiam locutus, principes amicorum, ne superiorum exemplo profugerent, in naves imposuit: jussis una conscendere sagittariorum duobus, legionarior- Plut.
um viginti millibus. Quod enim Cæsarem Siculo bello Dio.
victorem fecisse magnitudo maxime navium, et multitudo
propugnatorum credebatur; ipse quoque utrumque imi- Plut. Flor.
tari constituit. Ergo et triremes raras ædificarat, ceteras Vell.
ab quaternis usque ad denos ordines, cum prælatis turri- Virg. Æn. VIII. 693.
bus. Ferunt, cum præter illum legiones in classe pugna- Hor. Epod. I.
turæ incederent, veteranum centurionem magna et queri- Dio.
bunda voce exclamasse; 'Ergone his cicatricibus' (os- Plut.

Digitized by Google

tendebat enim frequentes toto adverso corpore) ‘ gladioque diffisus, imperator, spes tuas his nullius usus lignis concredes? At ista Phœnicibus et Ægyptiis digna est militia: nobis terram præbe, in qua aut vincere aut occumbere didicimus.’ Ille nihil ad hæc: sed nutu tantum, manuque mota ostendens bonum animum ei habendum, præteriit.
4 Sed ipse tristium potius quam meliorum objecta imagine, vela comportari jubebat in naves, ut scilicet persequendi fugitivos hostes facultas foret.

Dio. 46. At Cæsar, consilio Antonii ex transfugis cognito, sibi quoque ante discrimen agendum cum exercitu ratus, ejusmodi orationem habuit: ‘ Eventus bellorum pro bonitate causæ plerumque justitia numinum dispensari, non hodie demum herive credi cœpit, sed ex omni temporum memoria constanti priorum observatione veluti per manus traditum est. Igitur licet ita parati simus, ut vel injustum bellum satis felix fore confidere debeamus; plus tamen fiduciæ in eo repono, vobisque reponendi sum auctor, quod non facturi injuriam, sed intentatam repulsuri, hoc quicquid est periculi subibimus.

47. ‘ Ecquid enim Romano populo, gentium omnium principi, plerarumque victori, accidere indignius potuisset, quam quod adversus Cleopatram, quasi hostem, tanto cum apparatu proficisci cogimur? Sane ego hac nuntii fœditate non solum, si qui manium sensus est, valde permoveri Fabricios, Scipionesque, et Æmilios putem; sed etiam Pyrrhum, et cum Philippo Magnum Antiochum, et clarissimos Pœnorum principes erubescere, si mulierem Ægyptiam intelligant cum his contendere, quorum a majoribus tanti ipsi reges imperatoresque victi sunt. Neque vero meriti hanc ignominiam sumus, quibus Gallia subacta, quibus Pannones ad Istrum usque domiti, transitusque Rhenus, et in Britanniam trajecti exercitus,[f] satis illustria testimonia sunt, nihil nos a priorum virtute defecisse.

[f] *Transitusque Rhenus, et in Britanniam trajecti exercitus*] Transitum ab Agrippa cum Cæsarianis copiis Rhenum supra memoravit ex Dione Freinshemius, CXXVIII. 28. De trajectis in Britanniam exercitibus nihil reperimus, nisi quod idem Dio, l. XLIX. narrat Cæsarem in Galliam profectum esse eo animo, ut in Britanniam, patris exemplo, trajiceret, sed revocatum

Digitized by Google

48. ‘Proh Deos immortales! Adeone nos a vilissimis hominibus despici, ut ab Ægyptiis et Alexandrinis provocemur? Quid enim ad exprimendam istorum mollitiem ignaviamque dici verius aut expressius potest? Hi igitur mortalium turpissimi simul atque inertissimi, qui tanta sunt vecordia, ut reptilia ferasque colere pro Diis possint; qui condiendis corporibus immortalitatis affectant inane ludibrium, quam ab animis suis gestisque sperare non audent; qui semper ut ad res novandas levitate præcipites, ita ad gerendas præ timiditate ineptissimi fuerunt: hi, inquam, procedere in conspectum nostrum, ostendere arma sua, expectare nostra sustinent.

49. ‘Quanquam quid ego horum amentiam reprehendo, quæ per se facile quietura, nostrorum fatali quodam furore stimulatur? Romanas illi, proh pudor! Romanas intuentur manus, commilitones! Nostri generis homines reginæ suæ stipatores conspiciunt: hinc equites Romanos, hinc senatores spadonum eam vilitate adulari. Quid quod M. Antonium, bis consulem, sæpius imperatorem, reipublicæ constituendæ mihi datum collegam, tot terras imperio, tot exercitus obtinentem, a moribus nostris descivisse vident, omnemque et natalis soli caritatem, et patriorum numinum reverentiam abjurasse. Etenim si quis forte vestrum est qui aliis auctoribus parum credidit, scitote M. Antonii jussu et exemplo pro Iside aut Diana adorari Cleopatram: Antonio imponente, natos ejus Solis atque Lunæ ferre nomina: Antonium his amplissimas insulas, magnam continentis partem, tanquam privatum patrimonium, distribuisse.

50. ‘Etiamsi certissima sunt hæc atque compertissima, credere contantibus ignosco. Sed eadem facinorum magnitudo, sicuti vix invenire fidem objecta potest, sic nota eadem et probata veniam enormibus peccatis negat. Qua in re plus aliquanto patriæ salutique omnium, quam affectui meo deberi intelligo. Quid enim non feci tulique ut hic a me servari posset, quem patrem appellare soli-

fuisse nuntiatis Dalmatarum nondum plane subactorum motibus. Vid. supra CXXXI. 33. Tamen quod hoc loco jactat Cæsar, id ex Dione ad verbum exscriptum est. *Crev.*

Digitized by Google

Appian. Civ. III. Dio.

tus,[5] participem consiliorum, collegam potestatis habui; cui sororem carissimam junxi matrimonio; cui, ut alia taceam, totos exercitus dono dedi? Quam ergo contanter ad vindictam Romani nominis accesserim, inde manifestum esse cunctis, credo, quod neque contumelia sororis, neque susceptorum ex ea liberorum neglectu, non Ægyptiæ mulieris, quam sorori meæ anteposuit, insolentia, non amentia ipsius, provincias populi Romani liberis istius fœminæ distribuentis, in arma compelli potui. Neque enim eodem mihi tum numero ducendi videbantur Antonius et Cleopatra: quod adversus externam arma potius expediri dignitas nostra jubebat; civi ad pœnitentiam spatium dari postulabat humanitas. Et, indicto Cleopatræ bello, sperabam hunc, si non ultro, coactum certe ad meliorem mentem rediturum esse: ideoque nec hostem judicari passus sum.[4]

51. ‘ Quando autem ille nec misericordia nostra nec patientia utitur; sed sive impudentia, sive pharmacis, ut ferunt, istius veneficæ mota mente, beneficium nostrum repudiat, in mulieris gratiam nobis patriæque periculum intentans: quid superest, commilitones, quam ut hunc Cleopatræ volonem, iisdem quibus et dominam ejus armis, summoveamus: et, quando ipse majorum suorum et Romani nominis, et honorum a patria acceptorum non meminit, nos quoque Romanum hunc et Antonium consulemque atque imperatorem fuisse obliviscamur, et, quod ipse omnibus his titulis prætulit, cum Canopico cymbalista negotium esse cogitemus?

52. ‘ Unde neque cuiquam ea reputatio subeat, talem isthunc hominem aliquid ad partes corroborandas Cleopatræ sua præsentia momenti adjecturum. Qualis antea quoque bellator fuerit, multi vestrum satis norunt, a quibus ad Mutinam victus ac fugatus est. Quod si forte

4 *Passus sum* ex Dione edidit Crev. cum antea legeretur *passurum*.

5 *Patrem appellare solitus*] Ubi primum Octavius ad Urbem post mortem Cæsaris venit, Antonium patris nomine affatur in ea oratione quam ipsi Appianus tribuit: et vicissim Antonius respondens filium eum appellat. *Crev.*

Digitized by Google

dum a nobis stetit, aliquid habuisse virtutis visus est; id omne olim jam voluptatibus mollitieque deperiit. Nam inter regias voluptates, inter muliercularum amores, quæ durare virtus, aut quid manere consilii animique[5] virilis queat? Nec enim fieri potest, ut alius sit quisquam, atque se esse studet. Delicias inertia atque negligentia sequitur; laboribus atque periculis virtus ali gaudet. Igitur et ille quondam non instrenuus Antonius, tanto jam tempore unica suscepta expeditione, multa millia civium pugnando ad Praaspa, plura deinde fugiendo perdidit. Nec mirum sane. Nam si quis vestrum lascivam saltatiunculam aliquam, aut Bacchicæ choreæ ductorem desiderat, vix nancisci meliorem alium posset: illis enim rebus apprime est exercitus. At cui duce sit opus, si sapiat, alium quæsiturus est.

53. 'In hoc enim quid est, quod placere cuiquam debeat?: Ætas? at illa deflorait annis, emarcuit luxuria. Animi magnitudo? Tanquam illa cum stupris et mollitie consisteret. Pietatem ergo cultumque Deorum aliquis nominet? Quasi vero hos non æque ac patriam oderit. Fidem? Hujus enim egregium edidit specimen in Armeniæ rege. At benevolentiam erga amicos? Laudetur sane illa atque prædicetur, si non intimos alios contumeliis a se pepulit, alios etiam crudelissime interfecit. Erant, qui apud milites magnam ejus esse caritatem existimarent. Sed his quoque, aut vehementer fallor, hunc errorem quotidiana ad nos transfugia exemerunt. Atque ego ceteris quoque similem esse animum non dubito: iterumque eventurum ei, quod Brundisio in Galliam proficiscenti contigit. Tum enim etiam, quamdiu emolumentum sine periculo sperabant, adhæserunt omnia profuse pollicenti: postquam prædam tenuem et laboriosam, vulnera et mortes nusquam non occurrere viderunt, sibi cœperunt consulere, neglectis illius rationibus.

54. 'Talis ergo militum animus erit. Auxiliorum vero quæ secum trahit, qualis sit, quid attinet dicere? Asiaticum id omne genus est, e qua parte terrarum toties tri-

5 *Unicuique* edd. ante Crev.

Digitized by Google

umphatum, quoties in conspectum venire signorum nostrorum sustinuerunt: reliquiæ eorum, quos Philippensi bello ad satietatem vestram cecidistis. Unum esse fateor in hostilibus castris, cujus nec inficiari veritatem, nec elevare magnitudinem ausim. Ingens in illis navibus auri pondus est, maximæ divitiæ. Sed illa neminem vulnerant, et, si viri estis, vestra sunt. At quorsum ego hæc commemoro, quæ tantummodo excitare avaros possint? Debentur quidem ista vobis, atque ultro mox aderunt. Sed digniora vobis victoriæ præmia esse reor, quod majestatem principis terrarum populi, quod vestras injurias, vestram gloriam, vestrum imperium defendisse dicemini.

55. 'Huc igitur adeste,[6] quotquot aut nuper mecum Illyricas Dalmaticasque nationes, aut paulo ante Siciliam vicistis; quique[7] Mutinam huic eidem latroni eripuistis: et quam pro castellis obscuris capiendis, pro una aut urbe defendenda, aut recuperanda provincia, reipublicæ fortem fidelemque præstitistis operam, eandem nunc in universo omnium discrimine adhibete. Nam, si verum dicere[8] volumus, ut apud nos pro libertate populi Romani, et tantum non humani generis, sic inde in ruinam utriusque pugnabitur. Cum ea fœmina bellum est, quæ et concupiscere Romanum imperium, et cupiditatem profiteri audet; cum eo homine, qui non minus stolide promisit hæc omnia, quam illa nequiter postulaverat. Absit vero ut hæc tam dira dictuque etiam vix tolerabilia ulla dies videat, ut in tam impuris manibus populi Romani sit respublica, ut scurris horum, quos digno sane nomine 'copreas'[h] ipsi vocant, vos conjugesque vestræ, liberi, patrimonia divexanda dentur.

Pacat. Paneg. Theod. Vell. II. 85. Flor. Dio.

56. 'Sic animati neque multitudinem hostium timueritis. Turba enim est, et vulgus, haud parum aptius

6 *Adestis* in edd. ante Crev. legitur.
7 *Quippe* pro *quique* legebatur ante Crev.
8 Abest vox *dicere* in edd. ante Crev.

[h] *Copreas*] Homines nihili, merum stercus. Græca vox est, orta a κόπρος, usurpata Suetonio in Tiber. c. 61. et Claud. c. 8. *Crev.*

Digitized by Google

sarcinis quam armis portandis genus. Neque magnitudinem navium pueriliter suspexeritis. Inhabilis illa moles per se neminem oppugnat aut sauciat, et ultro parum est ad impellendum inhibendumque, cum oporteat, idonea. Quid igitur facient in his conclusi magis, ne effugiant, quam impositi ad pugnandum cum spe victoriæ; ubi tanquam equestri agilitate omni a parte triremes nostras liburnasque assultantes videbunt? Ubi velut in immobiles et ictibus se præbentes hinc rostra incurrent, inde tela ac faces injicientur? Non expedient hercle consilium, ad fugiendum æque et insequendum inepti,[1] et velut in vestigio hærentes. Atque hæc non quasi divinans ante experimentum prædico, commilitones: duobus jam prælii comperta loquor, et nemini vestrum ignota. Sic igitur nos paremus, tanquam uno prælio, quicquid ab imperio nostro exerravit, sub jugum revocaturi.

57. ‘ Nec Asia solum et Græcia nostra erit, sed Ægyptus etiam, veteribus opibus, et quas nuper ubiubi rapere potuit Antonius, dives. Nec enim pedestris exercitus, sua quoque confessione nobis impar, victoriæ præmia morabitur, neque vincere difficile est, quales diximus, nauticas copias: de quibus ipsa etiam cum marito Cleopatra desperavit. Namque, ne quicquam vos celem eorum quæ certis indiciis cognita teneo, fugæ potius quam prælii causa naves conscenderunt, certo sane argumento, quod ex omni supellectili quicquid paulo pretiosius fuit, eodem importandum curaverunt. Idcirco qui fortassis nudos abire pateremur, nunc præmia victoriæ nostræ secum ablaturos non dimittemus, donec et hæc et ipsos strenue pugnando nostram in potestatem redegerimus.’

58. Sic dimissa concione, utrumne obsisteret exituris, an vero viam aperiret fugæ, agitare cœpit. Quod enim velociores habebat naves, facile se consecuturum abeuntes rebatur: et, si Antonium cursus abstulisset, ceteros omnes nullo amplius retinente ad se transituros. Sed Agrippa subjiciente, ‘ favore ventorum eripi sibi classem velis usuram posse,’ prælium committere statuit, majore ali-

[1] *Inepti*] Sic postulat sensus ratio. Male hactenus *ineptis*, nisi adjiciatur *navibus*. Crev.

Digitized by Google

Plut. et Dio. quanto spe vincendi, postquam illo die tempestas oborta; et proximo deinde triduo desæviens, effusis imbribus et multa grandine navibus Antonianis molesta incubuit. Quinto demum die, cum reddita serenitas esset, Cæsar et ipse, postquam in hostia reperto felle duplici egregie litarat, magnam vim militum in navibus collocat: amicos in scaphas imponit,[k] ut celeriter discursando monerent pugnantes quid fieri vellet, et ad se quid ubivis rerum gereretur, referrent. His ita paratis, cum dextro cornu M. Lurium, sinistro L. Arruntium præfecisset, Agrippa universæ classi præposito, ipse cum Valerio Messalla, et aliis illustribus, futurus ubi res postulasset, egressum hostis expectabat.

Plin. XI. 37. Dio.

Vell. II. 83.

Plut. Brut. fin. et Appian. Civ. IV. p. 611. Vell. Dio.

[k] *Amicos in scaphas imponit*] Intelligimus minores amicos de cohorte imperatoris. Freinshemius cum interprete Dionis Græcam vocem ὑπαίρους verterat *auxiliares*, sed repugnante et sensu totius narrationis, et ipsius vocis usu. *Crev.*

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXXIII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Dum apud Cæsarem hi apparatus fiunt, ex diversa parte Antonius, classis suæ dextro cornu cum L. Gellio Publicola præfuturus, lævum C. Sosio, mediorum regimen M. Octavio et M. Insteio tradiderat: pauloque extra portum provectus,[1] pro faucibus ejus instructa acie stabat. Tradunt etiam, quasi in perniciem ejus omnia conspirassent, ab echeneide pisciculo retentam prætoriam fuisse, qua circumire ad exhortandos suos cœperat, donec in aliam navem transiret. Evectus igitur Cæsar, ubi nusquam progredi hostem animadvertit, incertus consilii, tamen expediri remos præcepit. Deinde, ubi nemo ex adverso procedebat, (nam scapha circumvectus Antonius gubernatores tenere locum circa angustias portus, tanquam anchoris jactis immobiles, jusserat, hortatus milites, ut propter gravitatem navium, inde velut stataria pugna aggredientes exciperent,) signum datum, uti cornua inveherentur.[a] In alterum jam Agrippa transierat: quem

Plut. Anton. et Vell. II. 85.

Dio, L.

Plin. XXXII. 1.

Plut. et Dio.

1 *Profectus* edd. ante Crev.

[a] *Uti cornua inveherentur*] Clarius rem expressisset Freinshemius, si Dionis vestigia pressius secutus esset; τὰ κέρατα ... ἐπεξαγαγὼν ἐπέκαμψεν. Cornua explicata inflexit Cæsar, ut hostem circumveniret. *Crev.*

Digitized by Google

porrigere videns aciem Publicola, dum suos etiam ordines expandit, a mediis divellebatur. Tum Antonius, ne multitudine hostilium navium circumveniri suam classem aut diduci pateretur, invito propior in advenientes Cæsarianos movit. Ibi vero L. Arruntio occurrente, atrox et obstinatum certamen ortum, ducibus utrimque atque gubernatoribus ex sua alacritate aut arte spem pugnantium intendentibus; et animos instigante conspectu atque acclamationibus pedestrium copiarum, quarum regimen hinc P. Canidius, inde Statilius Taurus, obtinebant.

Vell. et Plut.

Flor. IV. 10. Dio et Plut.

2. Sed erat sicuti navium utrimque, sic etiam pugnæ ratio dispar. Cæsariani minoribus et levibus navigiis hostilium moles impetu subibant, tectique et sub ipsa eorum magnitudine latentes, impune detrimentum inferebant: aut, si frustra conatus fuisset, priusquam manibus ferreis comprehenderentur, se recipiebant, mox eandem iterum navem, aut, si qua alia opportunior videretur, libero incursu tentaturi. Adversus hæc Antonianis curæ erat ex præaltis navibus (decem pedes aliquæ a mari aberant[b]) catapultis hastas aut saxa jacere, succedentem hostem missilibus incessere, harpagones injicere navibus. Ea res quoties procedebat, haud dubie vincebantur Cæsariani: ubi subducentibus se his, atque celeritate sua eripientibus, aberraverant machinæ; aut rostris hostilibus perforabantur Antonii naves, aut singulas a pluribus circumventas amittebat. Erant in altera parte gubernatores periti, remex alacer, dux intentus: in altera præter milites nihil. Sic igitur pugnabatur, ut hinc sola legionariorum virtute res sustineretur, inde plurimus nautarum atque remigum labor esset.

Oros. VI. 19. Dio et Plut.

Vell.

Dio.

3. Cum ab hora quinta diei usque in septimam multa utrimque cæde dimicatum, neutro inclinante victoria, esset; Cleopatra, quæ post aciem, anchoris in salo jactis,

Oros.

Dio. Plut.

[b] *Decem pedes aliquæ a mari aberant*] Si hæc altitudo fuit maximarum Antonii navium, videant docti quonam modo decem remorum ordines, quos habebant illæ naves, intra decem pedum spatium strui potuerint. Ceterum hoc nititur parum firmo aut perito auctore Orosio, apud quem etiam numeri nota facile vitiari potuit. *Crev.*

Digitized by Google

naves suas constituerat, haud ultra ferens spei terrorisque ancipites moras, cum sexaginta suis navibus, in medio pugnantium subito conspecta, exterruit Cæsarianos, donec eam minime pugnandi animo progressam Peloponnesum versus sublatis dolonibus fugere animadverterunt. Forte propitius ventus subortus longe has statim a loco ubi pugnabatur abripiebat. Igitur sive deceptus Antonius, et suos excedere prælio ratus, sive Cleopatram anteponens omnibus, ipse quoque detracto insigni prætoriæ navis, Alexandro Syro et Scollio quodam solis familiarium comitantibus, intendit fugam.

Oros. Flor. Vell. Virg. VIII. Æn. v. 709. Hor. Carm. I. 37. Plut. Dio. Vell. Plut.

4. Neque segnius resistebatur, nolente imperatorem relinquere milite, a quo relictus atque proditus ipse erat. Tandem sub horam decimam, clamante atque rogitante Cæsare,[c] 'cujus igitur auspiciis, cujus in gratiam pugnarent post imperatoris fugam?' vix inducti sunt, ut oblatam ultro veniam accipere faterentur. Pars tamen ad sublevandas naves, projectis in mare turribus atque armamentis, abierunt: quibus omissis, Cæsariani, carentes velis, et tantum ad pugnam parati, ceterarum fugam impedire satis rati, jam audacius et apertius, multitudine navium et vento favente freti, oppugnabant. Ergo crudelior quam antea pugna esse cœperat; nec jam gubernatorum artibus et suarum celeritate navium contentus Cæsaris miles, conscendere hostiles, et tractis in præceps aut repulsis propugnatoribus, evadere in tabulata nitebatur. Sed peribant inter hæc multi, dum contis protrusa navigia, aut securibus cæsa, præterea conjectis in has ex ante parato ponderibus prægravata fatiscunt: alii, dum prealtas naves scandunt, dejecti, pars collato pede trucidantur.

Dio. Plut. Vell. Plut. Vell. Dio.

[c] *Sub horam decimam, clamante atque rogitante Cæsare*] Plutarchus hora decima Antonianos despondisse animum et pugnandi voluntatem abjecisse scribit. Velleius quoque innuit tum pugnandi finem factum esse, cum adhortatus est eos Cæsar ad veniam accipiendam. Itaque ea quæ postea ex Dione Freinshemius adjecit usque ad c. 8. videntur haud suo loco posita esse, et ante hanc Cæsaris adhortationem revocanda. Nisi forte alii dediderunt se hora decima, alii in serum diei, atque etiam in multam noctem extraxerunt certamen, ut Orosius auctor est, qui, illucescente demum die, victoriam Cæsaris consummatam esse memorat. *Crev.*

Digitized by Google

5. Igitur Cæsar, ut minore suorum periculo rem conficeret, ignem afferri jussit e castris, quo auxilio antea abstinere, ne præda corrumperetur, cogitaverat. Tum vero passim a Cæsarianis ignes variis ingeniis jacti. Nam præter jacula ignita facesque manu jactas, vascula quoque pice referta ac carbone tormentis vibrabantur. Et quanquam, dulci prius aqua consumta, deinde marinam infunderent extincturi, plus augebatur incendium, vires ex salsa aqua capientibus flammis. Tum vero, cum omnia experiri necessitas cogeret, centonibus atque adeo corporibus occisorum injectis suffocari visus est ignis; sed mox victis quæ obstiterant, vento quoque exsuscitante, importunior eluxit.

Virg. Æn. VIII. 694. Dio.

6. Igitur multiplicato metu mortis exsternati, donec quidem pars aliqua navis ardebat, repugnabant incendio, quasi corporum objectu arceri posset, cædendo tabulas, transferendo onera, aut in mare, interdum in ipsos etiam hostes immittendo, ut vel sic lederentur. Erant qui semper se recipientes in ea loca, quo nondum ignis penetraverat, manibus ferreis contorutaque uncis hostiles retinere naves summa contentione laborarent: ut in has insilientes aut salutem consequerentur ex victoria, aut, si una perdere inimicos potuissent, solatium mortis. Ut autem leves Cæsaris naves periculum facile effugerunt, et ardentium tabulata ac latera ad ipsam usque carinam depasta flamma, locum quo concederent ultra non habentes afflabat; miserrimis hominibus gravissimæ calamitates incubuerunt.

7. Multos, et præcipue nautas, intactos adhuc igni fumus enecat: alii medium inter incendium tanquam in camino assantur: videres etiam quos ipsa, quæ tuendo corpori sumserant, arma conceptis ignibus torrerent. Quæ qui abjecerunt, eminus hostium telis convulnerabantur. Ne quidem in mare desiluisse proderat: cum alios hauriret unda, vel incidentia tela inter ipsas aquas conficerent: pars a marinis belluis intercepta laceraretur. Soli, ut tali tempore, mitiore fato perierunt, qui priusquam ista paterentur, mutuis vulneribus, aut sua manu peremti, simplicem mortem, et in ipsis navibus suis bustum inve-

Digitized by Google

nerunt. Tum demum, postquam eum in statum deducta res erat, tuto suggredi se posse rati victores, ut pecuniam, quam sciebant esse in navibus, diriperent, studiose adnavigarunt. Nec aliunde major ea die clades his partibus extitit: non modo milites plurimi, dum extinguere ignem parant, ambusti, sed et totæ naves, hostilibus correptæ harpagonibus, conflagrarunt.

8. Hæc pugna A. D. IV. Nonas Septembres commissa hujusmodi exitum habuit, per noctem etiam obstinatione pereuntium continuata; donec illucescente die, qui in navi pernoctaverat Cæsar, jam sine exceptione victor, adeoque solus reliquus Romanæ rei rector intelligeretur. Nam illa dies salutaris est habita reipublicæ, et inde tempus imperii ejus præcise computatur. Cæsa fuerunt hostium millia quinque, naves omnis generis captæ trecentæ, sicut ipse Cæsar in commentariis suis retulisse traditur. Nam alii cecidisse millia duodecim ex victis prodiderunt, sex vulnerata, ex his inter curandum mille mortuos.

Dio, LI. Oros. Sueton. Aug. 17. Dio. Vell. II. 86. Dio. Plut. Oros.

9. At Cæsar, misso cum liburnis Mæcenate, qui longius insequeretur fugientes, ad honores Deorum, a quibus adjutus credi volebat, se contulit. Et ante ceteros Apollinem colere solitus, a quo et genitus gaudebat existimari, tanquam præsenti numini (nam apud Actium ædem habebat antiquitus) decem naves ex præda dedicavit, ab uno remorum ordine ad decem; quæ postea cum ipsis navalibus deflagrarunt.[2] Templum deinde ejusdem Dei ampliando nobilitavit; et pro vetere triennali agone, ludos gymnicos musicosque instituit, et certamen equestre, quod singulis quinquenniis in suburbio Nicopolis loco ad hoc parato ageretur, Actiacos vocari ludos jubens: eorumque cura Lacedæmoniis demandata.

Acron in Hor. Epod. I. et Ped. Albin. in Mæcen. Obit. v. 45. Dio. Sueton. Aug. 70. et 94. Supra, CXXXII. 30. Dio. Strabo, VII. p. 325. Plin. IV. 1. Sueton. Aug. 18. Strab. Dio.

10. Dedit etiam deinceps urbi condendæ operam, Nicopolin ex argumento vocans, quam in loco castrorum positam, migrare eo jussis vicinorum Ambraciæ et Anactoriæ regionis castellorum habitatoribus, quibusdam etiam longius a Calydone et Ætolia arcessitis, frequentavit. Ubi vero tabernaculum imperatoris fuerat, Apollinis sa-

Cassiod. Chron. Strabo. Plin. Sueton. Strabo. Dio. Pausan. V. et VII. Dio.

2 *Deflagrarunt* edd. ante Crev.

Digitized by Google

cellum faciendum curavit sub dio, quod rostris captarum navium exornatum est. Eodem loco hominis et asini signum ex ære posuit, qui ad prælium procedenti omen fecerant, alter Eutychi nomen habens, alter Nicontis: quæ statuæ postea Constantinopolin transvectæ, in theatro Circi steterunt. Ipsam quoque urbem non manubiis tantum, sed etiam convectis in eam oppidorum ornamentis, quorum et incolas eo transtulerat, conspicuam reddidit. Et quo majorem novo populo dignationem circumdaret, inter Amphictyonas locum ei dedit, suffragiis Dolopum, quæ gens pridem interierat, in Nicopolitanos collatis, et quæ Magnetes, Maleensesque, et cum Ænianibus Achæi Phthiotæ habuissent; quas civitates communi Thessalorum contribuebat.

Sueton. Aug. 96. et Plut. Zonar. Strab. Paus. VII. Paus. X.

11. Patras etiam, quæ magno partibus adjumento fuerant, immigrare coëgit ex finitimis oppidulis homines. Sed et Rhypis eversis multitudinem deduxit Patras: oppidum commodo appellentibus situ interire, ut cœperat, minime passus. Igitur et solis Achæorum libertatem cum jure coloniæ Romanæ tribuit, et de spoliis Calydoniorum, tum alia ornamenta, tum Dianæ Laphriæ simulacrum dono dedit. Verum hæc ad sequentia tempora pertinuerunt.

Paus. VII.

12. At Antonium, ex prælio profugum, signo navis eminus conspecto, Cleopatra noscens, inhibuit cursum, donec regia prætoria venientem acciperet: transcenditque ille, nec videre reginam sustinens, nec ab ea videri, tacitus et cogitabundus, suffulto manibus capite, in prora sedebat: donec, ad tumultum persequentium navibus circumagi jussis, ceteros haud ægre summovit: navis una perseveranter instabat, cujus in tabulato quidam minitabundo gestu lanceam vibrans eminebat. Is interroganti Antonio, 'Tu quis es, Antonium qui persequeris?' 'Eurycles,' inquit, 'Lacharis filius, Laco, Cæsaris fortuna mortem patris mei persequor.' Eum enim Antonius latrocinii crimine securi percusserat. Neque tamen prætoriam, in qua tum Antonius erat, sed alteram (binas habebat) invasit: eaque et alia quadam, quæ pretiosam supellectilem vehebat, abrepta, recessit.

Plut.

Digitized by Google

13. Tum iterum priori tristitiæ redditus Antonius, triduum solus exegit in prora, sive offensus Cleopatræ, sive pudore visum subterfugiens: donec ad Tænarum processum est. Ibi demum opera mulierum colloquio, et mox mensæ lectoque communi admoti sunt. Jam amicorum nonnulli cum onerariis multis ad eum pervenerant, mari res perditas, pedestrem exercitum in officio esse nuntiantes. Missis igitur, qui Canidium cum legionibus et equitatu per Macedoniam in Asiam properare juberent; navem multa pecunia regioque instrumento onustam inter se dividere amicos jussit, salutique suæ prospicere. Nec desiit restitantes, flentes, solatia et preces miscens, urgere donec discederent: eosque Theophilo, procuratori suo, qui Corinthi remanserat, commendavit, ut eos tantisper absconderet, donec placandi Cæsaris reperissent viam. Dio. Plut.

14. Pauci fugisse Antonium senserant: neque facile erat credere veterem imperatorem, et vices fortunæ haud semel expertum, relictis integris legionibus undeviginti, millibus equitum duodecim, in fuga præsidium accemque salutis collocasse. Milites certe desiderio et expectatione ejus, etiam postquam abisse eum pernotuit, per septem dies conditiones a Cæsare oblatas recusarunt: donec pro Antonio, quos diximus ab eo[3] missos affuerunt, maturari fugam præcipientes. Tum quidem mœstus et subiratus imperatori miles efferentem signa Canidium aliquantisper secutus, ubi castra sua, in quibus pauci remanserant, in potestate Cæsaris esse didicit, et Canidius, suos haud minus quam hostem metuens, nocturna fuga se proripuit, inops omnium, sine imperio, sine commeatu victori se citra prælium permisit. Neque major moles in recipiendis Antonii sociis fuit. Domum ab infelice prælio regressi, nihil moverunt postea, sed in fidem potestatemque Cæsaris, alii statim, quidam haud multo inde tempore se dediderunt. Dio. Vell. II. 85. Plut. Dio.

15. Cæsar victoria perquam clementer usus est, ingenione suo, an ut Antonium oneraret invidia eorum, quæ duo post Mutinensem atque Philippicam victoriam pec- Vell. II. 86.

3 *Ad eum* pro *ab eo* legebatur ante Crev.

Digitized by Google

Dio. caverant. Civitatibus[4] Græciæ, dein Asiæ pecunias
Pausan. IV. tantum imperavit, gentiumque concilia sustulit. Thuriatas, Messeniæ populum, Lacedæmoniis, quorum odio se-
Dio. cuti Antonium fuerant, subjecit. Tetrarchis atque regibus, præter Amyntam et Archelaum, quicquid oppidorum ab Antonio acceperant ademit. Philopatora Tarcondimoti
Strabo, XII. pp. 558. et 560. filium exuit regno. Idemque fatum Lycomedis fuit, Ponti Cappadocii partem obtinentis: et Alexandri, quem, ac-
Dio. cusato fratre Jamblicho, præmium accepisse regnum ejus[5] cognoverat ab Antonio, quem et mox in triumpho ductum interemit. Sed quæ sub Lycomede fuerant, Medio cuidam tribuit Cæsar, qui priusquam res prælio permitteretur, Mysis concitatis, bellum contra Antonianos susceperat. Cleoni quoque Gordiucomensi ob simile meritum
Strabo, XII. p. 574. Mysiæ concessæ partes, ut ex latrone regulus fieret, et Jovis Abretteni sacerdos, a quo aucta mox patria Julio-
Dio. polis appellationem accepit. Cydonios atque Lampæos,
Cellar. Geogr. Cretæ populos, quorum auxiliis erat usus, liberos esse
Anton. II. jussit, etiam restituta Lampe, quam belli turbo everterat.
Dio.

16. Adversus Romanos varie se gessit, alios pecunia, haud paucos etiam vita mulctando. Tamen et quibusdam ignovit, a quibus sæpe graviter læsus fuerat. Horum
Vell. facile principes, C. Sosius, cum L. Arruntii fide interim latuisset, postea enixis ejus precibus, et clementia Cæsaris
Dio. iram vincente, servatus est: M. Scaurum, Sex. Pompeii fratrem uterinum, destinatæ neci Mucia mater eripuit.
Sen. de Ben. II. 25. C. Furnius, patris impetrata salute, memorabili voce gratias egit: 'Hanc unam, Cæsar, habeo injuriam tuam. Effecisti ut viverem et morerer ingratus.'

Appian. Civ. IV. p. 618. 17. Hæc exempla lenitatis Marco[6] (nam nomen ejus, quæ Græcorum scriptorum negligentia est, aliud non reperi) fiduciam dederunt, pro Barbula, qui inter duces Antonii militaverat, deprecandi. Quam rem cum admodum anxie ac diligenter ageret; miratus Cæsar hominis solicitudinem, 'ecquod igitur ei tantum cum Barbula ami-

4 Additur in edd. ante Crev. vox *tamen*.
5 Tà *regnum ejus* ex Dione add. Crev. Deerant antea.
6 *Murco* et inf. *Murcus* pro *Marcus* edd. ante Crev. Ex Appian. emend. Crev.

Digitized by Google

citiæ jus esset,' interrogavit. Ibi Marcus, 'Quod inter homines sanctissime conservari interest, tuque probare etiam in hostibus consuevisti, fides me incitat, et referendæ pro meritis gratiæ desiderium. Tres sunt quibus omnia me debere arbitror; tibi, qui me numero proscriptorum exemisti; M. Agrippæ, cujus precibus exoratus es; et huic, cujus pro salute nunc solicitus sum. Nam is mihi patronum Agrippam paravit, et antea quoque fuit in me liberalis. Quippe clade Bruti captus, cum agnosci timerem, pro servo venii. Emit me Barbula, et industrium esse cernens, dispensatorem constituit. Deinde cum aliam in me indolem deprehendisset, id quod erat suspicatus, ut verum faterer, salute promissa, monuit. Contra ego latere adhuc sub hac persona cupiens, negare, obtestari, nomen, genus, et priores dominos fingere. Nec exemta Barbulæ suspicio est, Romamque proficiscens secum ire jussit, siquidem proscriptus essem, haudquaquam promte secuturum arbitratus. Ceterum bona mea fortuna factum est, ut quidam amicorum Barbulæ, qui salutandi eum causa ad portam processerant, me cognosceret, idque ei clam indicaret. Tum ille non prius acquievit, quam securitatem mihi tuo beneficio redderet.

Ovid. Trist. I. 4. 39. et I. 8. 25. Appian.

18. 'Ejusdem benignitatis occasio en iterum offertur tibi, Cæsar. Barbulæ inter Antonii præsidia deprehenso meam imitari solertiam placuit; servum finxit. A me dissimulante notitiam ejus, emtus est. Per te, Cæsar, fortunam tuam, tamque faventes ad omnia Deos, oro, aut salutem unius hujus capitis concede mihi, aut me una interfici jube. Tolerare dolorem non potero, si tam fuero infelix, ut, cui vitam debeo, servare nequeam. At vero tua me consolatur humanitas, quam sæpe alias, et modo adversus inimicissimos demonstrasti. Macte hac clementia quæ te in cœlum aliquando feret, et interim æquitate Deum præstabit, ut tam misericors victor, nec offendi debeas a quoquam, et, cum fueris offensus, semper possis ignoscere.' Non repulit tam honestas preces Cæsar; favitque exemplo, quod his etiam annalibus ab oblivione vindicandum existimavi. Additur apud Appianum, solum hujus gesti reliquum auctorem, id par amicorum una

Digitized by Google

quoque consules majores[d] fuisse. Ceterum inter magistratus eorum temporum, nullum, quod huc accommodari possit, collegium reperio.

Dio. 19. Inter hæc documenta mansuetudinis, etiam vindicta partes suas obiit, occiso inter clarissimos Curione, cujus pater pro Cæsare dictatore pugnans in Africa occubuit.

Vell. II. 86. Sed et alii quidam interfecti: excusantibus Cæsaris amicis, perisse bis meritos, qui hostilia ausi, ne deprecari quidem voluissent.[e] Sed inter omnes maxime miserabilis Aquiliorum exitus,[f] quibus cognomen Floris, fuit. Pater et filius erant, nec nisi uni Cæsar, sortiri jubens, vitam indulserat. Sed pietate filii se statim ad supplicium offerentis, et occisus ipse, nec servatus pater est. Namque suis manibus, præ dolore orbitatis, sibi conscivit necem.

Dio et Sueton. Aug. 13.

Dio. 20. Cæsar inter hæc, Antonianis militibus, qui nondum expleta stipendia habebant, suas in legiones distributis, et disjunctis per varia castra legionibus, veteranos Brundisium præmisit. Admonitus erat Sicula seditione, ne tantam vim militum eodem loco haberet. Etiam ad libertorum motus penitus sedandos, quartam iis pensionem,

[d] *Consules majores*] Intelligit Freinshemius consules ordinarios, qui Kal. Januariis inirent, et toti anno nomen darent. At dubitamus utrum Appiani verba hoc necessario significent. Τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν credimus simpliciter intelligi posse *consularem potestatem:* eam nempe potestatem, cujus est nomen anno dare. Quod si admittatur, jam irrita erit illa difficultas quæ Freinshemium moratur. Jam Marcus et Barbula potuerint simul esse consules, sed suffecti. Suffectorum autem consulum nomina omnia non habemus: pleraque a scriptoribus historiarum neglecta sunt. *Crev.*

[e] *Perisse bis meritos, qui hostilia ausi, ne deprecari quidem voluissent*] Non ea est Velleii mens, sed eos solos esse a Cæsare interemtos, qui tam graviter in eum peccassent, ut deprecari mortem ne auderent quidem. Verba vilissimi adulatoris hæc sunt: 'Victoria vero fuit clementissima: nec quisquam interemtus est, nisi paucissimi, et hi qui deprecari quidem pro se non sustinuissent.' *Crev.*

[f] *Aquiliorum exitus*] Suetonius hoc refert ad Philippensem victoriam: cui auctori libentius sane credimus, quam Dioni, cujus incuriam jam aliquoties notare coacti sumus. Atque præter hujus auctoritatis pondus, talis immanitas jubentis sortiri patrem et filium inter se uter interficeretur, magis sapit Philippense tempus, quo Cæsar sanguine se et cædibus immaniter satiavit, quam Actiacam victoriam, quæ longe clementior fuit. Freinshemius id factum supra jam Suetonii verbis memoravit, CXXIV. 30. *Crev.*

Digitized by Google

quæ adhuc ex imperata pecunia debebatur, remisit. Et hi quidem datorum haud ultra memores, retentam partem in lucro hilares computabant. Militum vero qui adhuc sub signis agebant, diligentia tribunorum, et spe Ægyptiæ prædæ quiescebant: dimissi post victoriam sine præmio stomachabantur. Quæ indignatio cum non multo post in seditionem erupisset, non tamen imparatum Cæsarem nacta est. Nam is provisu futurorum Agrippam per causam aliorum negotiorum in Italiam miserat; veritus ne Mæcenas, Urbis Italiæque præfectus, quoniam manebat in equestri loco, contemneretur. Tac. Ann. III. 30.

21. Ex omni cohorte amicorum duo hi præcipua apud eum gratia erant. His secreta ejus innitebantur; horum fidei tantum credebat, ut cum duas indiscretæ magnitudinis gemmas insculpta sphingis imagine haberet, altera signaret ipse, alteram penes hos relinqueret, ut per absentiam suam, quæ postulassent tempora, epistolæ et edicta ejus nomine proponenda signarentur. Ad hos aut alios si quid occultiorum literarum daret, ridenda nunc pueris calliditate, pro unaquaque litera, quam volebat legi, sequentem ponere solebat. Ipsius autem epistolas ad senatum scriptas aperiebant illi, et, mutatis quæ volebant, iterum obsignatas reddebant. Unde cum pro diversitate temporum sæpe variaret oratio, communiter jactari cœpit, 'Sphingem afferre ænigmata.' Neque minus aut nota per Italiam, aut propter collationem pecuniarum, quam frequenter imperabat, terribilis erat Mæcenatis rana. Nec tam, quomodo signata edicta essent, quam quid juberent, referebat. Tamen Cæsar, cavillationes non ferens, postmodum imagine sua signare instituit. Quod et sequentes imperatores fecerunt, Galba excepto, qui gentilitium insigne retinuit, e prora navis prospectantem canem.

Dio. Plin. XXXVII. 1. Sueton. Aug. 50. et Dio. Sueton. Aug. 88. et Dio. Plin. Sueton. Aug. 50. Dio.

22. Dimisso in Italiam Agrippa, Cæsar, velut ista cura exsolutus, Græciam obiens civitates ordinabat; frumentum quod bello supererat, afflictis exhaustisque distribuebat; sacra fanaque visebat. Etiam initiatus est Cereris et Proserpinæ Eleusiniis. Inde cum in Asiam transmisisset, certiora de Antonio cogniturus, audito ve-

Plut. Dio. Sueton. Aug. 93. Dio.

Digitized by Google

Plut. Sueton. Aug. 17. Dio. Pigh. Ann.

teranorum tumultu, et crebris Agrippæ literis revocatus, ne se procul amoto, si forte ducem idoneum essent adepti, magnas turbas darent, in Italiam redire, quanquam hyemante mari, constituit. Sed exacto interim anno, qui suffectos etiam consules, ex Kalendis Maii M. Titium, ex Kalendis Octobris Cn. Pompeium habuit; imperator Cæsar quartum consulatum iniit in Asia, cujus M. Licinium M. F. Crassum collegam habuit, quanquam ille Pompeianis, dein Antonianis in partibus, necdum prætor fuisset.*

Dio. Sueton. Aug. 26. Oros. VI. 19. Dio.

23. Illa quoque peregrinatio Cæsaris dignum relatu pietatis ac clementiæ exemplum habuit. Forte Sami dum captivos cognoscit Cæsar, Metellus adesse jussus, senex squalidus sordidatusque processit, qui inter duces Antonianos in potestatem venerat. Ad id nomen exsiliens filius ejus, qui tum in consilio sedebat, vix in ista illuvie agnitum patrem complexus, 'Hic,' inquit, 'Cæsar, hostis tibi paulo ante, ego miles fui. Non magis ille pœnam, quam ego præmium meriti sumus. Aut igitur me propter illum occidi jube, aut illum propter me vivere. Loquere tecum, oro quæsoque, et, utrum moribus tuis sit convenientius, judica.' Motis ad commiserationem omnibus, Cæsar, cum paulum addubitasset, infensissimum hominem, et nullis pollicitationibus ab Antonio abduci quitum, in filii gratiam venia prosecutus est.

Appian. Civ. IV. p. 613.

24. Antiquitus tres colossicæ statuæ in eadem basi Sami fuerant, quas abreptas nuper ab Antonio Cæsar inter spolia erat nactus. Ex his Herculem ac Minervam in eadem sede curavit reponendos: Jovem, qui postea in Capitolio stetit, imponi in navigium jussit. Idem et aliis civitatibus ademta ab Antonio signa reddenda curavit: et Ephesiis Apollinem, Myronis opus, somnio monitus.

Strab. XIV. p. 637. Strabo, XIII. p. 595. Plin. XXXIV. 8.

25. Adulta jam hyems erat. Sed nihil territus anni tempore Cæsar, quanquam bis inter trajiciendum tempestate conflictatus, semel inter Ætoliæ et Peloponnesi promontoria, iterum ad Ceraunios montes, amissis aliquot

Dio. Sueton. Aug. 17.

* A. U. C. 722. A. C. 30.

Digitized by Google

liburnicis, fracto navis suæ gubernaculo, fusisque armamentis, littus Italiæ tenuit. Jam præcesserat venientis fama. Idcirco Brundisii totum ferme senatum, totum equestrem ordinem, majorem partem plebis reperit. Neque magistratus remanserant domi, præter duos tribunos plebis, totidemque prætores, retentos senatusconsulto. Magnum quoque ex aliis urbibus agmen aderat, legatione fungentium, aut sponte accurrentes. Dio.

26. His igitur studiis omnium, et præsentia Cæsaris turbæ statim conticuerunt: ipsique adeo milites, alii vultu ac sermone imperatoris exterriti, quidam spe, pars evocati ad eum profecti sunt. Igitur levius expectatione negotium fuit. Pecunia, et omnium bellorum sociis agro insuper promisso, desideriis militum satisfactum. Pauci Italorum cum Antonio senserant. Horum ager et oppida militi distributa: ipsi Dyrrhachium, et Philippos, et alias urbes transmarinas trajecti. Nec omnibus repræsentari nummi potuerunt. Quanquam enim magnus pecuniæ modus postrema partus erat victoria, majoribus impensis exhauriebatur. Idcirco Cæsar suas et amicorum possessiones subhastavit, facta etiam potestate militibus ex his accipiendi quod deberetur. Nec emtum quicquam ab ullo, nec in solutum acceptum est. Quis enim esset ausus? Tamen ista species prætextum honestum differendæ solutioni præbuit, donec paulo post ex Ægyptia præda promissa præstarentur. Sed et legiones deinde alias aliis imperii partibus præsidio futuras, dicto audientes habuit. Tac. Ann. I. 42. Dio. Sueton. Dio. Oros.

27. His ita ordinatis, et his quos, venia data, extra Italiam manere jusserat, hoc interdicto exsolutis, urbanos qui ad ipsum non venissent, negligens, intra tricesimum diem, quam ex Græcia solverat, eodem rediit. Et, ne iterum flectendis promontoriis hyemem adversam experiretur, translatis per Isthmum navibus, tam rapido cursu vectus est, ut Cleopatræ ac Antonio simul discessisse ex Asia, et redisse nuntiaretur. Dio. Sueton. Dio.

28. Illi (quippe, quæ fuerit horum interim fortuna, quæve consilia, exponi maturum est) cum ad Parætonium pervenissent, quanquam invitis animis, in diversa cursum Plut. et Dio.

Digitized by Google

Plut. intenderant. Antonius in Libyam delatus, in solitudinem quandam se condidit, duobus stipantibus amicis, Lucilio, de cujus in Brutum eximia fide supra narravimus, et rhetore Græco Aristocrate. Sed Cleopatra, ne res novas allatus de clade rumor apud populos notæ levitatis excitaret, protinus in Ægyptum contendit, cum aurea puppe veloque purpureo, sicut exierat, coronatis etiam navibus, et perstrepentibus, ut lætis rebus solet, tibiis, mentita victoriam. Ast ubi se iterum tenere regni habenas rata est, multos principum, olim infensos sibi, et nunc cognitis quæ gesta ad Actium erant ferociores, interfecit; bona occisorum publicavit; viventium rapuit: ne Deorum quidem donariis abstinuit sacrilegas manus, olim assueta per Antonium ex fanis omnibus convasare, quicquid pretio aut opere æstimari audiverat. Inter hæc Antonius, missis ad Pinarium Scarpum, qui adventum suum nuntiarent, postquam neque se recipi, et a Pinario cum nuntios suos interfectos, tum quosdam militum ægre rem ferentium, cognovit, vix prohiberi per amicos potuit, ne sibi violentas inferret manus. Ab his raptus, et in navem impositus, Alexandriam pervenit. Pinarius Cyrenen, quam tenebat cum legionibus quatuor, Cn. Cornelio Gallo (hic erat a Cæsare præmissus) contradidit.

Supra, CXXIV. 22. Plut. Dio. Plut. Flor. IV. 11. Plin. XIX. 1. Dio. Strabo, XIII. p. 595. Dio. Plut. Dio. Oros. VI. 19.

29. At Cleopatra, quo Medi regis amicitiam grato pignore obligaret, Artavasdis ei caput misit, qui nuper in Armenia discors Medo regnaverat. Deinde ingens opus aggressa, per isthmum, quo Mare Rubrum ab Ægyptio discriminatur, transportare naves cœperat, ut, impositis militibus et pecunia, sedem quietam alio in orbe quæreret. Sed incensæ a Petræis Arabibus naves, Antoniusque talia molienti superveniens cum spe salvas adhuc sibi pedestres copias esse, consilium mutare coëgerunt: Nilique potius ostia firmis communiri præsidiis placuit. Jam ad bellum terra marique gerendum apparatibus strepebant omnia: vicini quoque populi et reges in auxilium solicitabantur, neque penitus interquiescebant fugæ consilia, quominus nunc de Rubro Mari, nunc de Hispania cogitaretur; quam partim vi, partim pecunia superabi-

Dio. Strabo, XI. p. 532. Dio. Plut. Dio. Flor. Oros. Plut. Dio.

Digitized by Google

lem imaginabantur. Hæc consilia quo diutissime laterent, simul etiam periculum strueretur Cæsari, miserunt qui, per causam tentandarum conditionum, copias ejus corrumperent.

30. Dum hi redeunt, Antonius minime præsentibus lætus, et ex crimine desciscentium amicorum, etiam manentibus iniquior, urbe atque frequentia relicta, jacto juxta Pharum in mare aggeri domunculam imposuit, ibi se Timonis acturum vitam professus, cui omnes homines odio fuisse dicuntur. Ideo Cleopatra, per absentiam ejus aurea sella sceptroque et corona, tanquam seque regnumque dedens, ad Cæsarem missis, ab hoc sibi veniam clam Antonio comparabat. Sed ille, donis reginæ omnia causa retentis, palam minatus, armaque et regnum deponere jubens, occultis promissis spem faciebat mulieri, 'fore ut integrum ei regnum relinqueretur, si quidem Antonium occidisset.' Inter hæc Canidius ipse, certissimus actorum nuntius, ad Antonium venit: simul et Herodem defecere, et alias omnes civitates regulosque auxilia negare allatum est. Hæc Q. Didio satagente fiebant, qui Syriam obtinens Antonii beneficio, nunc fortunam sequebatur. Idem et Arabibus incendendi regias naves auctor fuerat.

Plut. Strabo, xvii. p. 794. Plut. Dio. Plut. Dio.

31. His rebus sic immutatus est Antonii animus, ut magis hoc nuntio recreatus esse, quam perculsus videretur. Projectis enim cum spe simul curis, relicto Timonio suo, (sic enim appellaverat,) a Cleopatra in regiam receptus, civitatem in convivia et epulas, se in liberalitatem, intemperanter effudit. Causa utrique relatus in numerum virorum Cæsario, et virilis toga Antyllo data, quem ex Fulvia genuerat. Plus animi futurum Ægyptiis Romanisque putabant, si etiam post Antonium et Cleopatram ducibus non carituri viderentur. Id consilium rebus inutile, adolescentibus perniciosum fuit, tanquam viros objiciendo iræ odioque victoris, quos melius puerilis prætexta defendisset. Hoc tempore regina et Antonius collegium quod instituerant 'Inimitabilis Vitæ,' in aliud verterunt, quod 'Commorientium' vocavere, manente luxu: quem ductia in orbem conviviis cum amicis exercebant, in hoc ut com-

Plut. Dio et Plut. Dio. Plut.

Digitized by Google

morerentur nomina dantibus. At hic torpor nova subinde blandiente spe excussus est.

Dio. 32. Inter defectionem fere omnium qui per amicitiam Antonii Cleopatræve creverant, gladiatores destinatum voluptati spectaculorum sanguinem ad usum belli obtulerunt. Cyzici discebant, ad ludos triumphales, si vinceret Antonius, præparati. Sed ejus calamitate cognita, manu facta Ægyptum petere instituerunt, opem fessis rebus allaturi. Per omnia circum hostilia, (nam et Amyntas, et Tarcondimoti liberi, quos ex conjunctissimis amicis acerbissimos hostes Antonio et Cleopatræ fortuna fecerat, transeuntes infestaverunt) tamen non sine hostium damno repulsis omnibus, in Syriam enisi sunt. Ibi Didius eos excepit, intercluso Ægypti aditu arma simul pertinacibus, et præmia transituris ostentans. Illi neque minis perlici, nec promissis passi, Antonio assignificandum curant, 'si venire eo placeret, haud difficillimum conjunctis in Syria bellum fore.' Diu præstolati responsum, cum nec Antonius, nec ab eo quisquam compareret, perisse rati, sic quoque contanter Didio se permiserunt; pacti, 'ne postmodum in arena pugnarent, atque, dum eis de rebus certior fieret Cæsar, Daphne' (suburbium est Antiochiæ) 'ad habitandum sibi concederetur.' Sed hi deinde decepti a Valerio Messalla, cum se putarent militatum ad legiones mitti, dispersi varie, atque per occasionem interfecti sunt.

33. Antonius, ne in Syriam iret, sicuti constituerat, alia suscepta expeditione præpeditus, et illos perdidit, nec ad
Oros. Dio. Parætonium fuit felicior. Ea prima Ægypti civitas occurrit a Cyrenaica venientibus, quo se cum legionibus Pinarii contulisse Cornelium Gallum audierat. Ratus igitur suos modo milites, ad conspectum noti imperatoris novum sacramentum abjecturos, præsertim ubi validis instructum viribus vidissent, opinione sua difficiliora omnia invenit. Colloqui enim cupiens, obstrepentibus tubis exaudiri non potuit: et improvisa hostium eruptione detrimentum accepit: et cum ad Parætonium victoribus deditum classem admoveret, arte Galli superatus est.

34. Ille, proviso Antonii consilio, catenis noctu per

Digitized by Google

angustias portus sub aqua tensis, de cetero incustoditum reliquerat. Igitur invecti sine metu Antoniani, attractis per instrumenta præparata catenis, conclusas naves, et undique simul a terra marique et imminentibus ædificiis oppugnatas, tueri nequiverunt; cum incendio perirent aliæ, aliæ undis mergerentur.

35. Interim nec a legationibus cessatum. Postquam sine fructu prima reverterat, aliquamdiu consultatio tenuit, quis mitteretur, quando pauci supererant amicorum, et horum suspectam fidem perfidia transfugientium effecerat. Euphronius igitur delectus, filiorum Antonii præceptor. Per hunc, magna pecuniæ vi oblata, regnum liberis suis Cleopatra orabat: Antonius, dedito ad supplicium Turullio senatore, qui inter percussores superioris Cæsaris fuerat, eum necessitudinis et amicitiæ pristinæ admonuit: et mutuum amorem, seriaque et lusus communicata referens, ut sibi saltem Athenis, si in Ægypto nollet Cæsar, privatam agere vitam liceret, postulabat. Magis tamen pro Cleopatra, quam de semetipso solicitus, non recusabat mori, dum illi parceretur. Huic quoque legationi nihil respondit Cæsar. Sero tentari conditiones visæ. Turullium interfici jussit. Turullii mortem locus ubi periit, insigniorem fecit, quod ira Æsculapii tractus ad supplicium videretur. Quippe Actiaco bello præfectus Antonii ad naves fabricandas lucum Æsculapii in Co insula succiderat. Igitur eodem in luco occisus pœnas dedisse violato numini credebatur. Cum duæ jam legationes irritæ fuissent, Antyllum filium cum multo auro Antonius misit. Aurum acceptum: Antyllo non plus quam prioribus responsi datum.

Plut. Dio. Plut. Dio. Plut. Dio. Sueton. Aug. 17. Dio. Val. Max. l. I. 19. et Dio. Dio.

36. At Cleopatram quemadmodum semel iterumque minis atque pollicitationibus versaverat, ita tum quoque iisdem artibus aggressus Cæsar, Thyrsum ex libertis hominem non ineptum allegavit, qui correptum ejus amore Cæsarem mentitus, ad Antonii cædem impelleret mulierem impudicam, fiducia formæ multiplicibusque experimentis satis persuasam, se ab omnibus hominibus amari. Quippe, si vera fama est, tantæ libidinis hæc regina fuit, ut sæpe prostiterit; tantæ pulchritudinis, ut multi noctem ejus morte proposita emerint.

Plut. et Dio. Joseph. Antiq. xv. 5. Auct. de Vir. Ill. in Cleopat.

Digitized by Google

Dio. 37. Ceterum Cæsari major erat solicitudo, ne per desperationem seque et pretiosissima rerum triumpho suo
Plut. eriperet. Quippe jam a multis eam diebus nihil majore
Dio. Plut. cura agere cognorat, quam ut omnis generis venena experiretur. Inter quæ ferunt aspidem placuisse præ ceteris, quod aliis celerem mortem cum cruciatu afferentibus, aliis haud satis præsentibus, hujus serpentis morsu citra contractionem vultus, aut membrorum jactationem, torporem ictis obrepere viderat; eosque, deficientibus placide sensibus, si commoverentur, hoc non minus ægre ferre, ac
Dio. si ex profundo sopore essent excitati. Jam in regia conditorium sibi struxerat, eoque inferri ex opibus suis jusserat carissima, aurum, argentum, smaragdos, uniones, ebenum, ebur, odores, secum omnia crematurum præferens, si vel minimum fortuna titubasset. Id ne fieret, spem mulieris alere Thyrsus, et procul ab his cogitationibus abducere jussus erat.

Plut. 38. Hoc dum sedulo magis quam caute agit, longis ejus cum Cleopatra sermonibus, et hinc testificatione benevolentiæ, irritatus Antonius, arripi hominem jussit; et, quæ gravissima injuria haberetur, si cujus eam patronus intulisset, flagris cædi imperavit. Remisit eum deinde cum literis factam excusantibus, 'non mirum esse, si malis prope amentem insolentia et insultatio hominis liberti ad iram compulisset. Id si gravate ferat Cæsar, esse penes illum Hipparchum, suspensumque posse ad satietatem flagellari.' Hic inter Antonii libertos[e] in maxima gratia patroni fuerat: atque idem, rebus inclinatis, primus omnium transierat ad Cæsarem.

Joseph. Antiq. xv. 10. et de B. Jud. i. 15. 39. Dum ista geruntur, Herodes, Rhodum, ubi tum Cæsarem agere didicerat, trajecit, rerum suarum anxius. Igitur, licet reliquo retento cultu, diadema seposuerat. Ubi vero convenire Cæsarem datum, et dicendi copia facta, non pro magnitudine rerum quæ tum in discrimen veniebant, humiliter supplex, sed vultu ac voce intrepidus:

40. 'Si non modo cum Antonio bellum gerere decresti,

[e] *Hic inter Antonii libertos*] Filius Theophili, de quo supra, c. 13. *Crev.*

Digitized by Google

Cæsar, sed etiam cum his qui amicitiam Antonii cum fide colentes, nihil inexpertum reliquerunt, quo ille rerum potiretur; absolvi me vix posse satis intelligo. Quanquam enim, Arabum impediente motu, ad bellum cum eo profectus non sum, votis tamen pro eo steti: et, cum pecuniæ et commeatuum quem maximum modum poteram, mitterem, pauciora me facere, quam meritis ejus deberetur, existimavi. Unum inprimis non pro quolibet amico fecisse videor, quod etiam post Actiacam pugnam in illo transitu rerum immobilis steti, si non firmissimum socium, fidelem certe consiliarium Antonio servans. Cui si ille paruisset, sublata Cleopatra, et gessisset omnia melius, et facilius redisset tecum in gratiam. Hæc ego et frustra negem, multis argumentis atque testibus facillima deprehendi; et, si exitiosa mihi erunt, non erubescam adeo præclaram culpam, viroque bono dignam, apertissime confiteri. Sin vero me prius experiri cupis, jam non ignarus, quo sim erga bene meritos animo; nihil vetat, quin eandem fidem, quam hactenus Antonio præstiti, tibi posthac, quem fata dominum terris ostenderunt, constanter approbem.'

41. Plus apud grandem et magnificum Cæsaris animum hæc erectæ indolis index oratio valuit, quam si causam suam abjectissimis precibus egisset. Igitur licet non novum esset Cæsari, reges ipsi quotidiana officia togatos, ac sine regio insigni, clientium more præstare; resumere diadema jussus, eundem mox honoris gradum apud Cæsarem habuit, quem apud Antonium habuisset. Adjecit Cæsar etiam ab Didio perscriptum esse, sibi adversus gladiatores auxilia Herodis usui fuisse. Sueton. Aug. 60. Joseph.

42. Alexandro tamen Laodiceno ex familiaribus Antonii veniam impetrare non potuit, jusjurandum obtendente Cæsare, quo se obstrinxerat vindicaturum in Cleopatræ lenonem. Nam hic Alexander maxima reginæ machina ad ejiciendam Antonii animo sororem Cæsaris fuerat. Is nuper ab Antonio missus ad Herodis retinendum animum, ipse quoque exuerat fidem, Cæsaremque adierat, Herode deprecatore confisus. At Herodes multa Cæsari ejusque amicis dilargitus, ad Ægyptiacum bel- Plut. Joseph. Plut. Joseph.

Digitized by Google

lum proficiscenti comes fuit, donec in Syriam perventum. Inde ad res domi ordinandas in regnum recurrit. Cæsar interim per Syriam ducens exercitum, Alexandrum,
Plut. quem in vinculis adduxerat, in patria ipsius supplicio jussit affici.

Joseph. 43. Inde contendenti in Ægyptum circa Ptolemaidem Herodes occurrit cum amplissimis muneribus, etiam militibus necessaria hospitaliter præbens. Ipsum quoque Cæsarem cum amicis centum quinquaginta magnifico convivio excepit: et, quia per loca arida ducendum erat, ita providit, ut neque vinum, neque, qua magis erat opus, aqua exercitum deficeret. Discedens deinde Cæsari talenta octingenta[h] dono dedit: omnibusque rebus ita se gessit, ut, eum opes regni, quod tenebat, animi magnitudine multum exsuperare, æqui iniquique faterentur.

Plut. Dio. Oros. 44. Cæsar, ad Pelusium adducto exercitu, deditione Seleuci, quem præsidio regina præfecerat, oppidum cepit. Inde cum Alexandriam peteret, equitatus itinere fatigatus eruptione pulsus est Antonii, qui ad famam istarum rerum
Plut. motis a Parætonio castris, urbem intraverat. Ergo, uno hoc inter tot adversa prospere decertato certamine lætior, quam pro magnitudine gestæ rei, Cleopatram in armis complexus, commendavit ei quendam, qui præ ceteris fortissime illo die pugnaverat. Sed ille dono Cleopatræ loricam auream, et ex eodem metallo galeam nactus, cum his nocte
Dio. proxima ad Cæsarem transfugit. Contra suis adeo fidebat Cæsar, ut libellos in castra conjectos, quibus ad se transituris denarios mille quingentos[i] viritim Antonius pollicebatur, ipse recitaverit palam; et tempori congruentia locutus, etiam promtiores ab ira solicitatæ fidei ha-
Plut. buerit. Ideoque Antonius, postquam omnia tentanti nihil satis procedebat, ad singulare certamen Cæsarem provocavit. Ille deridens hominem, multas patere ad exitium vias morituro respondit.

[h] *Talenta octingenta*] Si talenta Attica intelligamus pro more solito, exurgent marcæ argenti 75000. *Crev.*

[i] *Denarios mille quingentos*] Marcas argenti 23. uncias 3. semunciam 1. *Crev.*

Digitized by Google

45. Sub hæc tempora semper obversante cogitatione extremorum, pridie quam terra marique Cæsarem adoriri statuerat, super cœnam jussisse servos fertur, invitarent se hilarius: 'perincertum enim esse, utrumne postridie eidem domino sint ministraturi.' Eadem nocte inter mœstitiam suspensorum et tristissima opperientium, subito cantus strepitusque per mediam urbem bacchantium auditus, deinde per obversam hosti portam magno tumultu exeuntium, curiosis talium conjectoribus persuasit excedere Deum, et ad hostes transire, quem præ ceteris Antonius, vitæ habitusque affectata similitudine, coluisset.

46. Prima deinde luce Kalendis Sextilibus, cum, eductis in collem quendam copiis, naves suas hostilibus obviam procedere vidisset, prælium futurum existimans, spectandi causa substitit. At illæ, postquam Cæsarianis appropinquarunt, salutantes ac resalutatæ illis se conjunxerunt, conversisque proris protinus una facta classis oppidum infesta petere visa est. Dum in his oculos animumque defixa habet, ecce autem et equites ab eo transfugerant. Properans igitur confligere, donec aliquid militum superesset, hic etiam adversante fortuna, se recepit in urbem, 'proditum se a Cleopatra iis ipsis' clamitans, 'contra quos bellum illius causa suscepisset.' Sane mulierem amari a Cæsare ratam, iterumque per imperatoris Romani connubium summa quæque sperantem, et Pelusium prodidisse creditum est, et Alexandrinos palam ad resistendum hortatam, occultis mandatis deterruisse, et classi auctorem extitisse transfugiendi.

Oros. Dio et Plut. Plut. Dio.

47. Ceterum priores suspiciones apud hominem credulum summi amoris demonstratione facile diluerat. Namque suo natali pro præsenti magis tempore, quam ex pristina consuetudine, acto, natalem Antonii magnificentissime celebravit, ut multi qui ad cœnam invitati pauperes accesserant, discessisse divites referantur. Seleuci etiam uxore et liberis ad supplicium Antonio deditis, Pelusiacum crimen extinxerat. Tum vero desperantem, et propinqua mortis expectatione nulli parsurum metuens, in monumento suo se conclusit, uno tantum eunucho dua-

Plut. Strabo, XVII. p. 795.

Digitized by Google

Flor. Oros. Dio. Plut. busque ancillis comitata: nec mora, perferendum ad Antonium curat, 'reginam vixisse.'

48. Hoc ictus ille nuntio, 'Quid ergo est,' inquit, 'cur moreris in vita miser, causa vivendi sublata?' Loricasque resolvens nexus, 'Non id mihi dolet,' ait, 'quod amisi te, Cleopatra; ecce enim sequor: sed quod in morte consciscenda tantus imperator a muliere prævenior.' Tunc conversus ad fidissimum servum, quem pridem jurare sibi coëgerat, 'mortem ei, simulatque jussus esset, acceleraturum,' promissa exegit. Ille gladium eductum alte vibrans, ictum quem Antonius expectabat, suo corpori intulit. Tum Antonius, 'Macte,' inquit, 'Eros, qui dominum ferire non sustinens, nihilominus, quid fieri oporteat, admonuisti.' Cum his dictis ventre percusso, lectulo se excipit: et quia se nondum mori sentiebat, orat præsentes, ut sibi commodarent manus. At illi protinus omnes diffugerunt.

Dio. Plut.

Flor. Oros. Strab. Dio. Vell. II. 87. Plut.

49. Dum ita se torquet et lamentatur, a Cleopatra scriba Diomedes affuit, deportaturus eum in mausoleum, ubi illa se incluserat. Quippe audito tumultu, quem Antonii desperatio exciverat, id quod erat conjiciens, ex fastigio sepulcri, quod nondum erat absolutum, prospexerat: sic comparata janua, ut semel clausa non posset iterum aperiri. Antonius, audito Cleopatram vivere, nam prospicientem ingenti clamore populus exceperat, ipse quoque colligere animum cœpit: et, multo sanguine profuso deficiens, tamen ardenter expetivit ad reginam deferri. Sublatus manibus servorum, deinde ab ipsa Cleopatra et ancillis, per funes, qui attrahendis saxis ibi defixi erant, in monumentum subductus est. Nihil eo spectaculo se vidisse miserabilius testati sunt, qui interfuerunt: cum tantæ modo vir majestatis, oppletus sanguine, semianimis attolleretur ab infirmis et pavidis mulierculis, manus tendens ad Cleopatram, et sublevando ejus labori frustra nisus assurgere. At illa manibus incumbens, et prono vultu, correptos funes vix ad se pertraxit; cohortante turba, quæ ante monumentum concurrerat, et vicem amborum solicita.

Dio.

Oros. Dio. Plut.

50. Ubi tandem deponi in stratum potuit, illa vestem

Digitized by Google

dilanians, faciemque et pectus percutiens, cruorem abstergebat, virum, dominum, imperatorem appellando: tam verisimili dolore, ut suorum oblita malorum illius miseratione videretur. Sunt qui tradant ipsam, non ignaram quantopere amaretur, ideo commentum de morte sua excogitasse, ut Antonium ad necem sibi inferendam compelleret. Sed quia postea quoque, licet multis Cæsaris amicorum promissis lactata, perseveravit mori; probabilior ea visa est narratio, quam sum executus. Antonio certe luctus iste solatium in extremis attulisse dicitur; postulatoque mero, sive urgente siti, sive quo celerius expiraret, hortatus est, 'uti, quantum citra turpitudinem posset, rationem haberet salutis suæ: atque ex omnibus amicis Cæsaris C. Proculeio maxime confideret. Se vero ne magis ob novissimum casum putaret deflendum esse, quam pro fortunato habendum, qui tanto tempore maximi imperii compos, postremo Romanus a Romano superatus esset.' Dio. Plut.

51. Jam in sinu Cleopatræ efflabat animam, cum idem ille Proculeius missu Cæsaris affuit. Nam inter trepidationem vulnerati exportatique Antonii, Dercetæus quidam, ex satellitum numero, pugionem cruentum ad Cæsarem detulerat, exposito quid accidisset. Aiunt Cæsarem ad nuntium non tenuisse lacrymas, recordatione priorum, et quot quantasque res hoc collega atque socio peregisset; amicis deinde convocatis recitasse literas, ostensurum, quam ad æqua sua postulata benignasque conditiones, semper ille contumaciter et absurde respondisset. Dio. Plut.

Digitized by Google

52. Proculeio mandarat Cæsar, daret operam, ut viva in potestatem veniret Cleopatra, thesauris timens, quos illa secum crematuram jactaverat; et ipsam cupiens in
Dio. triumpho ducere. Igitur nihil ei promittere statuerat, ne sibi faciendi, quod voluisset, adimeret potestatem servando pollicita, aut fide posthabita merito reprehenderetur.
Plut. At illa, diffidens omnibus, cum Proculeio per ostium firmiter occlusum, ut tamen percipi sermo posset, collocuta, regnum liberis suis petebat. Ille bonum habere jubens animum, et omnia Cæsaris humanitati permittere, locum interim diligenter contemplatus, imperatori renuntiavit. Ab hoc continuo missus est Cornelius Gallus; quo de industria producente sermonem, Proculeius cum duobus ministris, per fastigium ædificii, qua parte paulo ante receptus Antonius fuerat, scalis admotis ingressus, ad ostium, ubi cum Gallo colloquebatur Cleopatra, properavit. Sed ad vocem ancillæ, 'O te miseram, Cleopatra! viva ecce, viva deprehenderis!' sicam illa, qua cincta erat, haud impigre stringens, deferebat in pectus; cum complexus eam ambobus brachiis Proculeius, 'Bis,' inquit, 'iniqua es, Cleopatra, tibique et Cæsari: lætioris fortunæ vices tibi, mansuetudinis et clementiæ gloriam illi auferens.' Erepta deinde sica, vestibusque excussis, ne quid ad mortem sibi consciscendam aptum relinquerent, Epaphro-
Dio. Plut. dito eam tradiderunt; qui missus ad hoc a patrono fuerat, ut mollissime et blandissime habitam, summa diligentia
Dio. custodiret. Dum ad hunc modum regina corripitur, eunuchus ejus, aspidis irritatæ morsu fatum citans, in foveam ante ad hoc præparatam se dimisit.

Plut. 53. Post hæc ingressus est Alexandriam Cæsar, Areum philosophum indidem manu tenens, sermonesque cum eo serens; quo majorem illi apud cives suos auctoritatem statim ab hoc conspectu conciliaret. In gymnasio tribu-
Dio. Plut. nal erigi jusserat: eo conscenso, Græca oratione, quo intelligi ab omnibus posset, Alexandrinos humi stratos, et
Dio et Plut. veniam suppliciter orantes, exsurgere jussit: 'se enim universos noxa liberare tres ob causas: quod Alexandrum conditorem urbs habuisset; quod esset ipsa maxima ac pulcherrima; postremo, quod Areum, tam carum sibi caput, produxisset.'

Digitized by Google

54. Antyllus deinde jussu Cæsaris statim interfectus: nec profuit, quod filiam ejus desponderat olim, et in delubrum Cæsaris confugerat. Id Cæsari priori tanquam Heroi a Cleopatra structum, sub Cæsarei nomine diu postea superfuit, donec post octingentesimum a Christo nato annum,[k] fortuito incendio conflagraret. Theodorus, pædagogus ejus, idemque proditor, cum detractam occiso pretiosam gemmam vesti suæ insuisse post inficiationem convictus esset, in crucem actus pœnas perfidi avarique animi dedit. Neque amantior Cæsarioni pædagogus contigerat Rhodon, qui eum, ut Cæsari traderet, revocari ab eo ad regnum fingens, ex Æthiopia, per quam a matre cum magno auri pondere in Indiam mittebatur, retraxit. Antonium interea multis regibus atque ducibus funerare cupientibus, non permisit Cæsar, Cleopatræ qualecumque solatium servans: illaque suis eum manibus regali sumtu, nihil prohibente Cæsare, sepeliit.

Dio. Plut. Oros. Sueton. Aug. 63. et 17. Dio. Plut. Dio et Plut. Plut. Dio et Plut.

55. Tot doloribus confecta, luctuque, et exulcerato contusoque frequentibus plagis pectore, cum in febrim incidisset, per causam ejus morbi cibo abstinere cœpit, inedia mori cupiens; sicut familiaris ejus medicus Olympius, qui tum ægrotanti affuit, scriptum reliquit in commentario, quem postea de rebus istis edidit. Sed interpellata solicitudine Cæsaris, iramque ejus, ne forte in liberos expeteret, metuens, curam corporis intermissam aliquamdiu resumsit. Cum deinde Cæsaris colloquium exposceret, quo magis inciperet confidere, ad illam se dixit iturum. Ad conspectum ingredientis erubescens, e thoro minime comto, in simplici tunica exsiluit, projecitque se ad pedes ejus, dominum salutando, quod ei nomen Dii tribuissent. Ille reponere se in lectulum jubens, juxta assedit, excusationemque tentanti, et in vim et metum Antonii factorum culpam conjicienti, sic respondit, ut, omissa defensione, tota se ad preces converteret.

Plut. Dio. Plut. Dio. Plut.

56. Multas variasque prioris Cæsaris imagines eodem in cubiculo dispositas habebat: ad has manus tendens, patris memoria propitiare victorem conabatur; voces

Dio.

[k] *Donec post octingentesimum a Christo nato annum*] Hoc unde sumserit Freinshemius, incompertum nobis est. *Crev.*

Digitized by Google

etiam interjiciens, ad misericordiam provocandam, et, si
Flor. Plut. posset, amorem, comparatas. Quanquam enim, ut in profundo luctu, neglecto capillo, facie sordidata, corpore vibicibus deformi, rubentibus tumidisque multo fletu oculis erat; attamen nativa ejus gratia, non pauca sui vestigia, tanquam inter nubem radios, emittebat. Inter hæc et
Dio. voces jaciebat fractas perplexasque, Cæsaris etiam literis adhibitis, e quibus multas amatorum delicias legens, exosculabatur tabellas, imagines adorabat, semetipsam modo deflebat, quod non ante illum esset mortua; modo respiciens ad adolescentem, sibi gratulabatur, quod in hoc saltem redivivum Cæsarem contueretur. Adversum artes minime improvisas certum Cæsari erat tenere affectum,
Flor. Dio. et animum firmiter occludere. Igitur, dejectis in terram oculis, nihil de amore jam, nihil de regno, sed tantum, ut bono esset animo, respondit, nihil passura.

Plut. 57. Tum illa commentarium ei porrexit, thesaurorum pecuniæque descriptionem et summas continentem. Forte Seleucus aderat, unus procuratorum ejus. Hunc occultari quædam arguentem, in capillum involans, cum multis plagis contudisset; subridenti Cæsari et intercedenti, 'Quid mirum est,' ait, 'indigne me ferre, quando hic contemtui habet, quam tu tali in tempore dignatus es invisere? Si quid de muliebri mundo seposui, non mihi
Dio. Plut. servabam, sed ut munera inde Liviæ Octaviæque darem pro me deprecaturis.' Non offensus his Cæsar, in quibus elucere cupiditatem vitæ existimabat, et hæc se concessurum ei, et alia quam plurima confirmavit. Magnopere
Dio et Plut. enim timebat, ne se interficeret illa, sibique maximum triumphi ornamentum eriperet. At illam se decepisse putans, deceptus ipse est.

Plut. 58. Inter nobilissimos amicorum Cornelium Dolabellam adduxerat Cæsar. Is reginæ studiosus hoc ab se roganti officium clam significandum curavit, 'Imperatorem per Syriam reverti constituisse: ipsam cum liberis proximo triduo mari præmissurum in Italiam.' Hinc plane con-
Flor. jiciens triumpho se destinari, quod vel multis mortibus
Hor. I. Carm. 37. intolerabilius credebat, decrevit antevertere. Igitur, con-
Plut. stituto secum tempore ac modo exitus, et occultissime

Digitized by Google

præparatis ministris, oravit Cæsarem, ut bona cum ejus gratia parentare Antonio sineretur: acceptaque venia, ad tumulum cum domesticis mulieribus perrexit. Ibi prostrata super sepulcrum, 'Paucis ante diebus,' ait, 'captiva his te manibus tumulavi, care Antoni: nunc etiam parento, ne luctu quidem et planctu satis libero, quando custodibus appositis alieno jam corpori detrimentum inferre prohibeor. Nec ultra quid expectaveris a Cleopatra tua, quæ mox imperio victoris abducetur. Ergo quos in vita distrahere nulla vis potuit, eos in morte disjungi placuit Diis; et sic permutari sepulcra, ut tu Romanus in Ægypto jaceas, me infelicem Itala tellus contegat! At tu, siquidem ista numina placatoria nostratibus habes, ne desere conjugem tuam, neque in his calamitatibus vivere, aut in illa te triumphari patere: quin ereptam his malis etiam sepulcro junge tecum. Nunquam enim acerbiorem vitam egi, quam post istos dies, quibus te careo.'

59. His editis lamentis, postquam coronas et oscula tulit tumulo, balneum parari jussit, lotaque magnifice epulata est. Sub id tempus quidam ex agris cophinum afferens, percontantibus quid portaret, dimotis foliis ficus ostendit: quarum magnitudinem et elegantiam mirantes, sumere ille, si quid placeret, jubens, citra suspicionem intromissus est. Tum Cleopatra, quo Epaphroditum amoveret, vigilantissimum vitæ suæ custodem, literas ei dedit obsignatas, perferendas ad Cæsarem, quibus enixissime rogabat ut se juberet cum Antonio sepeliri. Dio. Flor.. Plut.

60. His inspectis, statim intellecto quid ageretur Cæsar, ipse statuit accurrere; mox, mutato consilio, propere visuros mittit. Illi, reseratis foribus, transacta omnia repererunt. Jacebat in pretiosissima veste regioque cultu Cleopatra, in aureo differtoque odoribus solio: juxta pedes humi stratum corpus erat Iradis, alterius ancillarum: (nam ceteram omnem multitudinem expulerat:) altera jam vicina morte titubans, tamen adhuc diadema dominæ componebat. Ibi per iram dicenti cuidam, 'Pulchra ne tibi hæc videntur, Charmium?' 'Pulchra,' Dio. Plut.. Flor. Plut..

Digitized by Google

inquit, ‘ illa profecto, ac tot regum sanguine digna.’ Neque plura locuta, juxta lectum heræ concidit. Aspidis morsu perisse Cleopatram, quæ inter ficus illata fuerit, constantior fama tenuit: et credidisse hoc Cæsarem monstravit in triumpho prælata reginæ effigies cum admota ad brachium aspide: alii venenum in acu habuisse putarunt. Maculam vero in corpore nullam, aut aliud veneni signum comparuisse satis constat. Cæsarem nuntiata mors tam velox perculit, ivitque ipse, et adhiberi a medicis remedia imperavit. Psyllos quin etiam admovit, qui venenum exsugerent. Cum nihil proficeretur, miratus animum mulieris, uti petierat, juxta suum collocari Antonium, et fastigium, quod mausoleo deerat, perfici jussit. Etiam ancillis honorifica sepultura data.

Dio. Plut. Flor. Eutrop. Vell. II. 87. Sueton. Aug. 12. Galen. de Theriac. l. I. c. 8. Oros. Strabo, XVII. p. 795. Hor. I. Carm. 37. Virg. Æn. VIII. 697. Plut. Dio. Sueton. Oros. Dio. Plut. Dio. Sueton. Plut.

61. Sic illa magnis et virtutibus et vitiis celebrata Cleopatra, successorum Alexandri potentiam suo casu finiit, undequadragesimo ætatis anno. Regnavit domi duos et viginti: ex quibus amplius quatuordecim per Antonium in reges ipsos plurimasque nationes imperium tenuit. Antonio nonnulli tres et quinquaginta tribuunt annos vitæ: alii triennium ad numerum adjecerunt. Cujus de ingenio fortunaque, quarum rerum nescias utra fuerit mutabilior, post tot utriusque documenta relata, disserere quid attinet? Imagines ejus statuæque detractæ sunt et abolitæ; Cleopatræ manserunt, redemtæ, ut ferunt, ab Archibio quodam mille talentis.[1] Is inter amicos reginæ fuerat, caritatemque bene de se meritæ, quod bonis ingeniis solitum, post mortem ejus retinebat.

62. Ceterum mors Cleopatræ Cæsarioni quoque exitio fuit. Aiunt ab Areo impulsum esse Cæsarem, qui ad notam principis poëtæ sententiam alludendo,[7] [m] ‘ minime utilem esse Polycæsariem’ dixerit. Ego monitore nihil indiguisse crediderim, ad tollendum, qui Cæsare dictatore genitus esse prædicaretur.

7 *Adducendo* edd. ante Crev.

[1] *Mille talentis*] Marcis argenti 93750. *Crev.*

[m] *Ad notam principis poëtæ sententiam alludendo*] Versus Homericus Il. II. 204. omnibus notus est, Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Unde Areus, Οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη. *Crev.*

Digitized by Google

63. Ceteris autem Antonii liberis, etiam quos ex Cleopatra sustulerat, non pepercit modo, sed omnem benevolentiam favoremque præstitit, ut felicior in posteris fuisse Antonius, quam in vita videatur. Nam præter alios summæ potentiæ gloriæque viros, etiam pronepos ejus, deinde nepos,[a] imperium populi Romani obtinuerunt. Sed omnem suam felicitatem Octaviæ præcipue debuerunt; quæ ingratissimi viri liberos, non educavit modo materna cura, sed etiam apud fratrem fovit atque promovit. Fuit enim egregium matronalis virtutis exemplum Octavia: unde et fratri carissima fuit, et apud externos etiam in tanto honore, ut Corinthii quidem ei templum exædificasse legantur. Hac igitur faciente, Cæsar Cleopatram, ex Ægyptia regina genitam Antonio, in matrimonium elegantissimo regum omnium Jubæ tradidit, quem educatum in Italia, suamque militiam secutum, patrio regno donavit: eique fratrum Cleopatræ Ptolemæi atque Alexandri concessit incolumitatem. At puellis duabus, quas ex Octavia susceperat Antonius, paternorum bonorum partem attribuit. Filio Fulviæ Iulo Antonio libertos patris repræsentare coëgit, quantum quisque relinquere ei moriens secundum leges debuisset. Sed horum pleraque, postquam Ægypto decesserat, facta sunt.

Sueton. Plut. Paus. II. Dio et Plut. Dio.

64. Tum vero ex adversarum partium ducibus P. Canidium infestissimum sibi, sed nec Antonio satis fidum, interfici jussit: qui timidius excepisse mortem traditur, quam viro militari conveniret. Cassius etiam Parmensis, elegantis homo ingenii, qui solus percussorum Cæsaris superabat, pœnas dedit. Alii post Actiacum prælium Athenis, quo confugerit, interfectum tradiderunt. In Ægypto etiam Q. Ovinius supplicio affectus, quod senator populi Romani lanificio reginæ præfici sustinuerat. Ex magna deinde multitudine regiorum liberorum, quos obsidum loco

Oros. Vell. II. 87. Hor. Sat. I. 10. et Ep. I. 4. Val. Max. I. 7. Oros. Dio.

[a] *Etiam pronepos ejus, deinde nepos*] Pronepos, Caius Cæsar, vulgo dictus Caligula, ex Germanico patre nepos Antoniæ minoris, Antonii et Octaviæ filiæ. Nepos Antonii, Claudius, ejusdem Antoniæ filius. His jungi debet Nero, abnepos Antonii ex Agrippina matre, sorore Caligulæ; pronepos ejusdem Antonii ex Domitio patre, qui matrem habuit Antoniam majorem. *Crev.*

Digitized by Google

missos a parentibus, aut libidinis causa evocatos ab Antonio reperit, alios remisit domum, Jotapen patri Medorum regi, qui post Antonium victum ad se transfugerat, ultro reddidit: quosdam inter se junxit matrimonio: nonnullos retinuit. In quibus Artaxiæ fratres, quanquam petenti, non remisit; quod ille Romanos, qui post Antonii expeditionem remanserant in Armenia, jugularat.

Dio et Sueton. Aug. 18.

65. Corpus Alexandri Magni videre inter hæc concupivit, idque contrectatum, ita ut particulam nasi frangeret, corona imposita, floribusque aspersis honoravit.

Leo Afer, l. VIII.

Nec prætermittendum, ejus regis monumentum tot sæculis venerabile, hodie etiam extare inter medias oppidi ruinas, et a Muhammedanæ superstitionis cultoribus, magna religione, non solum ut regis, sed et prophetæ maximi sepulcrum visitari.

Dio et Sueton.

Digressus ab hoc Cæsar, Alexandrinis ad invisenda Ptolemaicorum regum conditoria studiose invitantibus, respondisse traditur; 'Regem videre voluisse, non mortuos.'

Dio.

Apin etiam aspicere supersedit, 'Deos a se, non vero boves adorari' solere dicens.

Euseb. Chron. Dio. Sueton. Aug. 66. Strabo, XVII.p.819. Eutrop. Tac. Hist. I. 11. Dio. Tac. Ann. II. 59. Strabo, XVII.p.797.

66. Conversus deinde ad res Ægypti ordinandas, quam, imposito stipendio, in provinciæ formam redigere decrerat, Cn. Cornelium Gallum ex infima fortuna productum, præfecti nomine, sed ad similitudinem imperii proconsularis, imposuit, equestris loci virum: quia propter multitudinem hominum ac oppidorum, fertilitatemque soli et situs opportunitatem, metuebat eam majoris dignitatis homini credere. Unde et senatores equitesque Romanos illustres Ægyptum intrare, nisi permissu, vetuit. Sub hoc præfecto juridicus Alexandriæ fuit, apud quem pleraque judicia agebantur: itemque Rationalis Cæsaris, qui bona vacantia, et quicquid in fiscum imperatoris oportet redigi, curabat. His omnibus liberti Cæsaris, atque procuratores, diversis officiorum titulis apparebant.

67. Præsidium militare, unam in urbe legionem, duas in agris collocavit. Præterea tres Romanæ cohortes seorsim Alexandriæ excubabant, tres ad Syenen et Æthiopiæ fines: totidem per alias regiones. Erant et equitum alæ tres, idoneis locis et ipsæ dispositæ. Et quo magis mobilitas gentis constringeretur, non modo in senatum

Digitized by Google

Romæ legere Alexandrinos,° sed ne Alexandriæ quidem senatum esse voluit; cum ceteras urbes more patrio administrari pateretur. Sed erat quidam appellatus 'Exegetes,' cui necessitates urbis curandæ mandabantur, et inter alios honores gestare purpuram permissum erat. Post hunc erat commentariensis, Hypomnematographum ipsi vocabant, et Archidicastes, quartusque prætor nocturnus. Sed hi magistratus etiam sub regibus fuerant. Romani præterea per provinciam et duces quosdam Nomarchasque et Ethnarchas constituerunt, sed non maxima hos omnes potestate. Dio. Strabo. Nov. XIII. Strabo.

68. Hanc mutationem rerum Ægyptii portendisse Deos credebant, pluvia sanguinis effusa his locis, quibus ne gutta quidem aquæ cecidisse cœlo existimaretur. Accesserunt arma simul conspecta in nubibus,[8] exauditusque tympanorum et cymbalorum sonus, et qualis fistularum ac tubarum concentu excitatur. Draco etiam subito apparuit immane sibilans: et cometæ in cœlo, humi mortuorum spectra visa. Statuarum etiam et imaginum mœstus aspectus est notatus, et Apis cum lamentabili mugitu lacrymas fundens. Dio.

69. Ceterum hæc victoria non opulentissimum modo regnum Romano adjecit imperio, cujus e vectigalibus tantundem ferme rediret ad ærarium, quantum a patre Cæsare devicta Gallia præstabat; verum etiam in præsentia copiosissimis spoliis locupletavit Cæsarem. Nam præter vetustas divitias, quicquid nuper Cleopatra corraserat, in thesauris repertum. Præterea quibus objici quicquam potuerat, bonis exuti; etiam ceteri conferre bessem jussi omnium facultatum, ita ditavere victorem, ut quicquid omnibus usquam militibus debebat, inde persol- Vell. II. 39. Dio.

8 *Navibus* edd. ante Crev.

° *Non modo in senatum Romæ legere Alexandrinos*] De legendis in senatum Romanum Alexandrinis, Cæsar profecto ne somniavit quidem, cum tunc nullus extra Italiam populus jus Romanæ civitatis haberet. Primi externi in senatum lecti sunt Ædui a Claudio principe, teste Tac. XI. Annal. 25. Id itaque non opus fuit vetare Cæsarem, quod ne in mentem quidem cuiquam tunc temporis venire poterat. *Crev.*

Digitized by Google

veret; et his insuper quorum hoc bello usus opera erat, ducenos quinquagenos denarios[p] divideret, quo direptio urbis averteretur. Grandes etiam summas acceperat mutuo. Ea omnia hinc expuncta debita, et senatoribus ac equitibus victoriæ sociis ingentia dona data: superfuitque unde et ærarium augeretur, et multa passim delubra novis donariis nitescerent.

Sueton. Aug. 18. Strabo, XVII. p. 795. Dio.

70. Quo autem hujus etiam victoriæ celebratior in posterum memoria foret, et in Ægypto Nicopolin Cæsar in loco pugnæ struxit, ludis etiam ad similitudinem Actiacorum constitutis. Et, quo habilior uberiorque ad annonam Urbis sustentandam Ægyptus fieret, fossas Nili, quas ad irrigandos agros antiquissimi reges duxerant, vetustate oblimatas, labore militum aperuit: novasque locis quibusdam adjecit. Hac cura effectum, ut Urbi annua ducenties centena millia modiorum[q] frumenti inferrentur: quæ summa ferme populum Romanum alere quatuor anni mensibus poterat. Sed nullo magis Ægyptiarum opum Romanis infusa rebus magnitudo patuit, quam quod fœnus ad trientem recidit:[r] possessionum aliarumque rerum venalium pretium, propter abundantiam pecuniæ, duplicatum est.

Just. II. 1. Sueton. et Dio. P. Vict. Joseph. de B. Jud. II. 16. Sueton. Aug. 41. Dio. Oros. VI. 19.

71. Constitutis hunc ad modum Ægypti rebus, Cæsar, per Syriam, Herode Antiochiam deducente, profectus, Asiæ hyberna petiit, provinciæ negotia componendo, simul et Parthicis rebus intendens animum. Nam illud etiam imperium civilibus bellis lacerabatur, his causis. Phrahates[s] crudelissimus ingenio, et post victoriam Ro-

Dio. Joseph. Antiq. XV. 11. Dio. Just. XLII. 5. et Dio.

[p] *Ducenos quinquagenos denarios*] Marcas argenti 3. uncias 7. grossos 2. *Crev.*

[q] *Ducenties centena millia modiorum*] Modii Romani 20000000. æquantur modiis nostratibus 15416666. Ceterum Lipsius de Magnit. Rom. l. II. c. 10. suspicatur numerum hunc apud P. Victorem vitiosum esse, et retrahendum ad dimidium, sive centies centena modium millia. *Crev.*

[r] *Fœnus ad trientem recidit*] Cum prius pro centum denariis unus singulis mensibus, duodecim in annum penderentur, eo recidit res, ut tertia denarii pars singulis mensibus, quatuor in annum pro centenis penderentur. Usura erat centesima, ut loquebantur Romani, tum ad trientem recidit. Verba Dionis sunt, τότε δανείσματα ἀγαπητῶς ἐπὶ δραχμῇ πρότερον ὄντα, τότε ἐπὶ τῷ τριτημορίῳ αὐτῆς γένεσθαι. *Crev.*

[s] *Phrahates*] De Phrahate vid. supra CXXVIII. 26. et 35. *Crev.*

Digitized by Google

manam ferocior, a popularibus in exilium actus, auxilio Scytharum cum Tiridate, quem Parthi regem constituerant, bellum gerebat. Utrique socia Cæsaris arma optarunt: sed excusatione rerum Ægyptiacarum usus, præpotentem gentem atteri civilibus armis malebat. Interea Phrahates, missis ad Cæsarem legatis, 'in Syriam profugisse cum magna manu Tiridaten servum suum, abrepto simul filio suo minimo natu, quem negligentius custoditum rapuisset,' significat: remitti utrumque postulans. Cæsar, benigne exceptis barbaris, Tiridaten nullo auxilio juvit. Ceterum neque dedit eum; et filium Phrahatis ab illo muneris loco acceptum Romam secum deportare constituit, obsidis loco habiturus.

72. Inter hæc, unde minime timeri debuisset, gravis orta conspiratio quieta Mæcenatis industria Romæ opprimitur. M. Lepidus juvenis, multis irarum in Cæsarem causis, a quo remotum a republica patrem, eversum avunculum Brutum, nunc etiam socerum Antonium[t] sublatum dolebat, perniciem ei, simul in Urbem redisset, machinabatur. Hujus consilia dissimulanter speculatus Mæcenas, qui tum ad custodiam Urbis redierat, tam tempestive, tamque nulla reipublicæ perturbatione oppressit, ut, capite conjurationis sublato, maximi belli semina in ipso ortu suffocarentur. Servilia Lepidi uxor cum superesse viro non sustineret, et diligenti familiarium custodia, nihil adipisci mortiferum posset, prunis ardentibus devoratis, vita abiit.

Liv. Epit. Vell. II. 88. Sueton. Aug. 19. Dio, LIV. p. 360. Dio, XLIV. fin. Vell.

73. Neque reticendum suffectos hoc anno consules fuisse, ex Kalendis Juliis C. Antistium, ex Idibus Septembribus M. Tullium, ex Kalendis Novembribus L. Sænium, non historiæ tantum causa, sed ut mira quædam his temporibus conversio fortunæ notetur. Tullio consule, cujus patrem Ciceronem Antonius proscripserat, cum Antonii nuntiata mors esset, iisdem Idibus, quibus Cicero magistratum iniit, senatusconsulta facta sunt, 'ut Antonii sta-

Pigh. Ann. Plin. XXII. 6. Pigh. Plut. Cic. fin. et Appian. Civ. IV. p. 619. et Dio, LI.

[t] *Socerum Antonium*] Antonius Lepido juveni filiam suam collocarat, teste Dione, XLIV. Sed illa nimirum aut obierat, aut a viro quacumque de causa discesserat. Infra enim hoc ipso capite uxor hujus Lepidi vocatur Servilia. *Crev.*

Digitized by Google

tuæ detraherentur, honores abolerentur, dies natalis nefastus esset, nemo postea gentis Antoniæ Marci prænomen ferret.'

Appian. Civ. IV. p. 618.

74. Balbinus (id Sænio cognomen fuerit[u]) eadem proscriptione adductus in rerum omnium discrimen, tum in consulatu suo M. Lepidum ad pedes suos supplicem vidit, desperantem de filio, pro salute conjugis anxium. Nam eam quoque, tanquam consiliorum filii consciam, Mæcenas ream agebat: et, cum juvenem ad Cæsarem mittere constituisset, 'sexum imbecilliorem non esse vexaturum itinerum molestia' dicebat, 'modo vades Junia consuli dedisset, Cæsari eam, quandocumque postulasset, exhibitum iri.' Cum nemo reperiretur, Lepidus senex, quem nota segnities scelere excusabat, sæpius circa fores, deinde tribunal consulis excubans, cum ab apparitoribus repelleretur, vix ad hæc verba spatium aliquando nactus est: 'Meæ quidem innocentiæ testes qui dare possem locupletiores his, a quibus uxor et filius accusantur? Nec ego te proscripsi, et quibusdam, qui tum sunt proscripti, sum humilior. Tu vero instabilitatem humanæ sortis respice, consul, meque coram tribunali tuo stantem: et aut me vadem accipe pro uxore, aut una cum illa vinctum ad Cæsarem mitte.' Nec reticenda consulis humanitas. Tantæ mutationis misertus, vadimonium mulieri remisit.

Dio.

75. Sub hæc tempora, atque adeo jam ab Actiacæ victoriæ nuntio, sicut acerbe in Antonium, sic in Cæsarem honorifice multa decreta sunt: 'Triumphus de Cleopatra, arcus triumphalis Brundisii, et in foro Romano. Divi Julii quoque fanum exornari rostris captarum navium' placuit, 'aut columnis ex illo ære fusis; quinquennales haberi ludos in honorem imperatoris; diem natalis ejus, itemque nuntiatæ victoriæ, inter feriatos haberi.' Additum, 'ut in Urbem ingredienti Virgines Vestales, senatusque et populus Romanus cum conjugibus ac liberis occurrerent.' Jam supplicationes, et statuas,[9] alia-

9 *Statuæ* edd. ante Crev.

[u] *Id Sænio cognomen fuerit*] Ita conjicit ex rebus ipsis Freinshemius. Nam nec tabula marmorea apud Pigh. cognomen

que hoc genus prius etiam usurpata, referre putidum fuerit. Titulum inscriptum basi,[x] non ita pridem repertum Romæ, annotare non pigeat. SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS. IMP. CÆSARI. DIVI. JULI. F. COS. QUINCT. COS. DESIG. SEXT. IMP. SEPT. REPUBLICA. CONSERVATA. Hæc post Actiacum prælium decreta. Sigon. Comment. in Fast. Dio.

76. Postquam autem obisse Antonium innotuit, alius quoque de Ægyptiis triumphus decretus est, quia ne de illo triumpharet, nomini Romano parcebatur. Dies etiam Alexandriæ captæ relatus inter festos, et ab hac deinceps Ægyptii tempora sua computare jussi. Data insuper potestas ei tribunitia perpetua, sic ampliato jure, ut ad mille passus extra pomœrium appellari posset: jussique sacerdotes et Vestales, quoties vota pro senatu et populo susciperent, etiam pro Cæsare facere. Et, ne tempus ullum aut locus honorum ejus expers esset, inter alia quæ prætereo, ut in conviviis, nec publicis modo, sed privatis, ei libaretur, senatus censuit. Maxime delectabat homines, quod in scriniis Antonii repertas literas combussisse dicebatur. Quanquam plures callide servarat: quibus etiam postmodum, ubi opus putaret, uti non dubitavit. Eodem anno L. Statilius Taurus amphitheatrum in Campo suis impensis perfecit, et in ejus dedicatione munus gladiatorium exhibuit: novum inde honorem plebiscito adeptus, ut quotannis præturæ candidatum unum, sine repulsa creandum commendaret. Vid. Usser. Ann. ad ann. Mund. 3974. Dio. Hor. Carm. IV. 5. Dio, LII. fin. Sueton. Aug. 30. Dio, LI.

77. Kalendis deinde Januariis, quibus Cæsar Sami quintum consul, Romæ Sex. Apuleius Sex. F. inierunt,* in ejus acta juratum: et, quoniam de rebus Parthicis literæ ab eo venerant, decretum ut inter nomina Deorum Saliari carmine celebraretur: tribus ex ejus vocabulo fieret Julia: coronatus spectaret ludos: senatores, quibus adjutoribus bellum confecisset, currum triumphantis prætextati sequerentur: die introitus ejus populus Romanus sacrificaret; eaque deinceps quotannis festa esset: sa- Sueton. Aug. 26. Dio.

Balbini L. Sænio attribuit, nec Balbino Appianus nomen prænomenque L. Sænii. *Crev.*

x *Titulum inscriptum basi*] Titulus hic referendus est ad annum sequentem. Hoc enim anno Cæsar consul est quartum. *Crev.*

* A. U. C. 723. A. C. 29.

Digitized by Google

cerdotum omnia collegia, quem ad numerum ei videretur, augeret.' Hæc, paucis exceptis, admisit Cæsar, sacerdotiis quidem intemperanter dandis eo provectus, ut de numero illorum quicquam exinde certi nequeat reperiri: unum palam remisit, ut universi sibi obviam exirent.

Sueton. Aug. 31. Dio.

78. Omnium autem maximam lætitiam ei duo hæc attulerunt, quod de Jano claudendo, et Salutis augurio repetendo decretum erat. Hoc enim propter continua bella intermissum per annos quatuor et triginta fuerat:[7] Janus tantummodo bis antea clausus, Numa rege, deinde Punico primo perfecto bello. Tum vero imperator Cæsar tertium clausit, pace terra marique parta, conditisque civilibus armis, vicesimo, postquam mota fuerant, anno. Sane tum etiam in armis Treviri cum Germanis quibusdam erant, et in Hispania cum Cantabris Vaccæisque Astures; sed hos Statilius Taurus, illos Nonius Gallus haud sane memorabilibus præliis domuerunt. Alibi quoque secundum singulas nationes tumultuatum est: sed quia mediocres motus erant, neque patribus eorum causa bellum decernere visum fuit, etiam historiis hæc parum argumenti dederunt.

Sueton. Aug. 22. et 31. Dio.

Liv. I. 19. Plut. Num. Virg. Æn. I. 297. Oros. VI. 20. Liv. Epit. Vell. II. 89. Dio.

79. At Cæsar Romæ patrisque sui commune templum (Divum Julium appellabat) ab Asiæ populis apud Ephesum, a Bithynis Nicææ, clarissimis utrobique urbibus, poni passus, ea numina etiam ab Romanis, qui regiones illas habitabant, coli jussit. Se ipsum a civibus divino honore coli noluit. Peregrinis permissum, ut illi et Romæ templa statuerent, Asiatici quidem Pergami, Bithyni Nicomediæ. Quo dato exemplo, sicut nihil est ad imitandum adulatione velocius, toto mox orbe cœlestes ei sunt honores habiti, passimque per urbes celeberrimas vivo mortuoque sacerdotes et collegia sacrata, erecta fana, quæ veterum Deorum delubra ferme structura ornatuque superarent. Alexandrini quoque Sebastium exstruxe-

Sueton. Aug. 52. Tac. Ann. IV. 37. Dio. Sueton. Aug. 59. Tac. Ann. I. 10. et ib. Lips.

[7] *Hoc . . . intermissum per annos quatuor et triginta fuerat*] De Salutis augurio vid. supra CII. 47. Consule Cicerone illud augurium celebratum fuerat. A consulatu autem Ciceronis ad hunc annum effluxerant anni 34. Male ergo hic legebatur *per annos quatuor et quadraginta*. Crev.

Digitized by Google

runt, templum Cæsaris navigantium præsidis, (Epibaterium ipsi cognominabant) cui[10] aliud nusquam par fuit, celeberrimo loco situm, magnitudine et sublimitate conspicuum, refertum donariis, auro atque argento ornatum, circumquaque porticus habens, et bibliothecas, aulas, lucos, vestibula, ambulacra, spatiosissima omnia, et sumtuosissima. Etiam ludos quinquennales, quos tum, permittente Cæsare, Pergameni fecerant, provinciarum pleræque propemodum oppidatim constituerunt. Nec tamen ista, tanquam homine se putaret augustiorem, recepisse creditur, sed ut tam late imperanti utilis regendis rebus veneratio quæreretur. Alioquin domini etiam, nedum Dei appellationem constantissime repulit: et quanquam etiam proconsulibus decerni templa solere sciret, in Urbe nullum, in provinciis nonnisi communi suo Romæque nomine recepit.

Philo ad Caium. Dio. Sueton. Aug. 59. Curt. VIII. 5. Sueton. Aug. 53. Philo. Sueton. Aug. 52.

80. Sed imperatoribus secutis passim non modo Græci, sed etiam quælibet provinciæ templa posuerunt. De Urbe et Italia Dio hactenus negat, ut quisquam ullius pretii fuerit hujusce rei auctor. Sed quoniam ipse statim subjicit,[z] 'imperatoribus cœlestes honores, atque etiam heroa decreta fuisse,' mirari subit, quid igitur interesse putet, ne qui hæc facere potuerunt, illud etiam fecerint: præsertim, cum et in Urbe fuisse templa Augusti haud contemnendi auctores, a quibus visa sunt, prodidere.

Dio. Plin. XXXV. 4.

81. Per hæc exacta hyeme, Cæsar in Græciam atque inde a Corintho Brundisium transmisit. Cum Urbem intraret, inter occursum omnis ordinis, ætatis, sexusque,

Dio. Strabo, x. p. 485. Oros. VI. 19.

10 *Cujus* pro *cui* legebatur ante Crev.

[z] *Sed quoniam ipse statim subjicit*] Immerito hic arguitur Dio, quasi secum ipse et cum aliorum scriptorum testimonio pugnet. Distinguit ille *templa* viventibus imperatoribus posita, quæ in Urbe atque etiam in Italia nulla fuisse ait, saltem ab alicujus pretii hominibus structa; et heroa mortuis decreta, quem honorem iis principibus qui recte et ex ordine rempublicam gubernasse judicati essent, habitum fuisse fatetur. Templum Augusti fuisse in Urbe testatur Plinius, sed viventi structum fuisse non dicit. *Crev.*

Digitized by Google

Vell. II. 89. Dio. passim sacrificia ex senatusconsulto facta: et Valerius Potitus, qui tum in anni parte consulatum gerebat, nomine senatus populique Romani, majoribus hostiis fecit, novo ad hæc usque tempora honore. Magna per eos dies omnium ordinum lætitia fuit, aucta liberalitate Cæsaris, cui tum pares animo divitiæ obtigerant. Ergo munifice donavit duces suos, et, ut solitus erat, collaudavit, honoribusque exquisitis extulit; Agrippam hoc eximio, quod cœruleum ei vexillum dono dedit,[a] navalis victoriæ testimonium. Nec militibus modo divisit pecuniam, sed et populo nummos quadringenos[b] ex bellorum manubiis dedit: adultis primum, deinde et pueris Marcelli nomine, quem sorore sua natum, si nullos ipse filios susciperet, jam tum ad gratiam civium producebat. Municipiis etiam, sed et provincialibus, quorum in agros deductæ nuper coloniæ erant, ingentem pecuniam numeravit: quod equidem solum et unum omnium fecisse, qui deduxissent, haud falso gloriatus est. His de causis, et quia nec auri coronarii nomine quicquam accipiebat ab Italis, quia et sua debita reddens, quæ sibi adhuc ex imposito tributo debebantur, remittebat; præteritorum malorum oblivio cepit omnes; triumphique ejus, tanquam de peregrinis ducerentur, hilariter spectati.

Sueton. Aug. 25. et 38. Dio. Tac. Ann. I. 3. Senec. Cons. ad Marc. c. 2. Vell. II. 93. Lapis Ancyr. Dio.

82. Tres autem tribus continuis diebus duxit: Dalmaticum et Illyricum, deque Pannoniis, Japodibus, et finitimis eorum, itemque de Gallorum atque Germanorum populis, quos auspiciis ejus C. Carrinas vicerat. Postridie Actiacus triumphus actus, quo Tiberius Liviæ filius jam pubescens currum comitatus est sinisteriore funali equo; cum Marcellus, Octavia natus, dexteriore veheretur. Tertia dies Alexandrinam et Ægyptiam pompam vidit, priores, licet sumtuosissime instructas, apparatuum impensa et pulchritudine superantem. Inter hujus fercula Cleopatræ quoque imago, in lecto ad similitudinem morientis

Sueton. Aug. 22. Dio. Oros. VI. 20. Liv. Epit. Virg. Æn. VIII. v. 714. Appian. Illyr. Dio. Suet. Tib. 6. Dio.

[a] *Agrippam hoc eximio, quod cœruleum ei vexillum dono dedit*] Hoc refert Suet. Aug. c. 25. ad victoriam Siciliensem: et ita memoravit Freinshemius supra CXXIX. 36. Fortassis hoc insigni dono bis Agrippa donatus est. *Crev.*

[b] *Nummos quadringenos*] Uncias argenti nostrates 12. semunciam 1. *Crev.*

Digitized by Google

translata est: ductique liberi ejus Alexander et Cleopatra, quibus Solis ac Lunæ nomina indiderat. Euseb. Chron.

83. His in triumphis nihil ex antiquo mutatum annotatur; nisi quod ex nupero decreto currum secuti sunt primum senatores quotquot eo bello navarant operam; deinde consul cum magistratibus: cum alias hi præcedere inter hujusmodi pompas solerent, ceteri senatores subsequi. Militibus triumphale congiarium ex manubiis viritim millia nummum singula[c] dedisse ipse tradit: accepisse id hominum circiter centum et viginti millia. Dio. Lapis Ancyr.

84. Idem deinde mensis et Carrinatem et Autronium triumphantes vidit. Carrinas, Morinis sociisque eorum ad patientiam imperii bello revocatis, etiam trans Rhenum aliquoties victos repulerat. Ideoque et Cæsar, uti diximus, ex his gentibus triumphavit, et Carrinatem triumphare jussit; magno iterum documento, ne quis ob res adversas nimium flaccescat animis. Hujus enim pater a Sylla fuit occisus inter proscriptos, quorum liberis lege lata tum quidem aditus ad honores præcludebatur. Mox A. D. XVII. Kalendas Septembres ex Africa L. Autronius P. F. L. N. Pætus pro consule triumphavit. At e regulis ducibusque triumphatis, supplicio quidam affecti sunt: in his Adiatorix cum filio, qui ab Antonio partem Heracleæ Ponticæ nacti, Romanos colonos occiderant. Fasti Capit. Dio. Fasti Capit. Strabo, XII. p. 543.

85. Inde, versa ad honorem Deorum cura, Minervæ templum, et, quod Chalcidicum vocatur, tum curiam ex patris nomine Juliam, hanc quidem A. D. V. Kalendas Septembres dedicavit. In ea Victoriæ reposuit simulacrum, spoliisque Ægyptiis exornavit, quod olim a Tarento advectum fuerat; huic numini se debere imperium assignificans. Etiam D. Julii fanum multis ex eadem præda donariis excoluit. Sed longe maximæ opes in Capitolium illatæ. Nam ex senatusconsulto e tribus cellis, quicquid Jovi, Junonique, et Minervæ dicatum olim fuerat, pro polluto efferendum curavit: ipse una donatione sedecim millia pondo auri,[d] gemmasque ac margaritas quingenties Dio. Inscript. Grut. p. CXXXIII. Dio. Sueton. Aug. 30. Manil. v. 509.

[c] *Millia nummum singula*] Marcas argenti 3. uncias 7. semunciam 1. *Crev.*

[d] *Sedecim millia pondo auri*] Marcas nostrates 25000. *Quingenties sestertium.* Marcarum argenti 195312. unciarum 4. *Crev.*

Digitized by Google

Dio. sestertium contulit. Hæc omnia ex thesauris Cleopatræ desumta, cujus etiam alter unio, vix luxuriantis fœminæ faucibus ereptus, propter magnitudinem dissectus, ex utraque aure Veneris, quæ in Pantheo deinceps culta est, pependit.

Plin. IX. 35.

Dio et Sueton. Aug. 43.

86. Ceterum in dedicando Julii templo ludi varii generis editi: Trojam patricii pueri luserunt: viri equos desultorios bigasque et quadrigas agitarunt: et senator quidam in arena depugnavit. Venatio quoque insignis edita: et inter alias feras, rhinoceros et hippopotamus occisi, quæ genera animalium nunquam ante Roma viderat.[e] Turmæ quoque Suevorum, quos in triumpho Carrinas duxerat, Dacorumque captorum Actiaco bello, infestis armis in voluptatem victoris populi concurrerunt.

Plin. IV. 12. Dio. Cluv. Germ. Ant. I. 1. Strabo, VII. p. 304. Sueton. Aug. 63. Dio.

87. Dacos et Getas non sanguinis diversitas, sed regionum situs distinguit: Dacis ad Danubium et Germaniæ finem; Getis versus Pontum et orientem habitantibus. Partis harum gentium rex Cotiso non amicitiam modo pactus cum Cæsare, sed etiam geminam affinitatem[f] fuerat, sibi desponsa Julia, vicissimque sua filia Cæsari. Ceterum, cum, deludi se postea sentiens, legatos frustra misisset, ad Antonii partes popularium inclinavit animos. Sed nec illi multum profuit istarum gentium societas, et ipsis tantummodo causam Romani belli præbuit. Mediam spectaculorum hilaritatem delibavit magis, quam abrupit, Cæsaris ægritudo, per quam nihilominus, eo jubente, curati ab aliis ludi sunt: interque id tempus senatores præ suis quisque foribus in propatulo epulati sunt: ut alias quoque, invitandorum prætereuntium causa, factitatum in publica lætitia fuerat.

Liv. III. 29. XXIV. 16. XXV. 12. &c.

[e] *Quæ genera animalium nunquam ante Roma viderat*] Hippopotamum Romæ jam antea visum fuisse ludis M. Scauri ædilis, retulit ex Plinio Freinshemius CIV. c. 43. *Crev.*

[f] *Geminam affinitatem*] Id non pro certo affirmat Suetonius, sed ab Antonio objectum esse Cæsari. Nec sane ipsa res est verisimilis. *Crev.*

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXXIV.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Dum ita populus Romanus, post sævissimas bellorum tempestates, præsentis otii lætitia futurique spe perfruitur, etiam foris per M. Licinium Crassum bene gesta res- Liv. Epit.
publica felicitatem temporum auxit. Præter Dacos in Dio, LI.
armis etiam Bastarnæ fuerant: finibusque suis egressi, superato Istro, juxta colentes Triballos atque Dardanos subegerant. Tum vero, transcensis montis Æmi jugis, Dentheletarum nationi inferebant bellum. Thraciæ hæc gens erat, Romanis fœdere conjuncta. Regem tum Sitam habebant, propter cæcitatem minus aptum arcendis hostibus. Igitur Crassus, qui ex consulatu Macedoniam obtinebat, non magis socii regis quam provinciæ Romanæ periculo excitatus, adventus sui terrore excedere Dentheletarum regione Bastarnas coëgit. Sed ipse non contentus hac gloria, sequi recedentes instituit; Segesticaque redacta in potestatem, etiam in Mysorum fines impetu Liv. Epit.
facto, munitum quoddam oppidum oppugnavit. Dio.

2. Interea longius præmissarum copiarum partem adorta gens insigni feritate, Crasso necessitatem imposuit, ni hos amittere vellet penitus, toto cum exercitu succurrendi. Dum acies instruuntur, unus ducum, postulato silentio, Flor. IV. 12.
'Qui vos,' inquit, 'estis?' Responsum, 'Romanos esse,

Digitized by Google

gentium dominos.' 'Ita,' inquit ille, 'si nos viceritis.' Accepit omen Romanus: et, cum ante aciem immolato equo votum barbari concepissent, 'ut Romanorum ducum extis et litarent et vescerentur;' vix tubam sustinentes disjecit: reversusque ad obsidionem, oppidum cepit.

Dio. Et, quo lectores admoneantur, quanti sit inanibus non moveri, quamque id beneficium non ferociæ sed ingenio

Flor. concesserit Deus, tam præcipitis Mysorum fugæ nulla fuisse certior causa traditur, quam quod centurio quidam Romanus, foculum gerens super cassidem, excitata motu corporis flamma, tanquam vomente incendium capite, stolidos mortales exterruit.

Dio. 3. Averso in Mysos exercitu, Bastarnæ exitum speculantes ad Hebrum fluvium substiterant. Tum igitur, devictis illis, ad se veniri cernentes, legatione missa denuntiarunt, 'injuste facere Romanos, se persequendo, a quibus nullam injuriam accepissent.'

4. Crassus oratores humaniter acceptos, gnarus eas nationes vini cupidissimas esse, tanquam postridie responsurus, adhibuit mensæ, et ab ebriis omnia Bastarnarum consilia expiscatus est. Eadem autem nocte, dum illi poculis vacant, ad sylvam proximam exercitu promoto, in ulteriora prospeculatum expeditos præmisit. His visis, hostes, cum longe abesse robur legionum arbitrarentur, proruunt; refugientesque intra sylvas secuti, ab instructis ordinibus excipiuntur. Magna ibi statim, magna deinceps fugientium cædes fuit: carris maxime, quibus castra sua a tergo sepserant, receptum impedientibus, et quod his impositos cum conjugibus liberos haudquaquam æquis animis deserebant.

5. Nobilis eo loco Romani ducis pugna fuit, occiso Crassi manibus hostium rege Deldone: et, si suis auspiciis rem gessisset, opimorum spoliorum decus meruerat.[a] Quod

[a] *Et, si suis auspiciis rem gessisset, opimorum spoliorum decus meruerat*] Crasso decus spoliorum opimorum debitum fuisse censet vir eruditione et acumine ingenii juxta nobilis, Perizonius, Animadvers. Histor. pp. 269. et 270. Sed ideo ei non concessum esse, quod jam tum falsa opinio invaluisset, spolia opima eos solos consequi posse, qui suis auspiciis rem gererent. Præterquam quod rara illa tam eximii decoris laus, inclinatis

Digitized by Google

hostium illud prælium non consumserat, partim in sylva incensa concrematum; alii, expugnato, in quod confugerant, oppido, interierunt. Fluvius etiam Ister, et sparsa per agros fuga, multis exitium attulerunt. Maxima moles in superandis iis fuit, qui munito ex loco per aliquot dies vim Romanam repulerunt, donec Rolis adventu Getarum reguli, hæc quoque deleta manus tum quidem ei bello finem imposuit. Rolen illum Dicomæ filium fuisse quanquam tradi videam,[b] assensum sustineo; quando nullum ejus rei[1] neque testimonium idoneum, neque argumentum affertur. Ad Cæsarem inde profectum esse satis constat, amicumque ac socium discessisse. Dio.

6. His ita gestis, Crassus Mysorum regionem repetens, cum nonnullos suadendo, ceteros minis, pertinacissimum quemque armis subegisset, neque magna pars domanda superesset, hyemem iis locis nimiam veritus, exercitum in pacatiora reduxit. Sic quoque, priusquam Macedoniæ fines attingeret, a frigore nonnihil, sed atrociora a Thracibus, quanquam sociis, perpessus, propositum ulterius has gentes adeundi deposuit. Ob hanc victoriam Cæsar imperator appellatus est; eique supplicatio triumphusque decreti: idem honor et Crasso habitus, nisi quod imperatoris nomen datum Dio negat, ab aliis hoc quoque traditum haud dissimulans. Igitur his potius crediderim, cum causam Dio nullam attulerit, et sub Augusto ac Tiberio quoque nominis ejus decus concessum quibusdam ducibus fuisse non ambigatur. Tac. Ann. III. 74.

7. Sub idem tempus Cæsar, sive frequentibus morbis iratus, sive[c] ut objectam ab Antonio cupiditatem dominandi rebus refelleret, de reddenda republica cum amicis Sen. de Brev. Vitæ, c. 5. Sueton. Aug. 28. Dio, LII.

1 Vox *rei* abest ab edd. ante Crev.

jam in servitium rebus, privati hominis fastigio altior videri poterat. *Crev.*

[b] *Rolen illum Dicomæ filium fuisse quanquam tradi videam*] Quem hoc loco refellat Freinshemius, ignoramus. *Crev.*

[c] *Sive frequentibus morbis iratus, sive*] Distinguit tempora Suetonius. 'Bis,' inquit, 'de reddenda republica cogitavit: primo post oppressum statim Antonium, memor objectum ab eo sibi sæpius, quasi per ipsum staret ne redderetur: ac rursus tædio diuturnæ valetudinis.' *Crev.*

Digitized by Google

deliberavit. Duo ipsi erant arcanorum omnium parti-
Vell. II. 90. cipes: M. Agrippa, quem amplissimis honoribus extule-
Vell. II. 88. rat; et C. Mæcenas, non minus carus Agrippa, sed minus honoratus, quia manere suo in ordine Romanus eques
Dio. maluerat. His in secretum advocatis, ubi consilium suum exposuit Cæsar, fidemque testatus amicitiæ, ut rectum verumque consilium promerent, oravit; in tam exiguo numero tamen variatum sententiis fuit. Prior Agrippa[4] his fere argumentis Cæsarem ab imperio continuando dehortatus esse traditur:

8. 'Si tantis a te opibus honoribusque cumulatus insistere cœptis juberem, Cæsar; tametsi mens forsitan integra foret, oratio posset esse suspectior, tanquam ea quæ mihi privatim crederem profutura suadentis. Nunc quia diversa mihi rectior videtur via ac salubrior, laborare non debeo, ne parum explere partes amici benevolique consultoris videar. Ego sane semper hanc indixi mihi legem, ex quo me penitiorem in amicitiam assumsisti, ut tantæ benignitati, quando meritis non poteram, fide responderem: neque mihi retinendum quicquam esse crederem, ex quo tibi periculum aut invidia nasceretur. Igitur in hac etiam summa deliberatione, propriorum commodorum immemor, ea tantum in consilio habiturus sum, quæ tuam atque publicam ad salutem pertinere judicavero.

9. 'Age igitur omnia, quæ summo imperio insunt, non præcipiti cogitatione expendamus, ut eam sequi partem liceat, quam ratio nobis meliorem atque feliciorem fore ostenderit. Nec enim ita nos potentiæ cupido occæcaverit, ut incubandum esse imperio, tametsi nobis malo futurum appareat, existimemus. Esset hoc male sustinentium fortunam suam, ejusque convulsorum obsequio; nisi malimus pietatem in patrem et reliqua obtentui sumta, ceterum imperandi lubidine egisse omnia videri. Utrumvis horum, crimen ac periculum habet: nec aut laudare talia quisquam bonus, aut perferre liber potest. Qui vero patriam suam nec aliis servire, nec sibi, patietur, ad justam

[4] *Prior Agrippa*] Hæ orationes Agrippæ et Mæcenatis, non a Freinshemio fictæ, sed ex Dione, saltem quoad longe maximam partem, exscriptæ sunt. Cres.

Digitized by Google

æqualitatem omnia referens; is profecto, tanquam maximorum bonorum auctor, semper apud cives in honore ac pretio erit.

10. ‘ Idque ex utriusque comparatione facillime intelligi potest. Quippe juris æqualitas naturæ consentanea, sicut oportuit iisdem legibus natos, educatos, institutos, paremque corporum atque animorum præstantes usum reipublicæ, pari omnes jure atque potestate esse sancit, neque quenquam cuiquam, nisi virtutis causa, anteponi. Ergo quoties unius potentia ceteri deprimuntur, tanquam in re, quæ contra naturam acciderit, anguntur, nequaquam æquis animis passi, penes se majorem sumtuum laborumque ac periculorum partem, penes unum aliquem pleraque commodorum esse. At quia carere magistratibus respublica nulla potest, vicissim regere et regi æquissimum putant: nec contemtui futuri imperantibus, cum et his imperare aliquando possint; nec efferendi potestate, quam mox in se accepturos alios sciant. Sic et meritis honores invidia nulla tribuent, sibi quoque idem ad hos per virtutem iter patere memores; et onera promte sustinebunt, quæ non a dominis imponi, sed æqua justaque lege, sentiant.

11. ‘ Necessum igitur est, tali populo prospera atque adversa transire in omnes: neque sibi privatim quenquam esse quicquam procuraturum, quod dissentire a publicis rationibus intelligat. Tum et odia tollentur civium, et prava æmulatio. Nemo gaudebit malis alterius, nemo aut alienæ virtutis obtrectatorem aget, aut alium timebit suæ: querelæ, suspiciones, insidiæ aberunt: nihil appetetur contra morem, nihil recusabitur: imperabitur sine superbia, parebitur sine murmure: tam pro unoquoque stabunt omnes, quam unusquisque pro omnibus.

12. ‘ Hæc tanta commoda popularem statum sequuntur. At in unius imperio vix potest obtineri, quin diversa his omnibus exeant et contraria. Jam primum omnibus in unum intuentibus, ille fit morum atque vitæ regula: sic tamen, ut ejus vitia exprimantur vulgo; si quæ sint virtutes, eas imitari nec possint multi, nec fere qui possunt audeant, ne videantur animi magnitudine, artibus imperato-

Digitized by Google

riis, prudentia, liberalitate, cum principe contendere. Inde fit ut ad publica munia segnes, voluptatibus aut quæstu omnem indolis ingenuæ vigorem deterant; atque sic condiscant, rempublicam nullam putando, domestica spectare lucra, et felicitatem alienam ægris oculis intueri, tanquam sibi decedat quicquid apud alios conspicitur. Quæ si privatos tantummodo incesserent molestiæ, quanquam sane iniquum esset conflictari populos, ut unus aliquis suaviter ac delicate vivat; fortassis auctor essem non amittendi e manibus, quod propitia tibi fortuna contulisset. Ceterum ad ipsum imperantem curas infinitas, labores incredibiles, invidiam, odia, pericula sine numero, sine modo, pertinere video. Mittamus præterita, quæ si tibi satis felicia viderentur, non deliberares in præsentia: quid expectare paulo post debeamus, apparet. Urbanæ res parum adhuc compositæ: Italia varie turbata: provinciæ aliæ exhaustæ, aliæ dubiæ: nationes circa validæ armis. His occursuro multa deerunt, quæ non facillime comparaveris.

13. 'A re nummaria ordiar, quæ tibi extraordinariis quærenda remediis erit: nec enim ad tot alendos exercitus aliasque necessitates vectigalia populi Romani sufficient. Eadem igitur necessitas fuerit, inquies, et restituta republica. Immo vero longe dispar est ratio. Tum enim non defuturi essent divites, qui laude liberalitatis, aut honoribus, quales liberæ civitates pro meritis hoc genus rependunt, contenti, pecuniam conferrent in publicum: et, si tributa populo indicerentur, haud gravatim quilibet a se abire nummos pateretur, quos in re communi sibi quoque putaret impendere.

14. 'At in regno rarus ostentator opum est, quarum magnitudine stimulari posse avaritiam potentioris existimet: nec ferre tales largitores principi facile foret, quos favore populi crederet ad res novandas incitari. Tributa vero quoties indicuntur, publica ferme querela est: æquum enim putant suis eum facultatibus tolerare sumtus quoslibet, ad quem ex toto imperio fructus omnis pervenit. Adde quod iniqui plerumque acceptorum expensorumque putatores sunt. Reditus enim ferme norunt et diligenter

Digitized by Google

numerant: at impensas alias in totum nesciunt, alias multo, quam sint, leviores temere credunt. Hæc una difficultas est, quæ rerum habenas tenentem, si quid prospicio, magnis curis iisque frequentibus exercebit. Hac nihilo jam erit minor de judiciorum ordine solicitudo.

15. 'Facinorosos enim puniri sicut ubivis necessarium, ita nunc perdifficile est: rara inter nos innocentia, et præpotentibus reis. At horum causas si ipse cognoveris, pro crudeli traduceris, et iniquo, et magis ex suo commodo odiisve, quam legibus, decernente. Sin alios constituis judices, damnatos afflixisse dicentur a te jussi: absolutos populus æquitati judicum imputabit, aut etiam gloriæ, maxime si quos dimiserint quibus tu infensus esse existimeris. At in populari statu, cum suffragiis civium aut sorte lecti judicent, qui neminis unius in manu positas fortunas suas esse norunt, integra religione, nec potentiæ cujusquam, nec gratiæ jus dare creduntur.

16. 'Sed ludus hic et jocus fuerit præ his æstibus, in quos te conjectura est ista dubitatio, quemadmodum his oporteat uti, qui cetera boni ac honesti viri principatum unius pati nequeunt. Hos equidem et si relinquis, imprudens; et si tollis, iniquus habebere. Neque mediam ingredi viam tutum erit. Namque nobilitatem si contemnere videbere, si circumscribere divitias, coërcere magnos spiritus, populi benevolentiam amiseris. Ecquis enim hunc amet per quem unum omnibus carendum existimet his vitæ bonis, quæ præ ceteris et æstimantur, et expetuntur? Certe si uno corpore posses ad cuncta simul agenda occurrere, nec adjutoribus haberes opus, minus laboraremus: nunc in tam amplo diffusoque imperio, cum plurimis indigeas, quos adhibebis, unde non aut securitati tuæ, aut existimationi metuas? Gnavis enim et industriis cum gloria spiritus crescunt, efficiuntque ineptos obsequio, cum se dignos imperio censere cœperunt. Socordes igitur et timidos præficies rebus? Tum vero negotium hostium egeris: socios alienaris: civibus fueris odio; his præcipue qui se postpositos deterioribus nunquam sine dolore recordabuntur.

17. 'Hic iterum melior est rerumpublicarum constitu-

Digitized by Google

tio, quibus ornatui atque usui est fortium ac opulentorum civium frequentia, quorum virtute augeri, quorum gloria illustrari sentiunt; nec quenquam ex his amissum imminutumve cupiant, nisi forte quis ad tyrannidem animum adjecerit, cujus præcipue criminis acerrimi consueverunt esse vindices. Horum omnium assiduos producere testes possem, cunctos ferme Græcarum aliarumque nationum populos; quibus in libertate, quam sub dominis, semper omnia felicius atque gloriosius evenerunt. Sed externis abstineo, cum satis ad hæc docenda locuples sit Romanæ rei diverse habita gubernatio. Sub regibus multa passi, angustissimisque coërciti finibus, in libertate crevimus: illa Romanum extulit nomen, illa senatus auspiciis populique suffragiis caput orbi terrarum imposuit.

18. ‘ Hæc tam inextricabilis malorum series jam deprehensa nobis est; et nondum ad te respexi, Cæsar. Tua vero quam intolerabilis erit conditio, diebus atque noctibus tantam solicitudinem sustinentis? Quis ad omnes istas cogitationes animus, quod ad hos labores corpus sufficiet? Taceo, quod ab adolescentia usque parum firma valetudine uteris. His igitur circumdatus obsessusque molestiis, ecquando quicquam eorum degustabis, propter quæ mortales amant vivere? Aut his carere coactus, quam eris inter falsam felicitatis imaginem vel sine exemplo miser? Quis enim præter te erit alius, qui nullo tempore aut minimam voluptatem percipere possit, aut maximis carere molestiis? Magnum enim imperium regenti nulli æque satellites, ac cura et metus, præsto sunt; raro lætius aliquid, quo vere afficiatur animus: indigna, pudenda, gravia nunquam non et videt, et audit, et sentit. Quæ quoties mecum expendo, mirari desino, quod a quibusdam, cum offerrentur regna, recusata sunt. Hæc igitur te cum animo tuo considerare prius verum est, quam eo te conjicias, unde non sit postea receptus.

19. ‘ Neque vero parum perspicio, quam in aliam sententiam proferri speciosa possint, quantosque stimulos habeant potentia, opes, hominumque salutantium ac prosequentium turbæ, et omnium in unum obversa ora: præsertim si hæc sola conspiciantur, comitesque suos tegunt

Digitized by Google

ac dissimulent. Quippe potentiam solicitudo, divitias impensæ, honorem livor sequitur: et in multitudine circumfusa, sæpe insidiæ insunt; semper adulatio, vix minus istis malum. Quod si vero quis ideo expetendam esse dominationem arbitretur, ut beneficiorum et injuriæ in quoalibet arbitrium habeat, is profecto magnopere fallitur. Certe quam fœdum, quam Diis ac hominibus invisum sit, libidinibus ac flagitiis se tradere, apud te dicere supersedeo, quem scio neque his moribus præditum esse, neque propter hæc imperium cupere: præsertim quia non ea referre constitui, quæ pessimi principes faciant, sed quæ caveri nequeant etiam a probatissimis.

20. ‘ Beneficia autem hominibus tribuere dignissimum esse magna indole, non equidem negaverim. Sed id quoque privata fortuna si non æque abundanter, verius tamen ac meliori fide præstet: et si pauciora faciat, plura non exigentur. In principatu sæpe deest unde cupiditas omnium expleatur, cum etiam in levi merito nemo suam operam parvi æstimet. Non possunt effugere reges, quin multos prætereant, etiam munificentissimi. Quid enim est quod dare queant? Honores, magistratus, pecuniæ. Ceterum illi in paucos cadunt; et ærarium largitionibus exhaustum per rapinas supplendum erit: majusque orietur odium a plurimis, quibus et datum nihil et aliquid ablatum fuerit, quam a paucis quos locupletaveris, gratia: cum alioquin etiam natura sit hominibus ad beneficia sensus, quam ad injurias, hebetior.

21. ‘ Adde, quod principes, et cum restrictiores sunt, avari judicantur, et cum liberalius utuntur opibus, dissipare patrimonium publicum, et plura indignis tribuendo nescire veram dandi rationem modumque differuntur. Atqui sæpe his uti judicio suo non licet. Multa nescire, multa credere familiaribus coguntur: aliquando donant, quia dignos intelligunt, aliquando ut intellexisse videantur. Sæpe affectum magis quam merita sequuntur: et sibi verius dant beneficia, quam his ad quos eorum fructus pervenit. Quicquid horum fit, plerumque cum aliqua solicitudine conjunctum est: ita ut neque hoc satis sincerum sit, ac expetendum, quod unum omnium commendare

Digitized by Google

posse homini non pessimo principatum videretur. Cetera talia omnino sunt, ut qui secum ista perpenderit, regis cujusdam dictum* valde probet: 'diadema, nobilem magis quam felicem pannum, si penitus intelligeretur, neminem reperturum, qui vellet humo tollere.'

22. 'Et, quo certius omnem regnandi libidinem exturbes animo, pauca me dictis, sed, quantum opinor, valida hercle adjungere sinito. In re populi rarius existere posse reor pessimos magistratus, quam in regnis optimos principes. Et illorum imperium breve tempus finit: deinde leges sunt et judicia, quorum ultio non modo peccata suppliciis sontium vindicat, sed etiam exemplum deterret eos qui peccaturi postea fuissent. Præterea sicuti provisum est, ne malorum diuturna sit potentia, sic in bonorum locum, quoties aliquis quolibet casu subducitur, alium haud deteriorem reperire plerumque non est arduum. Nec enim, excepto universo interitu, qui res humanas omnes inevitabili fato premit, ingruere tanta calamitas ulla potest, quin seminarium aliquod magistratuum relinquat. Sed regnis minime tam beata sors est: in quibus et mali principes nonnisi cum vita imperium ponunt; et boni magnitudine ac diuturnitate potestatis persæpe convelluntur. Te quidem, quicquid acturus es, optima mente suscepturum esse certissimum habeo. Ceterum si cogitas quorundam te pœnitere, quæ tum etiam admissa sunt, cum respicere collegas cogebare; cum adversus potentissimos viros dimicanti virtutis ac justitiæ opinione benevolentia retinenda civium esset; quid futurum arbitraris, si, remoto metu æmulorum, supremæ tibi potestatis conscius, a destinato laudis itinere violentis affectibus abripieris?

23. 'Sed esto (quod equidem, si sperandum in ullo est, in te minime desperandum esse largior) hanc imperii negotiorumque molem citra tuam civiumque querelam sustineas; quanta solicitudine de successore laborabis? Scio enim te non alium majorem ex laboribus tuis fructum pe-

Sueton. Aug. 28.

* *Regis cujusdam dictum*] Dictum illud sane præclarum cujusnam regis sit, vellemus Freinshemius indicasset. Ille hoc de suo addidit, Dio non habet. *Crev.*

Digitized by Google

tere, quam ut optimi status auctor dicaris; et moriens spem feras tecum, mansura in vestigio suo fundamenta reipublicæ quæ jeceris. Id vero consequi, quam non dicam homini, sed propemodum Deo cuidam sit improbum, haud difficulter intelliges, ubi ad ea quæ dicam animum adverteris. Filium adhuc non habes; fac habiturum. Quis tibi sponsor erit, tuum illi animum, tuam prudentiam moresque fore? Nihil ab natura ei, ab ingenio, a fortuna negabitur? Non saltem ipsa hæc reputatio, se principe natum esse, lubricam ætatem adulatione præsertim omnium impulsam in præceps trahet? Scis quid in vicina Sicilia Dionysii filius reprehendenti mores suos patri, et qualis ipse in adolescentia fuerit jactanti, responderit: 'illi enim non fuisse patrem regem, sibi esse.' Itaque si destinatum successioni tradere se ignaviæ, contaminari flagitiis, lascivire, sævire, furere cerneres, quantus inde pudor tibi, quantus dolor esset?

Plut. Apoph. in Dionys. Seniore.

24. 'Sed quid ista refero? Patribus omnibus optare quam præstantissimos liberos licet; iique ornamento, gloriæ, lætitiæ sunt adeptis: solis principibus ea denegata felicitas est, quibus ut ignavi liberi verecundiam, sic egregii quique timorem afferunt. Vera me dicere omnes opinor toto orbe terrarum regiæ fatebuntur. Quota enim quæque tristissimorum malorum exemplo caret, ut inter perpetuos motus atque suspiciones insidiæ nullæ intervenerint, ut non aliquando filius occupato patre, aut pater filio, ne pateretur parricidium, fecerit? Scilicet exprimere conditionem imperantium posito ob oculos exemplo voluisse videntur, quorum instituto Nemorense regnum armis ac cæde paratur. Omnibus hoc regibus propositum a Fortuna certamen est, ut summi fastigii gratia alii ab aliis interficiantur. Quid vero futurum censes, si plures educaveris? An non, ut in te pietas constet omnibus, suopte ingenio, et aliorum instinctu, qui tali loco deesse nunquam possunt, inter sese æmulationes ac discordiam exercebunt? Sed finge quantalibet bonitate naturæ, tuique reverentia interim quieturos: an evitari poterit, ne saltem post mortem tuam de regno digladientur?

Strab. v. p. 239 et ibi Casaub. Serv. ad Æn. vi. 137.

25. 'Sin vero filium non reliqueris, ecquem sperare

Digitized by Google

poteris tibi successorem? Nam si ex primorum numero quemlibet nomines, reliqui, rebus omnibus pares, uni alicui, quem se nihilo præstantiorem aut potentiorem judicabunt, parere dedignabuntur. Efferes igitur illum vivus adhuc, extolles opibus, regimen provinciarum ac exercituum dabis, materiam locumque concedes, quo explicare virtutem animi, comparare gloriam, comparare favorem hominum queat? At quorum modestiæ credas, etiam atque etiam vide. Multi ab aliis acceptas opes, in auctores beneficii verterunt. Plures ergo veluti paribus momentis attolles, quo spes alicujus improbiores ceterorum metu coërceantur? Timendi igitur plures erunt; maxime si consentiant. Quod si pugnent, neque te quietum esse unquam, neque sub te quicquam patientur: et, si fato concedas, iterum in eadem illa, quæ supra diximus, discordias, seditiones, arma civilia, difficultate quadam consiliorum inexplicabili relabemur.

Dio. 26. 'Nihil ergo melius fuerit, quam te simul atque rempublicam omnibus hisce molestiis ac discriminibus uno facto exsolvisse. Nunc ut arma, provincias, magistratus, ærarium populo reddas, in tua manu est: eaque ratione gloriosam securamque senectutem in patria beneficiorum memori sperare poteris. Quod si forte reddere rempublicam donec potes non vis, timeo ne aliquando, cum voles, nequeas; neque tuum tempus expectet populus, sed cum dedecore tuo damnoque res repetat, quas putaverit a te per injuriam retineri.

27. 'Nec enim divinare futura magnum est, ubi præteritorum eventus, hoc ingenium esse populi Romani, hanc fortunam, docuit, ut diuturnos dominos pati nequeat, imperium deponentes non oderit, cedere gravatos opprimat. Sylla, acerbissime acta dictatura, post ejuratam potestatem securus ac honoratus vixit: Pompeius, quamdiu restituere solitus est acceptam potentiam, amore civium floruit: idem, postquam solus voluit omnibus esse potentior, cum tota domo interiit. Nec alii Carbonis aut Cinnæ, Mariique ac Sertorii exitus fuerunt. Nec enim populi Romani genio res ulla tam cordi est, quam libertatis custodia. Ecquos, ut improbos cives taceam,

Digitized by Google

aut majores aut meliores viros respublica nostra Camillo ac Scipione tulit, ac patre tuo Cæsare? Sed illos etiam civilem egressos modum exilio aut morte vel amici ac propinqui depulerunt.

28. 'Nequaquam tamen auctor ego tibi fuerim abjiciendæ potentiæ, priusquam ex usu patriæ ac dignitate tua rempublicam constitueris. Qua in re tibi Syllam imitandum censeo; cujus tametsi leges quædam abrogatæ sunt postea, pleræque tamen manent. Sic occurri potest motibus omnino orituris, si velut orbam rempublicam, antequam se sustinere ac regere ipsa posset, repente destitueres. Certe popularis etiam status discordiæ ac seditionibus obnoxius est: nec mortalibus tam licet esse felicibus, ut quicquam omni periculo vacuum comminiscantur. Sed hæc incommoda quantula videri necessum est, si cum tyrannide, ad quam proclivis ab unius imperio transitus, contendantur? Sed ego de hac nihil in præsentia dicere constitui, cujus mala nemo est quin possit coargnere. Hoc ostendere conatus sum, eam esse naturam principatus, ut, etiamsi bonos in viros ceciderit, non diu tales esse patiatur, quin celeriter, aut licentia mutet, aut molestiis curisque ac periculis opprimat. Tam anceps igitur, Cæsar, ac horribile discrimen, dum licet, exi. Hoc M. Agrippa suadeo, qui te principe adeptus atque retenturus, quicquid summo loco minus est, in libera republica, inter tot illustres viros, et antiquissima gloria majorum præfulgentes, vix æqualitatem tutari potero. Ceterum indignus his ipsis essem, nisi ea possem amittere pro salute ac tranquillitate illius a quo accepi.'

29. Hæc Agrippæ sententia fuit. At Mæcenas, postulante vocem ejus Cæsare, hunc in modum disseruit: 'Si quidem in militari consilio quæsitum esset terrane an vere mari gerendum bellum, idque maturandum an trahendum videretur; quæ loca prælii aptiora, quæ præsidiis; ubi ponenda castra, aut conserenda pugna, aut quomodo instruendæ acies forent; post tam peritum omnis militiæ ducem sententiam meam promere, mihi quoque ineptum atque supervacuum videretur. Nunc quando his de ne-

Digitized by Google

gotiis deliberatio est, quorum ego omnibus istis annis, quibus tu cum Cæsaris hostibus pugnas, usum aliquem comparare debui; non verebor, bona cum pace tua, ab his quæ tibi visa sunt discedere, M. Agrippa. Nec aliud magnopere proferam, quam cujus ipsa me experientia admonuit, multa subinde tentantem, quomodo homines nec ad libertatem integram, nec ad servitutem nati regerentur. Non autem metuo, ut mihi des libere loquendi veniam, quam uterque nisi nobis a Cæsare polliceremur, neque tu verba hunc in modum fecisses, neque facturus ego essem.

Tac. Hist. I. 16.

30. 'Plane locus ille, qui tibi tuendus est, Cæsar, præceps est et lubricus, et cuivis impari futurus ignominiæ ac exitii causa; neque postulandus cuiquam, cui secure degere in bene constituta republica permitteretur. Ceterum non ea sunt Urbis nostræ tempora, ut hoc sperare liceat: et, quemadmodum parentibus, quoties senio desipiunt, necessaria tutela liberorum est; sic etiam patria vetustate debilis, moribus ægra, tumultibus bellisque civilibus concussa, custodem desiderat, cujus pia prudentique cura gubernetur. Nam ea quæ de rerumpublicarum bonis M. Agrippa proposuit, in nostra locum habitura non existimo. De rebus hominibusque non ignotis loquimur. Antiqua illa magnitudo animi, integritas, modestia, olim amissa sunt: pro innocentia priorum temporum, pro paupertate, patientia laboris, frugalitate, ambitio, luxuria, voluptates invaluerunt. His pro se quisque omnibus viribus servit, dum hæc salva sibi maneant, nihil curaturus, quicquid respublica durum indignumque patiatur. Neque tantummodo tales ipsi sunt; sed melioribus indociles, et optimæ cuique sententiæ, si vires dentur, adversaturi. At hoc ingenio qui sunt, nisi prudentiorum auctoritate contineantur, seque et alios celeriter maximas in calamitates conjecerint. Hæc igitur maxime res cogere te, Cæsar, debet, ut perituros, si sibi relinquantur, et te quoque secum et republica perdituros, tuis vigiliis tuaque providentia serves.

31. 'Hic si quis a me ad voluptates fruitionemque deliciarum, quas præstare summa fortuna videtur, vocari te

Digitized by Google

existimet, magnopere aberrat. Aspera sunt laboribus, anxia curis, ad quæ posceris: nisi quod laborare, quam perire satius est; retinere potentiam, quam abusuris tradere, tutius; servare rempublicam, quam prodere, gloriosius. Igitur si tuum tibi decus ac tutela, si reipublicæ salus cordi est, quibus pro rebus tot ac tanta bella depugnasti, tot exudasti labores, suscipe curam patriæ, nec dimitte, donec eam meliorem beatioremque in statum reduxeris. Atqui hoc etiam M. Agrippa volebat. Sed inter illius et meam sententiam hoc interest, quod ille putabat legibus ferendis id te consequi posse: ego neque leges accommodari necessitatibus omnibus sciam, neque diu futuras usui arbitrer, nisi tu vivæ legis instar omnibus locis occurras, illarumque reverentiam præsentis imperii majestate tuearis.

32. 'Hoc nimirum illud est, quod notissimæ sapientiæ homines sciverunt, viros bonos pœnæ vitandæ causa imperium expetere; quemadmodum peritus gubernator in se pariter aliosque valde peccaturus esset, si formidabilem inter tempestatem ipse discursans inter vilioris ministerii nautas, imperitum aliquem sedere ad clavum pateretur. Nam qui viro sapienti rerum summam permittit, commu- Dio.
nis omnibus salutis auctor est; qui fatuo, communis perniciei. Alter, velut infanti aut furioso gladium permitteret, in quorumvis exitium eum armat; alter facultatem prudenti præstat, etiam amentes invitosque conservandi. Utrum horum sit præstabilius, neminem puto dubitaturum esse, etiamsi quod deterius esse constat, fortassis honestiore vocabulo donaretur. Ad res enim magis quam ad nomina respiciendum est decipi nolentibus; quemadmodum fideli medico non attendendum, quid insanientibus et mente captis verborum inter curationem excidat. Igitur neglecto imperitorum murmure, tibi dandam esse operam autumo, ut, plebis temeraria cohibita ferocia, sic omnia disponas, ne cujusquam otiosum et inutile reipublicæ bonum sit, sed sapientes consulant, boni duces imperent, pauperes ac robusti stipendium mereant. Sic mutua omnium opera communis felicitas parabitur, stabitque cum libertate, quantam esse in republica nostra expedit.

Digitized by Google

33. 'Absit enim ut nimiæ meræque dominationis tibi sim auctor; id neque sentire meum, neque facere tuum est. Hoc volo, ut cum optimatibus regimen obtineas in omnia: multitudo, sicut opus est non perituræ, juste ac utiliter imperantibus pareat. Hac enim ratione foris tuta, domi tranquilla respublica erit; cum operam dabis, ut neque faciat injuriam vulgus, neque patiatur. Nam ut in partem imperii veniat, neque ipsi utile, et reipublicæ indecorum est. Indecorum dixi! exitiosum poteram: et, ob hoc vitium, nisi te patriæ vindicem Dii commodassent, aut nulli essemus, aut hoc tempore, non dicam Antonio, sed externæ mulieri, sed regiis spadonibus Roma serviret. Hoc fieri non potuisset, nisi, propter nimiam potentiam vulgi, magistratus, imperia, sacerdotia mercede prostitissent, venalisque tota facta esset respublica. Hic igitur tot seditionum bellorumque fons, hic fomes fuit, quæ tot per annos imperium exederunt. Donec enim modica plebs, operique rustico ac bello intenta, tractari res civitatis senatus arbitrio tulit; et domi status optimus fuit, et omnis fere Italia sub ditionem jusque nostrum concessit. Postquam autem passim et emisimus colonias et recepimus, atque hæc Urbs quasi communis omnium gentium effecta est habitatio; factiones domi natæ eo processerunt, ut totus ferme terrarum orbis armorum nostrorum seditionumque tumultu conquassaretur. Unde mihi similis esse magnæ navi Roma videtur, quæ, varia repleta colluvie, nec idoneum habens gubernatorem, fluctuat, et modo aquis conflictatur, modo cautibus alliditur, interdum in syrtibus obhæret. Hanc tu, datus divinitus rector, si, quod absit omen, deserere decreris, actum est: neque procul a naufragio sumus. Quod igitur tibi gloriosum, reipublicæ salutare sit, suscipe supremum populi Romani regimen, aut potius olim susceptum tene. Nec enim opus est, ut quemadmodum hoc adipiscare deliberemus; nec, si me audis, an retinere debeas: quin id potius, quanam optima ratione præstantissimaque constituas imperium atque tuearis.

34. 'Nisi forte credis utile fore, deponi potentiam, quam ego rem ne tuto quidem fieri posse arbitrer. Iis

Digitized by Google

temporibus ad rempublicam accessisti, ut necessum tibi fuerit multos offendere: ea nunc quoque sunt tempora, ut multi cupidissime sint affectaturi quem reliqueris locum; et quia te incolumi hoc se perficere posse desperabunt, nihil prius, quam de tuo interitu deliberabitur. Igitur illorum odiis, horum cupiditatibus, nudum te exarmatumque objecturus es? Tanquam aut Pompeio bene cesserit relicta quam habebat in manibus potestas: aut Syllæ alia futura fortuna fuisset, nisi maturum fatum, vel etiam, ut nonnulli crediderunt, maturatum,[f] huic eum periculo exemisset. Attamen et vivus adhuc multa a se constituta negligi vidit, quædam et antiquari.

35. 'Sed judicabunt homines, te cupidine imperii actum, quicquid ausus es suscepisse.' Judicent autem. Id ego malim, quam tuo publicoque periculo suspicionem eam redimi. Quid enim? An non commune tibi hoc cum magnis viris, et propius honesto crimen erit? Plurisne fiat apud te quod homines imperiti aut maligni judicabunt, quam cujus ipse tibi es conscius, cujus testes nos habes, et alios consiliorum tuorum a principio participes? Certe enim, nisi fuisset a conjuratis occisus pater tuus, nisique deinceps Lepidi atque Antonii fuisses intemperie coactus; aut nunquam sumsisses arma, aut maturius posuisses.

36. 'His igitur difficillimis bellis, et virtute industriaque tua per tot discrimina rerum eluctatus, adversarios tuos omnes oppressisti; ceteros audientes dicto habes. Ecquid satis approbatum est, unum te esse dignissimum, penes quem imperium populi Romani sit, quod et a malis civibus, et a pugnacissimis hostibus summo consilio summaque constantia vindicasti? Sin vero Deorum magis eam gloriam quam tuam esse volumus; illos tibi mentem illam inspirasse; illos prudentiam, animum, denique fortunam dedisse, quibus hæc tanta perficeres: ecquem judicabimus principatu digniorem, quam cui Deos tam esse propitios

[f] *Maturatum*] Ipso Sylla sibi necem consciscente. Hoc diserte exprimit Dio, haud satis clare a Freinshemio redditum. Cujus tamen rei nullam usquam mentionem a quoquam alio factam meminimus. *Crev.*

Digitized by Google

faventesque tot documentis compertum est? Neque ad magnitudinem imperii expaveris: tanto plus ex sese tibi adjutorum, plus virium opumque dabit. Neque novus ad ejusmodi regendam molem accingeris. A multis annis Urbem Italiamque cum maximis provinciis obtinuisti: quibus temporibus inter infesta ac turbata omnia plus in his tuendis laboris ac curarum fuit, quam esse possit in universo gubernando imperio, postquam munere Deum, ac virtute tua, terras aliquando pax tamdiu desiderata respexit. Atque ut ista non me dicere magis, quam demonstrare, paratum putes, en etiam per partes præcipuas exequar, qua potissimum ratione singula sic constituas, ut appareat virum qualis tu es, citra maximas difficultates imperium recte ac salubriter administrare posse.

37. 'Igitur ante omnia senatum tibi repurgandum esse censeam, atque eliminanda dehonestamenta illa curiæ, quæ superiorum annorum calamitatibus irrepserunt. Quotquot autem bonos viros idoneosque repereris, eorum ne quem propter inopiam removeto: pecunias potius largitor, ut senatorium censum habeat. In vacantia vero loca optimum quemque ac nobilissimum non ex Urbe tantum aut Italia, sed etiam e provinciis leges.[s] Sic enim pauciioribus extra ordinem adjutoribus egebis, et omnium ferme gentium præstantissimos viros in uno velut theatro repositos habebis. Iidem tanquam fidei popularium obsides erunt: neque, his amotis, civitates eorum facile res novas agitabunt: et earum principes, tanquam communicata cum his republica, præcipua te fide ac benevolentia prosequentur.

38. 'Idem in equitibus faciendum reor, ut quicquid ubique genere, virtute, ac opibus, gradu isto dignum repereris, recipias. Neque numerum utrobique certum tibi

[s] *Sed etiam e provinciis leges*] Monebit infra Dio, c. 74. non omnia, quæ hic suadet Mæcenas, a Cæsare novata esse. Sic, qua de re hic agitur, de legendis e provinciis senatoribus non obsecutus est Mæcenati Cæsar. Vid. not. ad c. 67. l. CXXXIII. Immo et ex hoc loco, et ex compluribus aliis hujus orationis, suspicamur eam, magna saltem ex parte, a Dione affictam esse Mæcenati: et quidem haud satis perite, cum plurima sequentium temporum instituta, quæ suo ævo vigere Dio videbat, in hæc Mæcenatis consilia omnino improbabiliter transtulerit. *Crev.*

Digitized by Google

prestitueris, modo viros nanciscare locum ornaturos. Plurium ministeriis et facilius effeceris placita, et hanc excitabis apud omnes populos plenam humanitatis opinionem, non servorum loco provinciales a nobis, aut velut secundum hominum genus haberi, sed his quoque aditum ad rempublicam dari. Quæ res plurimum afferet momenti, ut eam amare pro communi, ac tueri summo studio incipiant. Et ne parum meditata temere effudisse videar, auctor etiam tibi fuero, omnibus qui sunt in orbe Romano civitatem communicandi,[h] ut hanc sibi Urbem veram atque unicam omnium patriam existiment, sua oppida tanquam agros vicosque hujus habeant. Qui tamen hujus liberalitatis modus, quodque tempus esse debeat, ne discrimina rerum omnium tollere videamur, paulo post accuratius exponam.

39. 'Illud moneri interest, neque minores octodecim annis inter equites ascribendos, neque inter senatores ante vicesimum quintum, videri. Nam prior illa ætas ad corporis robur, ingeniique vigorem ostendendum apta est; altera jam habere nonnihil prudentiæ debet: junioribus autem, cum suarum rerum administrationem jura nostra non concedant, quam deforme esset et ineptum, his rempublicam credi?

40. 'Prætorem ante tricesimum annum fieri non placet; nec nisi post quæsturæ et ædilitatis honorem, potestatemque tribunitiam gestam, in quibus animi sui morumque specimina edant. Præturam autem atque consulatum solis Romanis dari æquum arbitror; ut aliqua supersit veteris reipublicæ species, nec omnia prorsus flectere ad præsentem usum videamur. Horum comitia[i] in tua unius potestate sunto, ne factionibus aut ambitu turbentur. Ceterum in vetustis nominibus, ne potestatem eandem relinquas, summa tibi cautio erit. Honore servato, potentiam hactenus accides, ut, quantum ad dignitatem tuendam satis est, maneat; quod ad res novandas animos facere posset,

Tac. Ann. IV. 16. Dio.

Tac. Ann. I. 3. Dio.

[h] *Omnibus qui sunt in orbe Romano civitatem communicandi*] Longe ab hac mente abfuit Augustus, qui, teste Sueton. c. 40. 'civitatem Romanam parcissime dedit.' *Crev.*

[i] *Horum comitia*] De comitiis sub Augusto et Tiberio, vid. Tac. Ann. I. 15. et ibi Lipsium. *Crev.*

Digitized by Google

tollatur. Hoc ita maxime consequeris, si magistratum omnem in Urbe gerere præcipias: neque aut, inter illud tempus, aut, brevi deinceps intervallo, sed, quantum cuique congruere videbitur, exercitus eis committas. Sic enim interposito inter honorem et provinciam spatio, privatos agere condiscent: neque continuandis magistratibus atque imperiis ad audendum majora solicitabuntur. Hi, donec in magistratu agent, et ludos ex more curabunt, et causas quaslibet decident, excepto cædis judicio. Tunc enim ex senatoribus legendi judices erunt, equitibus etiam admixtis, ut tamen penes illos summa sit potestas.

41. 'Præfectus etiam Urbis [k] ex primariis viris creabitur, et tanto muneri longa rerum huc pertinentium experientia par. Nec enim sicuti nomen ei vetus, sic etiam potestatem dabimus; ut per absentiam tantummodo magistratuum, sed perpetua solicitudine tum ceteris urbanis negotiis præsit, tum etiam causas potiores quasque dijudicet. Nam et ad hunc a magistratibus erit provocatio, et capitales causæ, tam intra Urbem, quam ad centena millia passuum [l] ad hujus animadversionem pertinebunt. Alius itidem ex summatibus deligatur, huic honore proximus, qui senatorum atque equitum genus, substantiam, moresque observet; nec ipsorum modo, sed conjugum quoque liberorumque ac familiæ. Huic corrigendi potestas dabitur, quæcumque erunt ita comparata, ut neque gravi animadversione digna sint, et tamen neglecta magnorum malorum materiam gignant. Idem, si quid majoris inciderit rei, ad te referat. Hunc, a tua censura (censura enim ad te pertinere omnino debebit) nomine deducto, fortassis haud inepte succensorem [m] appellaverimus. Hos duos nihil vetabit perpetuam habere potestatem: nec enim

L. 1. ff. de Offic. Præf. Urb.

[k] *Præfectus ... Urbis*] De præfectura Urbis vid. Tac. VI. Annal. 11. *Crev.*

[l] *Ad centena millia passuum*] Dio potestatem præfecti Urbis definit stadiis ab Urbe 650. seu passuum paulo plus octoginta millibus. Sed l. 1. ff. de Offic. Præf. Urbis, ad centum passuum millia ab Urbe res producitur, quæ efficiunt leucas nostrates plus 33. Et ad eam mensuram videtur emendandus hic Dionis locus, cum idem scriptor paulo infra, Italiæ quicquid ab Urbe septingentis et quinquaginta stadiis, id est, quatuor fere et nonaginta passuum millibus, distat, dividi voluisse Mæcenatem dicat in regiones, quibus curandis alii magistratus præficerentur. Ibi enim debet inci-

Digitized by Google

timendi erunt, inermis alter prorsus, alter parva militum instructus manu, et plerumque sub oculis tuis agens.

42. 'De provinciis porro ita constituendum arbitror. Quicquid Italiæ plus centum milliaribus ab Urbe disjungitur, ceteramque omnem imperii molem, secundum nationes divide in ejusmodi particulas, quibus vir unus præesse commode queat. In unaquaque portione militum, quem volueris, numerum colloca. Consularis unus, prætorii duo præficiantur. Horum junior, et tum primum ab Urbe ad hujusmodi negotia missus, desideria privatorum audiat, rebusque necessariis parandis occupetur: alter, hoc jam officio alicubi functus, civitatum rempublicam procuret, et in milites potestatem obtineat; exceptis causis ex quibus infamiam irrogari, aut mortem, oporteat. Nam istas quidem ad consularem referri consultius erit. Ne has quidem promiscue consulari[2] permiseris. Centurionum atque adeo etiam ex provincialibus honestiorum pœnas tibi reserva: ut nemini præterea concessum in se jus cernentes, te unum et diligant tanto impensius, et metuant.

43. 'Ceterum quæ de dividendo inter prætorios officio proposui, iis tantum locis esse rata velim, ubi non magna simul manus militum in hybernis erit. At si forte duæ legiones civium una habebuntur, (plures enim nemini uni consularium credideris,) tum vero suæ quisque legioni præsit; et ceterarum quoque rerum administrationem ex æquo partiantur. Ab ipsis autem ad consularem erit provocatio. Neque miratus fueris, cur Italiam tot in partes dividendam existimem. Amplissima regio, urbibusque et hominibus referta, per hos magistratus, qui Romæ degent, coërceri nequit. Convenit enim præsentem esse, quisquis regit, ut quæ tempus postulet, præcipiat. Omnibus autem his, quos extra Urbem præficies, mercedem constitues pro modo dignitatis. Nec enim degere peregre ex suis facultatibus poterunt: nec infini-

2 *Prætorio* edd. ante Crev.

pere illorum magistratuum potestas, ubi præfecti Urbis finitur. *Crev.*

[m] *Succensorem*] Hujus succensoris nullam aliam a quoquam scriptore mentionem factam esse novimus. *Crev.*

Digitized by Google

tos illis concedi sumtus e provinciis, ut nunc fit, æquum est.

44. ‘ Earum curationum nulla vel brevior sit triennio, vel quinquennio longior. Qui citius removentur, vix addiscere partes officii sui possunt: et successores ferme priorum instituta commutant, consilia nesciunt, mores ac ingenium hominum atque regionum ignorant. At diuturniora imperia superbiam multis ingenerant, et impatientiam æqui loci: et quidam hinc plusquam civilia cogitare didicerunt. Unde neque majora imperia eidem continua duo permittenda esse censeam, etiamsi diversis in provinciis fiat. Præstat enim tempus aliquod interponi, quo reversis in Urbem detumeat animus, et inter æquales versando loci sui admoneantur. Hæc de senatoribus animadversa mihi sunt.

45. ‘ Ex equestri ordine duos tibi viros strenuos deliges, prætoriis cohortibus præficiendos: nam uni tantum armatorum committere periculo non vacat; pluribus, importunum esset, et obnoxium rixæ. Duo igitur sunto, hanc etiam ob utilitatem, ut, si alter forte morbo attineatur, non desit tamen idoneus corporis tui custos. Sint autem multorum stipendiorum, atque rerum etiam aliarum curationibus exerciti. His et prætoriani pareant, et quicquid præterea militum per Italiam erit; suppliciorum etiam jure permisso, præterquam in centuriones. Ab eorum etiam potestate eximetur, quicquid militum senatoriis magistratibus tributum est: quibus in suos liberum pœnarum præmiorumque arbitrium concesseris. In ceteros igitur milites præfectorum imperium erit; atque etiam in procuratores tuos, atque alios paulo honestiores. Vicarios his addi necessum erit, ne mole negotiorum prægraventur. Præfecturam autem illam perpetuam esse oportebit. Nec enim tantis opibus quisquam ejus loci esse poterit, ut inter tot nobiles imperium speret: et, quia perpetuo sub oculis tuis aget, ne cogitare quidem aliquid tale tuto queat. Ex eodem ordine splendidissimum post priores duos equitem, præfectum vigilum constitues; ei deinde proximum, annonæ. Atque hæ curationes iisdem finibus temporum, quibus senatoriæ, cohibebuntur.

46. ‘ Ærarii quoque fiscique præfectos equester ordo

Digitized by Google

tibi dabit;[a] qui rei pecuniariæ in Urbe et per Italiam præsint. His etiam congruum functioni cujusque stipendium numerari conveniet. Cum enim minor sit his senatorio census, ne in Urbe quidem publicæ alicui functioni vacare familiaribus impensis poterunt. Neque hos facere sumtus te pigeat. Alias enim eisdem et exercitus et pecunias committi opus esset, rem nec facilem factu, nec ex utilitate tua futuram; et pauciores haberes negotiorum peritos. Nunc, ubi inciderit usus, ex affluente copia deligere magis idoneos licebit. Accedit, quod inde pluribus eris carior, tanquam multa commentus, per quæ publica opulentia in majorem partem civium uberioribus rivis profluat. Ceterum, sicut Romæ nec ærarium nec fiscus plures singulis præfectos desiderabit; sic etiam in unaquaque provincia unus ex equestri ordine fiat: sed ut his deinde adjungantur ex equitibus ac libertis tuis, quot opus esse existimabitur. Nam et libertos his functionibus adhiberi proderit: quo et fidei suæ operæque præmium auferant, et habeas ex quibus vel invitis, si quid peccatum fuerit, liceat tibi cognoscere. Qui autem equitum per multa ministeria publice dignos se curia probarint, in senatum legantur. Etiam ex his, qui ordines duxerint in legionibus, si mereantur, in amplissimum ordinem recipi utile fuerit: modo ne inter manipulares stipendia fecerint. Id enim probrosum summo imperii consilio videbitur. Sed qui primo statim stipendio centuriones facti sunt, eorum præstantissimum quemque patribus inseri nihil prohibebit.

47. ‘Porro tam senatorum quam equitum liberos in pueritia frequentare ludum literarium coges: dein adolescentiam egressos equis armisque docendos curabis: et utrumque genus magistri publico stipendio conducentur. Sic a teneris annis ea discentes ac exercentes, quæ viris erunt tractanda, tibi ad omnes usus aptiores atque paratiores erunt. Magnum enim et salutarem civitati princi-

[a] *Ærarii ... præfectos equester ordo tibi dabit*] Varie habitam sub Augusto et ejus successoribus ærarii curam docet Tacitus, XIII. Ann. 29. cui addere licet Lipsium in excursu ad eum ipsum Taciti locum. Sed in illa, quæ magna fuit varietate, nullum habet locum equester ordo. *Crev.*

Digitized by Google

pem, non operam modo dare convenit, ut ipse sit optimus; sed etiam providere, ut cives optimos efficiat. Hoc autem, prospiciendo potius ne peccetur, et officium eos suum ante edocendo, quam puniendo quos peccare siveris, obtineas. Neque patiaris quenquam generis, opum, aliusve cujuslibet præstantiæ obtentu se huic disciplinæ subducere. Continuo enim in socordiam mollitiemque fluent; aut ad parum liberales artes otium ingeniumque conferent.

48. ‘ Id vero ne eveniat, etiam atque etiam tibi allaborandum est. Nam illos quidem misericordia sequetur, tanquam invidiam aut periculum fugientes ex bonis artibus, ignaviam pro scuto arripuerint: at tibi cum impedimentum inde bonorum virorum copia carituro, tum etiam infamia proveniet; tanquam ignaro quemadmodum præesse liberis hominibus oporteat, et, (quæ tyrannorum amentia est,) cives magis quam hostes timenti. Nam et, si quid metuendum in civitate erit, ab his potius proficiscetur, qui rudes bonarum artium et intemperantiæ dediti, nec sui nec aliorum habere rationem ullam didicerunt. At bene atque liberaliter educati edoctique neminem afficere injuria velint; omnium autem minime illum, quem sibi tam præclaræ institutionis auctorem extitisse norint. Quod si forte naturæ pravitas in quibusdam educationis curam vicerit; his nihil earum rerum, quibus abuti ad scelus possint, committetur. Qui vero ne sic quidem quieverit, ferociam, quam disciplina noluit, supplicio ponat: quod citra tuam invidiam intrepide irrogabis. Nec enim principi, ut medico, vitio vertitur, si recidat quicquid insanabile et corpus contagio infecturum deprehenderit. Illum potius onerabit omnium indignatio, qui similiter atque ceteri educatus, tantum et a bona mente, et a modestia ceterorum desciverit. Sed de senatoribus et equitibus hactenus.

49. ‘ Ad milites transeo, quos tibi perpetuo retinendos esse sub signis autumo, per provincias æstivis hybernisque constitutis, ut cujusque loci conditio hortabitur. His certum stipendiorum numerum definies, ut eis aliqua pars ætatis vacua labore post missionem supersit. Sed ex sociis etiam ac provinciis auxilia delecta nostris legi-

Digitized by Google

onibus adjunges, quæ parata sint ad quoslibet usus. Nec enim in ipso bellorum discrimine facile nobis erit auxilia contrahere, qui et provincias longe distantes, et vicinos hostes habeamus: neque consultum sit armorum usum omnibus promiscue concedere, ne ad seditiones atque intestina bella abutantur. Sin autem armorum tractatione simul omnibus interdicitur, imbelle atque imperitum vulgus auxilia imperantibus mittent.

50. ‘ Utilissimum igitur erit ex omni numero deligi robore corporis validos, facultatum inopes; atque hos exerceri in armis, reliquis omnibus militiæ vacationem dari. Ita et belli et pacis artes melius excolentur, divisis inter cives officiis, et, quam quisque Spartam nactus fuerit, continenter ornaturo. Hinc eveniet, ut pars hominum ferocior, et latrociniis propter audaciam et inopiam dedita, citra cujusquam injuriam alatur; et ceteris non ab his securitas modo sit, sed etiam adversus externos hostes præsidium.

51. ‘ Jam pridem sentio te expectare, quos sim ostensurus reditus, immanibus expensis pares. Idcirco mihi præfandum hoc loco est, nullam reipublicæ formam carere pecunia posse, quin ad omnia, quæ agenda sunt, his veluti nervis moveatur: ne principatus unius hæc esse putetur, aut præcipua invidia. Ceterum hic quoque partim fortuna tua providit, partim providebitur industria. Multæ sunt ex omnibus superioribus bellis possessiones publicæ. Ex his sepone paucas maximi usus futuras: ceteras venire jube. Pecuniam æquo fœnore crede his qui cavere populo poterunt. Sic et terra gnaviter exculta dominis prædiorum præsentibus, abundantiores ac perennes reipublicæ fructus afferet: et ex fœnore non aspernanda summa proveniet. Ante omnia vero tum horum redituum, tum eorum etiam qui ex metallis aut undeunde[3] percipi constanter solent, ineunda ratio est: pari deinde subtilitate indagandum, quid in omnis generis erogationes atque necessitates expendi, aut ad incertos subitosque casus præparari oporteat. Sic enim sciri ferme poterit,

Tac. Ann. VI. 17. Dio.

3 *Aut unde percipi* edd. ante Crev.

Digitized by Google

quantum adhuc super ordinarios proventus ex tributis atque vectigalibus conficiendum sit pecuniæ.

52. ‘ Atque id quidem contrahere nec operis magni, nec criminis fuerit: si simpliciter in omnes patrimonii partes, quæ fructum possessoribus afferunt, pensionem imponamus omnibus hominibus. Quæ enim invidia est, omnes et privatos et populos conferre, unde rediturus ad omnes salutis atque incolumitatis fructus est? Ubivis autem constituentur, qui statis temporibus debita per partes exigant. Ea res et his faciliorem officii sui functionem efficiet, et debitoribus proderit, ne, aliquamdiu non compellati, simul multa tempore alieno cogantur exsolvere. Neque me fugit, omnino futurum, ut principio moleste multi tributa ferant. Ceterum, cum se nullo alio onere gravari, et hac impensa pacem publicam, ceterorumque bonorum suorum securam[4] fruitionem redimi sentient, sine murmure hæc præstabunt, et insuper gratias agent: præcipue quoniam honestissimi quique per varias præfecturas aut magistratus militiamve, stipendii nomine, pecunias a te accipient. Ubi vero te temperanter etiam vivere, privatimque parcum, publice liberalem videbunt; nemo tam erit bonæ mentis inops, quin lubenti animo tali principi tributa pendat, cujus in opibus suam sitam esse securitatem, suam copiam intelliget.

53. ‘ Sic igitur coacta, quanta opus erit, pecunia, non omnia necessitatibus tantum publicis, sed etiam ornamentis decorique insumes. Urbs tibi præcipue cum ædificiorum magnificentia, tum ludorum, celebrabitur. Nam dominos tot gentium omnibus rebus exsuperare ceteros convenit: atque hæc quoque in speciem inania habent aliquid, quod in mentibus sociorum reverentiam, apud hostes terrorem excitet.

54. ‘ Ita domi constituta republica, ceteris nationibus optime moderaberis, si nulla populorum consilia, nullos conventus publicos esse patiaris. Hinc enim neque boni quicquam expectandum erit usquam, et subinde turbarum aliquid ac motus orietur. Id minus ægre ferent, si ne

4 *Tantam* edd. ante Crev.

Digitized by Google

Romanum quidem populum ad ullam consultationem publicam vocari cognoverint. Prohibenda etiam erit ædificandi cupiditas, ne plura aut sumtuosiora, quam sit opus, excitent. Neque in ludorum impensas ferri debebit apud hos ulla profusio, ne per inanium rerum studia et futilem ambitionem in rixas aut paupertatem incidant. Celebrent sane ludos quosdam ac spectacula, exceptis in nostrum morem equestribus: sed hactenus, ne aut respublicæ aut privatæ domus detrimentum sentiant; aut peregrinus aliquis apud eos quicquam hoc nomine sumtuum faciat; aut omnibus ludis victores promiscue perpetua alimenta accipiant. Nam locupletes extra patriam suam aliquid impendere cogi iniquum est: et certantibus sufficere debent præmia, quæ ubivis locorum constituta sunt: præterquam si qui Olympia aut Pythia, aut hoc genus celebre certamen vicerit. Hos enim solos alimenta capere fas esto: ne civitates frustra sumtibus onerentur. Neque homines nisi præstantissimi quique exerceantur, ceteris in alia sibi et publico utiliora tempus impensuris. Circenses autem nulli aliarum urbium permittendos censeo, ne magna vis pecuniæ nequicquam insumatur, et aurigarum studiis homines insaniant; maxime vero, ne optimi quique equi usibus bellicis subducantur. Numisma mensurasque et pondera seorsim habere neminem sinito. Romanis utuntor.

55. ‘ Ad te legationes, nisi res cognitione tua digna inciderit, ne mittant: aut ad proconsulem, aut legatum desideria sua deferant, atque is æstimet, de quibus rebus ad te referre debeat. Hac ratione simul et sumtibus parcetur, et malis artibus ibitur obviam; responsaque gratis et citra ambitum auferentur. In reliquis ita mihi videberis optime consulturus, si regum nationumque legatos primum in curiam introducas, (nam et alioquin magnificum erit, senatum rerum omnium arbitrum videri; et inique agentibus multos resistere,) deinde quicquid agendum erit secundum leges, ex senatus auctoritate fiat. Sic enim et dignitas imperii servabitur; et planum erit omnibus certumque, te, quicquid statueris, ex præscripto legum statuisse.

56. ‘ Sed et senatores conjugesque eorum aut liberos,

Digitized by Google

qui majore quadam animadversione digna commisisse dicentur, ad senatus cognitionem adduces, eique rem integram committes. Nec enim verendum erit, ne cujusquam gratiam tuæ anteferant patres: et, ipsis in noxios vindicantibus, hi citra tuam invidiam punientur; et alii, ne et ipsi publico senatus judicio exponantur, tanto diligentius flagitio abstinebunt. Hæc autem de his criminibus me sentire memineris, de quibus introducta legibus judicia exerceri consueverunt. Nam, si quis in te forsitan aliquid inclementius dixisse aut contumeliosius arguatur, id neque si deferatur audiendum, neque ullo modo vindicandum aio. Hæc talia ad animum admittere, male imperantium est, qui dicta possunt credere, quæ dici in se merito posse sentiunt. Conscium bene gestæ reipublicæ magno esse animo decet, nec aut credere falsis horum criminum indiciis, aut veris commoveri. Nam et qui hæc impatienter ferunt, nudum præbent maledicis latus, efficiuntque ut hos delectet rumusculos spargere, quos tibi dolori futuros esse confidant. Te vero sublimiorem omni verborum contumelia videri refert. Ne itaque aut in animo tuo concipias hanc opinionem, aut aliis concipiendi causam præbeas, ullius te immodestia peti posse: ut assuescant homines idem de te sentire, quod de Diis immortalibus sentiunt; augustum te atque venerandum esse.

57. ‘ Sin vero tibi quis insidias struxisse dicatur, (nam et hoc evenire potest,) in tua causa judex idem et accusator esse noli: hoc enim recta ratio repudiat: sed in senatu cognosci jube, convictumque puni, sed quam poteris mansuetissime. Sic enim persuaseris omnibus, te non ab ira aut odio in hostes animadvertere, si contanter et invito simillimus ad vindictam prodeas, neque cupide in quenquam, aut crudeliter consulas. Fictum enim alias crimen putabunt propter occultas causas: nec enim probabile est, quenquam inermem armato insidias struere. Diversa erit exercitus obtinentium causa: horum enim quisquis insurgere in te conabitur, non judicio, sed armis, professi hostis instar, percellendus est. Hæc igitur, et ceterorum plurima et maxima publicorum negotiorum senatui trade. Communia enim communiter tractari est

Digitized by Google

æquius: et multiplicem humanitas ea tibi fructum afferet. Jam primum magna parte molestiæ, quæ propter multitudinem rerum imperantes premit, te exoneraveris, deinde magnam ab his inibis gratiam: insitum enim hoc est homini, si fastigio potentioris specie quadam æquati juris se videat admoveri. Postremo, quod ita statuetur, tanquam sua decreta, tuebuntur ac defendent.

58. 'De his igitur omnibus referendum ad senatum arbitror, sententiæque dicendæ fieri potestatem omnibus, qui unoquoque tempore aderunt: præterquam si causam dicat ædilitius aliquis, aut eo majoribus honoribus functus: tum enim inferioris dignitatis nemini de hoc sententiam ferre liceat, sed his tantummodo, qui eundem atque reus, aut hoc ampliorem magistratum gesserint. Ab omnibus autem majoribus magistratibus præfectisque, ubiubi erunt, ad te provocatio esto: neque eorum quisquam summa et absoluta cum potestate judicet. Sed nec quibuslibet appellare liceat, nec ob quælibet; verum ea tantummodo, quæ ad vitam famamve Romanorum equitum, aut centurionum, et ex paganis atque provincialibus honestissimi cujusque, pertinebunt. Assessores autem adhibebis ex patribus et equite præcipuos, consulares etiam ac prætorios: nec eosdem semper, sed alios aliosque. Nam hoc pacto, multorum ingenio moribusque cognitis, rectius deinceps, cui quisque administrationi sit idoneus, æstimabis: et illi vicissim tua consilia atque instituta noscentes, ad impositas sibi functiones instructiores erunt. Sententias autem non palam, in causis utique difficilioribus, perroga; ne fortassis antecedentium placita sequenda putent, qui postea rogabuntur; sed tabellis inscribi jube, quas solus legas, lectasque continuo delendas cures. Sic enim nemo sententiam suam simpliciter aperire verebitur, si videat nullius eam taxationi obnoxiam fore.

59. 'Ceterum ad judicia, ad epistolas, ad urbium decreta, ad desideria singulorum, ad reliqua deinceps, quorum imperanti sustinenda solicitudo est, equitum Romanorum operam atque ministerium adhibebis. Id ad negotiorum celeriorem expeditionem plurimum proderit: præterea multorum memoria et attentione subnixus, et

Digitized by Google

falleris minus, et fatigaberis. In primis autem cura, ut, quicumque tibi consilium dare cupit, id sibi licere secure atque libere facere intelligat. Nam sive recta suadere videatur, maximam hinc utilitatem ceperis; sive secus, nihil tamen perveniet ad te detrimenti. Bonis consiliis apud te honos et gratia esto: ineptis contra et fatuis, modo prava mens abfuerit, offensa etiam et ignominia absit: nec quid suaserint magis, quam quo animo suaserint, respicito. Eadem etiam in ducibus moderatione erit opus; ne fortunæ eorum irasci, ne virtuti invidere videaris. Valde enim infringi animos, titubare consilia necessum est, ex adversis rebus pœnam timentium, ex prosperis invidiam.

60. ‘Quod autem ab his quos magnis rebus præficies verbo factoque præferri volueris, id tu prior dictitare atque factitare consuesce. Deterior enim officii magister metus legum, quam exemplum imperantis est: neque satis credunt homines vitari debere, quæ fieri ab his videant, qui prohibuerunt. Hanc igitur tibi legem dicito, nihil inconsulto neque loquendum tibi, neque agendum esse: nullius delicti veniam tibi dato, memor vivere te in clarissima luce summi imperii, ac velut in communi terrarum orbis theatro: ut impetrari nequeat, quin facta dictaque tua omnia excipiantur producanturque, nec tuum quicquam, sive sit laudabile, sive reprehendendum, lateat. Quicquid enim ages, magna circum erit hominum frequentia. Quin et secretiora principum, ac interiorem vitam rimari curiosa mortalium satagit indoles. Ergo ubi semel alia te præcipere, alia facere sentient, jam haud perinde præcepta tua metuent, quam facta imitabuntur. Aliorum autem vitam introspicere tibi conveniet. Ne tamen molestius inquiras, neve quid, te solo teste aut quæsitore, vindices: dissimula potius, nisi ad periculum reipublicæ spectet. Hæc enim talia omnino tibi eruenda atque coërcenda sunt.

61. ‘Privata autem cujusque peccata te quidem non ignorare intererit, ne deceptus ineptum aliquem cuivis administrationi admoveas: produci autem atque coargui non attinebit. Neque vero in hac imbecillitate naturæ

Digitized by Google

quenquam ferme carentem vitio repereris: quæ nec puniri propter multitudinem delinquentium poterunt; et æquitatem jusque bene temperando multi fortassis meliores ad mores revocabuntur. Lex enim utcumque graves constituat pœnas, emendare naturam non ubique potest; et tollere malos ei, quam efficere bonos, multo est proclivius. At illa quam præcipio lenitas incidere in talia ingenia potest, quæ latere vitia sua existimando, aut etiam moderate castigata sentiendo, iterum peccare pudeat: eadem, publicatis delictis suis, aut acerbius punitis, verecundiam metumque abjiciant, et tanquam gravius nihil passura, frænum cupiditatibus laxent. Hac ego te moderatione circa delicta hominum versari, at eundem in ornandis recte factis immodicum profusumque volo. Nam ut ibi mansuetudine tua quosdam a peccando avocabis, ita hic omnes ad officii virtutisque curam beneficiorum magnitudine pertrahes. Neque vereare, ne, quando te pecuniæ deficiant, aut alia, unde benefacias, (qui enim possint tot terrarum atque marium imperatorem? et ego ante timuerim ne desint digni quibus des) aut ne[5] malam tibi gratiam sic habiti referant. Nullum enim tam agreste ac ferum est ingenium, quod non, ut alia vincula spreverit, duobus his sit domabile: si nempe nec injuriam patiatur, et beneficia sentiat. Propemodum exegisse videor, qualem adversus varia ceterorum genera te gerere debeas: reliquum est ut edisseram, quemadmodum versandum in his, quæ ad te pertinent, sentiam.

62. 'In universum recipere nullos honores a senatu aut quibuscumque delatos debes, qui verbis aut rebus aliquid habeant insolitæ arrogantiæ. Nam ceteris quidem a te profecti honores ornamento sunt: tibi vero quid dari potest iis quæ habes augustius? Quin et adulationis suspicionem vix effugit, quicquid imperanti decernitur. Nec enim aliter decreturos fuisse creditur: eodemque rem redire, atque si sibi ipsi princeps ista gratificetur, non modo nullum inde relaturus decus, sed ludibrium ultro debiturus. Tu vero egregiis factis augere famam memen-

5 *Neque ut* pro *aut ne* legebatur ante Crev.

Digitized by Google

to: statuas vel aureas vel argenteas poni veta. Magnam enim illæ impensam postulant, et, ubi vixeris, avaritia aut necessitate superstitum conflabuntur. Tuum opus sit benefaciendo tibi in animis tuorum pulcherrimas fabricare imagines, quas nulla aut hominum aut temporum injuria corrumpat.

63. 'Sed neque templum exstrui tibi sine: præstat in res necessarias ejusmodi sumtus comparcere. Magnas enim divitias rectius, pauca erogando, quam multa accipiendo paraveris. Sed neque divitiæ gloriam hominibus, quin immo virtus conciliat: quæ multos in par Diis fastigium reposuit. At suffragiis mortalium Deus nemo factus est. Igitur recte atque ordine imperanti totus orbis sacer erit, omnes urbes templa, omnes homines simulacra. Nam ipsorum in mentibus cum gloria collocaberis. Secus autem utentes potentia, nec honestant talia, licet omnibus in populis ponantur: sed eorum augent crimina, quod tanquam tropæa quædam improbitatis eorum, et monumenta injustitiæ aspiciuntur: et, quanto diutius extant, tanto longiorem ipsorum efficiunt infamiam.

64. 'Ergo si tibi veram immortalitatem proponis animo, et quæ dicta sunt hunc ad modum perfice; divinumque numen, semper et ubique, secundum patrios mores cole; aliosque, ut ita colant, adige: novatores autem odio habe ac puni, non solum propter Deos, quos qui spernunt, aliorum etiam contemtores esse necessum est; sed quia, nova introducentes, multis ad peregrinos desciscendi ritus occasionem præbent. Atqui ea licentia conjurationes, coitionesque, et sodalitia procreat, res unius imperio mirum quantum inimicas. Sed neque Deos esse negantem ullum, neque præstigiatorem toleraveris. Nam neque divinatio tollenda est; immo constituendi augures et haruspices, qui a volentibus consulantur. Magos autem penitus exesse oportebit. Id enim genus, aliquando vera, sæpius falsa respondentes, ad rerum novarum cupidinem multorum animos erigunt. Quin et philosophos simulantium haud pauci eadem tentant: unde et illos quoque tibi cavendos esse judico. Nam si Areum et Athenodorum bonos ac honestos viros comperisti, ne ideo similes his

Digitized by Google

credas quotquot sapientiæ studium profitentur, multorum sæpe malorum et privatis et civitatibus auctores.

65. ‘ Externos quod attinet, pacis te cupidissimum esse volo, contentumque præsentibus, sed eundem ad bella paratissimum. Ita neque temere tibi quisquam ausit inferre injuriam: et inferentem sine molestia tua et mora ulcisceris. At quoniam habere tibi necessum est emissarios atque indices omnium, quæ ulla in parte imperii tui remedium postulant, ne ignorata neglectaque damnum dent aut accipiant; his non esse credenda omnia memento. Odiis, amicitiis, gratia, pecunia, aut, si negentur hæc petentibus, offensa, sæpe innocentes deferent, aut indignis patrocinabuntur. Adversus horum insidias nullum erit telum contatione utilius. Nam etiam vera tarde credenti nullum insigne detrimentum eveniet: festinantem, ea facere continget, quibus deinde, quantumvis optes, mederi nequeas.

66. ‘ In pretio equidem apud te esse libertorum tuorum ceterorumque domesticorum optimum, et fas, et opus est; eaque res tibi cum ornatui, tum emolumento erit. Ceterum nemini tam prægravis potentia esto, ut per ejus licentiam aut luxuriem tu reprehensionibus obnoxius vivas. Omnium enim, quæ illi fecerint, penes te aut laus aut culpa residebit: quod nihil ab his fieri existimabitur, quam quod tibi probari intellexerint. Potentissimos igitur eorum, neque injuriam facere cuiquam, neque calumniam, sine: ac eos hoc etiam crimine libera, ne, tametsi non noceant, nocere tamen posse existimentur. Tenuiorum injurias summis viribus defende: querelis tamen eorum fidem adhibere ne propera, sed rem ipsam attentius scrutare, neque suspicionibus indulgens in potentiorem, neque in humilem misericordiæ. Ex omni autem hominum genere bono atque utili operi intentos honora: inertes, aut pravam industriam exercentes odio habe. Sic ad illa præmio invitati, ab his pœna deterriti, et rem familiarem curabunt melius, et tibi publicis in necessitatibus utiliores erunt. Pulchrum etiam erit privatorum minui lites, easque quam celerrime componi: honestissimum autem, populorum compescere impetum, et quoties forte pro im-

Digitized by Google

perii salute ac fortuna suscipiendis votis, aliquos facere quid aut impendere præter vires cogunt, id inhibere. Simultates autem eorum et æmulationes prorsus exscindendæ sunt, neque sinendum, aut cognomina nova, aut aliud quid ad discordias commovendas idoneum.

67. ‘ Facillime vero in his et aliis obsequium tibi privatim publiceque præstabitur ab omnibus, modo nemini veniam constituta tua transgrediendi unquam dederis. Nihil enim æque dissolvere natum est etiam bene apta atque coalita, atque hæc inæqualitas. Immo ne rogari quidem patere, quod concedere nolis. Sed hoc ipsum gnaviter tenere pugna, ne quisquam quicquam rogare ausit eorum, quæ prohibueris. In omnibus autem negotiis tibi consulo non abuti potestate, nec imminutionem putare imperii, nisi semel omnia simpliciter quæ possis, et facias: sed, quo tibi expeditius est agere quicquid velis, eo diligentius expende, quid fieri deceat, semperque rationem a te factorum repete, recte an secus egeris; et qualia facta hominum amor, qualia reprehensio sequatur, ut ista facias, hæc vites. Non enim quia nemo te ad judicium vocat, idcirco existimabis licere tibi, quicquid libeat: nec expectes donec ita aliquis insaniat, ut palam tua tibi vitia exprobret. Id enim vix quisquam, etiam intolerabili affectus injuria, fecerit. Contra enim est, et plerique post injuriam gratias agunt potentiori, nihil æque caventes, quam ne succensere videantur. Sed principem animos suorum non tam ex verbis cujusque æstimare convenit, quam ex reputatione eorum, quæ penitus eum sentire sit probabile.

68. ‘ Hæc agere te pervelim nimirum, Cæsar, atque his similia. Multa enim præterii, quod cuncta simul uno sermone comprehendi non poterant. At unum in quo censeas esse omnia, quæque dicta, quæque prætermissa sunt, subjiciam: si qualia ab aliis fieri velis, ipse sponte facias, neque peccabis in ulla re, et omnia recte ac prospere geres. Hæc erit jucundissima eadem atque tutissima regnandi ratio. Qui enim fieri possit, quin te omnes ut patrem et servatorem intueantur ac diligant, si te viderint modestum, integrum, bellicosum, pacificum, non contumeliosum, non avarum, et in tanta potentia civiliter viventem? Quis enim ferat incubantem divitiis, atque ab aliis

Digitized by Google

exigentem tributa? Voluptatibus deditum, at aliis labores injungentem ac molestias?

69. 'Hæc si præstiteris, in tua innocentia maximum habebis præsidium securitatis: nec succensebit tibi quisquam, crede mihi, nec insidiabitur. Hæc autem ubi obtinueris, beate ut vivas necessum erit. Quid enim suavius, quam per virtutem omnium humanorum bonorum fruitionem adeptum, ea dilargiri aliis etiam posse? Hæc igitur, et quæ dixi cetera, tecum ruminatus, sequere sententiam meam, neque fortunam, quæ te ex omnibus delectum summæ rerum imposuit, abaliena. Si vero tibi regis appellatio Romanis odiosa displicet, vim amplexus, sub nomine Cæsaris eadem omnia ages. Aut si aliud mavis, id quoque dabitur, sive imperatoris, quod prius est delatum patri tuo, sive quodlibet aliud ita comparatum, ut aliquo vocabulo ceteras potestates præmineas; regni omnibus bonis, citra invidiosum ejus nomen, potiaris.' Ubi finem dicendi Mæcenas fecit, actis utrique gratiis Cæsar, quod accurate libereque dixissent sententiam, se consideraturum ostendit.

70. Eo tempore P. Maronem poëtam, per Mæcenatis commendationem inter familiares Cæsaris receptum, interrogatum ab eo inter diversas sententias fluctuante, 'expediatne privato rempublicam occupare, si casus detur?' aiunt hunc in sensum respondisse: 'Quicumque hactenus Romæ rerum potiti sunt, ita se gesserunt, ut seque et cives magno in timore vivere, perpetuisque suspicionibus, cogerent. At si quis exoriretur et gratus a principio civibus, et quem sibi juste præfuturum confiderent; ejus imperium ipsi populoque perinde jucundum ac salubre fuerit. Tu igitur si, quemadmodum instituisti, justitiam atque liberalitatem constanter amplecteris, te dominari et tibi conducet et orbi.' Virgil. Vit.

71. Sane sunt qui tum, propter auctoris obscuritatem, ista rejiciant, tum quia nimis absurdum putant, de tantis rebus requisitam poëtæ sententiam credi. Sed ille, quisquis est, Virgilianæ vitæ scriptor, non finxisse hæc,° ve-

° *Sed ille . . . scriptor, non finxisse hæc*] Vix cuiquam hoc persuaserit Freinshemius, ut de re tam singulari et inaudita scrip-

Digitized by Google

rum ab antiquioribus tradita narrare videtur: et qui Magno Alexandro assidui consiliarii vicem Homeri opera circumgestata meminerunt, non admodum mirabuntur Virgilium Augusto, qui neque se infra Alexandrum forte, neque Romanum vatem infra Homeri gloriam poneret, idoneum visum, cujus sententiam in re difficili exquireret: fœcundo ingenio virum, et acri perpetuaque meditatione rerum humanarum exacti judicii: quod usus etiam, multa videndo ac audiendo quotidie, multa legendo, confirmaret.

Macrob. Sat. I. 24.

72. Ex quibus historiarum maxime lectio quantum valeat, imperatoris Alexandri consuetudo declaravit, qui ad deliberationem de re militari literatos etiam, in primis qui historiam norant, utiliter adhibere consuevit. Non tempero mihi, quin fide minime incerti auctoris, non abhorrens præsentibus exemplum ex recentiori ætate ascribam.

Lamprid. Alex. Sev. 16.

73. Avorum memoria Brissacus, Gallicæ militiæ magister, præceptorem liberorum Buchananum poëtam habuit. Accidit ut, consilium de rebus bellicis agente Brissaco, Buchananus in contiguum ei loco cœnaculum, nescio quid imperaturus famulis, descenderet. Ibi forte verbis aliquot exceptis, nutu atque murmure sententiam repudiabat, quæ tum communi omnium consensu erat comprobata. Risus eorum, qui hoc viderant, Brissacum movit, ut causam ejus inquireret; intellectaque re, vocari Buchananum, et expromere juberet intrepide, quid igitur sibi videretur. Tum vero inter multorum stipendiorum duces ita disseruisse eum ferunt, causasque arguendæ prioris sententiæ protulisse tam efficaces, ut, ea rejecta, consilium ejus universi sequerentur. Sed ad historiam redeo.

Henr. Steph. Orat. adv. Foliet. pp. 163. 164.

74. Cæsar, probata Mæcenatis sententia, non tamen tanta simul movenda ratus, quædam statim instituit agere; plura successu temporis introduxit: nonnulla et ad sequentium imperatorum curas transmissa sunt. Quibus in rebus omnibus Agrippa perstrenuum et fidum administrum

Dio.

tori obscurissimo et vanissimo credat. Neque vero huc facit exemplum Alexandri Homerum pæne venerantis. Longe major poëtas insignes, philosophos, et ceteros, ingenii laude commendatos, viros post fata prosequitur gloria, quam viventes eosdem comitatur. *Crev.*

Digitized by Google

exhibuit, quanquam in alia ipse sententia fuisset. Ab hoc igitur tempore res Romana sub unius arbitrium, firmo et in multas inde ætates duraturo instituto, rediit: quam sub imperatoris vocabulo regendam sibi Cæsar censuit. Erat ea vetus etiam appellatio; sed nuper occultari sub ea regii imperii titulus cœperat, cum id prænomen dictatori Cæsari, liberisque ejus decerneretur. Neque omiserunt propterea Romani mox principes, ob victorias etiam prisco more imperatorum accipere appellationem:[p] quemadmodum et hic Cæsar, qui mox cognominatus Augustus est, Imperatoris nomen semel et vicies recepisse legitur.

Oros. VI. 20. Dio. Supra, CXVI. 7. Dio. Tac. Ann. I. 9. Dio.

75. Censuram deinde, sed sine magistratus honore, collega M. Agrippa exercuit, senatum ex consilio Mæcenatis ordinaturus. Multi enim equites, atque etiam ex inferiori plebe, civilium armorum turbulentia intrusi in senatum erant; adeo ut supra mille numerarentur. Complures post necem Cæsaris, tanquam ex commentariis ejus, per gratiam aut præmium Antonius allegerat. Hos contumeliosa appellatione vulgus Orcinos vocabat; quod iis nomen fuerat, qui dominorum testamentis manumittebantur. Hæc depelli dedecora publicæ dignitatis intererat: tam multos offendere audaces homines, ac injuriam haudquaquam æquo animo laturos, periculosum habebatur. Media excogitata ratio est, monuitque Cæsar universos, 'ut suæ quisque conditionis atque vitæ judicem agens, ubi se hoc loco indignum reperisset, sponte abeundo censoriam notam lucrifaceret.' Iis diebus lorica sub veste tectus, accinctusque pugione præsedisse creditur, decem robustissimis ex amicorum cohorte senatoribus sellam ejus circumstantibus: et ne sic quidem admissum quenquam senatorum, nisi solum,[6] et excussa veste, ne ferrum occultaretur.

Sueton. Aug. 27. Dio. Sueton. Aug. 35. Plut. Anton. Sueton. ubi supra, et ibi Bernegg. Vell. II. 89. Dio et Sueton.

6 *Simul* edd. ante Crev.

---

[p] *Imperatorum accipere appellationem*] Sed notandum est, quod in nummis et inscriptionibus observatur, imperatoris titulum, cum principis est, præponi; cum victoris, subjungi: hoc modo: IMP. CAESAR DIVI F. AVG. PONT. MAX. COS. XIV. IMP. XX. TRIBVNIC. POT. XXXVIII. P. P. Hæc exscripsimus e nota Lips. ad Tac. Ann. III. 74. et Casauboni ad Suet. Jul. c. 76. *Crev.*

Digitized by Google

Dio.

76. Quinquaginta viris persuasum est, ut semet ipsos excusarent: idque exemplum animos Cæsari defensionemque dedit, alios etiam centum quadraginta parem ad modestiam adigendi. Neutros notari visum est: posteriorum tamen nomina publice proposita: prioribus, quia non repugnaverant, hic quoque pudor remissus, indultumque, ut, lato clavo retento, spectandi in orchestra, publiceque inter senatores epulandi jus haberent. At Q. Statilium, tribunum plebis designatum, a gerendo magistratu, licet invitissimum, Cæsar arcuit.

Sueton.

Dio.

Sueton. Aug. 35. et 54. et Dio, LIV.

77. In senatu deinde recensendo, probatissimi cujusque arbitrio rem commisit, ut vir virum legeret: nec offensum se ostendit, cum Antistius Labeo, M. Lepidum, hostem olim Cæsaris, tunc exulem nominans, interrogatusque a Cæsare, 'an essent alii digniores?' 'Suum quemque judicium habere' respondisset. Duos in consularium numerum retulit, C. Cluvium, C. Furnium, quia designati, quod ab aliis præveniebantur, consulatum gerere nequiverant. Patricios etiam jussu populi et senatus, ex lege L. Sænii, qui parte superioris anni consul fuerat, allegit: quod civilibus bellis, quæ nobilitatem maxime petunt, multæ primariæ familiæ defecerant: nec tamen carere patriciis respublica poterat, quod more majorum multi ritus, nisi per hos, obiri recte nequibant.

Dio, l. LII.

Lapis Ancyr.

Tac. Ann. XI. 25. et ibi Lips.

Dio.

78. Sic recensito constitutoque senatu, peregre abire quenquam injussu suo vetuit, idque diu postea servatum: nisi quod in Siciliam prius, deinde Galliam Narbonensem ad res suas invisendas libera concessa est profectio, his saltem qui oriundi indidem prædia in illis provinciis haberent: donec omnibus id promiscue Theodosii et Valentiniani lege permissum est. Inter hæc revolventi patris commentarios oblatum est consilium Carthaginem deducendæ coloniæ. Id tum quoque ratus opportunum fore, propterea quod violentis Lepidi ludibriis, magna parte priorum colonorum abducta, sublatum jus coloniæ videbatur. Igitur Statilio Tauro iterum Africæ proconsuli scripsit, ut mœnia instauraret, frequentaretque habitatoribus. Igitur ad tria ferme millia colonorum Romanorum, quæ missa ex Sicilia fuerant, aliam ex vicinis oppidis coactam multitudinem adjecit.

Tac. XII. 23. et ibi Lips.

L. 15. Cod. de Dign. XII. tit. I.

Dio et Appian. Pun. fin.

Digitized by Google

79. Sub hæc tempora Commagenæ rex Antiochus evocatus a Cæsare, atque in senatu causam dicere jussus, supplicio interiit, quod legatum Romam missum [7] a fratre Mithridate, quocum lis erat Antiocho, per fraudem occiderat. Et, ne quid ex traditis prætermittatur, tunc etiam Capreæ patrimonio Cæsaris, instituta cum Neapolitanis permutatione, accesserunt, quam insulam haud maximi pretii, postea secessus Tiberii Cæsaris nobilitavit. Ab iisdem Neapolitanis Leucogæum collem redemit, assignatis ex fisco suo vicenis millibus [q] annuis; deditque colonis, quos Capuam deduxerat, alicam se conficere posse sine creta, cujus ille collis vim maximam habet, negantibus. Hæc ferme quinto Cæsaris consulatu gesta reperi.

Dio.

Plin. XVIII. 11.

80. Sexto deinde, cujus collegam M. Agrippam esse voluit, ad pristinæ reipublicæ speciem cum alia multa redegit, tum etiam, divisis cum Agrippa fascibus, cum abiret magistratu, solenne jusjurandum adhibuit.* Agrippam autem aliis etiam honoribus æquare sibi solitus, sororis elocata filia, affinitate junxit; et, quoties una ad exercitum esset, simili secum tabernaculo uti, unaque secum dare signum jussit. Tum autem temporis censum una peregerunt populi, lustrumque post annum alterum et quadragesimum, a L. Gellio Cn. Lentulo censoribus, censoria potestate fecit: quo lustro censa sunt civium Romanorum quadragies centena sexaginta tria millia. Princeps senatus ipse lectus est, ut formam antiquæ reipublicæ ostentaret: id enim contentissimo studio affectabat.[8]

Dio, LIII.

Eutrop. VII. 5. Dio.

Tab. Capuan. ap. Pigh. Dio. Lapis Ancyr. Euseb. Chron. Suid. in Αὔγουστος. Lapis Ancyr. Dio. Vell. II. 89.

81. Tum etiam templum Apollinis olim inchoatum, ex Lunensi candido marmore perfectum est, multis gradibus sublime. Ipsius numinis effigiem Scopas olim celebris artifex fecerat: id in eo templo positum. Lucus insuper

Dio. Serv. ad Virg. Æn. VI. 69. et VIII. 720. Sueton. Aug. 29. Ovid. Trist. III. 59. Plin. XXXVI. 5. Dio. Sueton.

7 Verba *Romam missum* deerant in edd. ante Crev. quæ reposuit ille ex Dione.

8 Add. *senatus* edd. ante Crev.

q *Vicenis millibus*] Sestertiorum scilicet: quorum pondus æquat marcas argenti nostrates 78. semunciam 1. *Crev.*

* A. U. C. 724. A. C. 28.

Digitized by Google

Plin. xxxvii. 1. Dio.

additus, et porticus cum bibliotheca Græca Latinaque. Inter alia donaria Marcellus Octavia genitus dactyliothecam ibi consecravit. Ludos etiam Actiacos cum Agrippa tum edidit Cæsar, quibus pueri virique patricii certaminis equestris simulacrum luserunt: idque deinceps ludicrum in multas ætates per quinquennia celebratum est, quatuor sacerdotum collegiis, pontificibus, auguribus, septemviris, quindecimviris, per vices curantibus. Gymnici quoque ludi, cum stadium in Campo excitatum e materia esset, dati, et in arena capti bellis proximis depugnarunt.[r]

82. Has etiam populi voluptates, quis compluribus diebus exhilaratus est, diffindi valetudine sua non passus Cæsar, Agrippæ suas quoque vices demandavit. Sumtus ad hæc tanquam ex familiaribus fiscis præbuit, non ex ærario: quin eo quoque pecuniam[s] ex arca sua quasi mutuam sine usura daturus intulit. Et quo meliori fide pecunia publica tractaretur, curam ærarii a quæstoribus urbanis ad prætorios prætoresque transtulit, quorum e collegio binos quotannis senatus deligeret; forte propterea duobus ad priorem prætorum numerum additis, ut deni crearentur.

Sueton. Aug. 36.

Tac. Ann xiii. 29. Vell. ii. 89. Dio.

83. Ipse magnitudine opum liberaliter diffundens beneficia, frumentum accipere solitæ plebi quadruplum admensus est. Et cum frequenter tale munus populo daret, medimnum nunquam minus quinquaginta et ducenta millia[t] distribuit. Senatorum etiam quorundam paupertatem juvit, ne, ut sæpe factum erat, ædilitatem petere vererentur; eaque onera prætoribus duobus, majora quidem urbano, ut solebat, cetera ei qui inter peregrinos jurisdictionem esset sortitus, accrescerent. Urbanum autem prætorem, et tum et postea sæpius ipse sine sorte constituit. Sponsiones etiam reipublicæ factas ante prælium

Lapis Ancyr.

Tac. Ann. ii. 37. Dio.

[r] *In arena capti bellis proximis depugnarunt*] Intelligendi videntur captivi ex gentibus exteris, puta, Dalmatæ, Pannones, Ægyptii, &c. Neque enim credi potest Cæsarem tunc temporis sanguine Romano lusisse. *Crev.*

[s] *Quin eo quoque pecuniam*] Non satis fideliter exprimit mentem Dionis Freinshemius. Melius interpres, cum ærarium publicum pecuniis egeret, ipse 'mutuo sumtas in id intulit.' *Crev.*

[t] *Medimnum . . . quinquaginta et ducenta millia*] Modios Romanos 1500000. Parisienses 1156250. *Crev.*

Digitized by Google

Actiacum, exceptis quæ pertinerent ad ædificia, remisit: et, præcipuam calumniandi materiam, tabulas veterum ærarii debitorum, exussit. Ægyptia sacra quanquam in Urbem non reciperet, aliorum tamen religiosus cultor, plurimam templorum curam egit. Et conditorum posteros ad majorum recolenda monumenta hortatus, quibus nulli aut parum locupletes curatores erant, ipse refecit: laudabili quidem modestia, sub priorum auctorum titulis, sine ulla inscriptione nominis sui.

Sueton. Aug. 32. Oros. VI. 20. Dio. Sueton. Aug. 29. Dio. Lapis Ancyr. Dio.

84. Post hæc ingenti consilio, ut omnia deinceps meliora sperarentur, et quicquid antea iniquius decretum factumve esset, collegarum improbitati, aut temporum necessitatibus ascriberetur, omnia quæ ante sextum suum consulatum constituta essent, uno decreto abolevit. Igitur, cum ob hæc, laudibus omnium in cœlum ferretur, septimo consulatu suo, et M. Vipsanii Agrippæ tertio, aliud præbere civitati magnitudinis suæ documentum statuit;* per simulationem imperii deponendi hoc agens, ut rogatus et coacto similis potestatem retinens, eam deinceps justi regis instar in volentes exerceret.

Tac. Ann. III. 28. Dio.

85. Igitur, præparatis ex ordine senatorio idoneis, curiam ingressus, hanc de rebus suis orationem[a] de scripto recitavit: 'Sat scio, patres conscripti, vix mihi credituros esse plerosque vestrum, id nimirum molienti, quod forsan illorum nemo facturus esset: præsertim quia potentiorum fortunam sequi solitus livor, eorum de se verbis atque promissis plerumque fidem abrogat. Quapropter ego talia prolaturus metuendum etiam haberem, ne pro vano, ut fit, et impostore traducerer; nisi factis sermonem continuo secuturis, etiam iniquissimas calumnias repellere possem vellemque. Idcirco in simplici certoque meæ mentis habitu, nullis verborum ambagibus utar. Non dubito, quin præclare intelligatis omnes, ita fundatas opes meas esse, ut retinere mihi imperium, quam depo-

* A. U. C. 725. A. C. 27.

[a] *Hanc . . . orationem*] In qua multa sane parum Augusto digna deprehendet cordatus lector. Sed nimirum non cujuslibet ingenii est decoras principibus viris orationes accommodare. Dionis captum hic conatus superabat. *Crev.*

Digitized by Google

nere, sit facilius. Quicquid unquam adversus me constitit, armis aut mansuetudine mea domitum est: adjutores mei mutuis meritis, et communione consiliorum operumque arctissime conjuncti, neminem sperare res novas, nedum moliri, patiuntur. Sed fac esse qui ausit. Quid igitur timebo, maximos pugnacissimosque habens exercitus, eosdemque fidelissimos; instructus pecunia, sociis; et, quid multa? vestra subnixus populique Romani benevolentia, qui me præesse rebus communibus non sinitis modo, sed jubetis? Istud igitur imperium, quod invito nulla vis ademerit, ego ecce, quod mihi reipublicæque bene vertat, lætus lubensque depono.

86. ‘ Eant postea, qui tot ab annis me dimicasse pro mea potentia mussant, quærantque sibi credituros. Ego enim protinus potestatem omnem, Urbem, Italiam, exercitus, provincias, quasque accepi a vobis, quasque adjeci prioribus a me confectas, vestrum in arbitrium transferens, validiora mei animi testimonia produco, quam ut ulla calumniantium malignitate convellantur. Ne tamen a me tot ærumnas laboresque ac discrimina temere ac sine causa suscepta putetis, ulcisci patris mei (fatebor enim) indignam necem volui: simul eripere rempublicam ex tam longa malorum serie, quæ et diu ante cœperant, neque desitura unquam, nisi vi ac armis victa, videbantur.

87. ‘ Atque utinam vel quieta reipublicæ tempora fuissent, vel ea saltem mala, quæ curari consuetis remediis possunt! Quanto maluissem sub legum imperio adversus hostes experimenta virtutis edere! Sed quando eo deventum erat, ut sine adolescentuli opera populus Romanus nec imperium servare, nec libertatem posset, super annos promte alacriterque suscepi negotium, idque, Diis faventibus, supra vires feliciter perfeci. Quo quidem in opere, dum vestris commodis patriæque consulerem, nullus me labor, nullæ hostium minæ deterruerunt; non amicorum preces, non factionum timor, non adversariorum amentia me dimovit ab instituto, quominus corpus animamque perpetuo pro vobis periculo exponerem, eaque facerem ac paterer, quæ apud conscios ac memores referri nihil attinet. Quando igitur et ego propositum

Digitized by Google

tenui, et vos mea opera salvi concordesque agitis, et nunc demum post tot annorum contentiones populus Romanus certa firmaque pace ac consensione fruitur; etiam libertatem atque rempublicam recipite, atque secundum leges more majorum gerite. Hæc a me dici fierique minus mirabimini, ubi recordatione et comparatione præteritorum adverteritis, eodem ab animo hæc proficisci, unde prior profecta est lenitas, et a negotiis et honoribus nisi necessariis abstinentia: unde et ex omnibus, quæ mihi decrevistis, nihil insolens aut publicæ libertati grave recepi.

88. 'Sed neque judicium meum accusaveritis, qui tanto imperio, nulla nec re cogente nec homine, sponte absistam. Magnas consilii hujus atque præclaras causas habeo. Nam, sive jus respicias, nihil est æquius, quam res vestras arbitrio maxime vestro administrari: sive utilitatem, et mihi conducere arbitror, ut curis invidiæque et insidiis me subtraham; et vobis, quibus jam licet libere temperanterque ac concorditer administrare rempublicam. Quod si gloriam quoque intuemur, (cujus causa multi pericula non sustinent modo, sed expetunt) quicquamne poterit esse honestius, quam ultro abdicanda potestate, quæ meliorem orbis terrarum partem continet, approbare generi humano animum fortuna majorem; qui sui juris et rerum arbiter, et parare magna imperia, et regere norit, et suo arbitratu deponere? Igitur si quis forte vestrum ab alio talia sentiri dicique vere posse non credat, at saltem a me credat posse. Quippe, cum enumerare plurima mea patrisque mei merita in promtu esset, propter quæ non injuria supra ceteros quoslibet nos amatis atque extollitis; tamen nihil est quo æque gloriandum putem, quam quod summam potestatem a vobis oblatam, et ille non accepit, et acceptam ego dimitto.[x]

[x] *Summam potestatem a vobis oblatam, et ille non accepit, et acceptam ego dimitto*] Hæc non modo tumidiora sunt, quo vitio tota oratio laborat, sed nugatoria et falsa. Si enim regnum hic *summæ potestatis* nomine intelligas, diadema quidem ab Antonio oblatum rejecit Cæsar dictator, sed nunquam accepit Cæsar Octavianus. Si rerum omnium supremum, sine regis nomine, regimen, illud acceptum dimittit quidem hic junior Cæsar, sed non rejecit prior. Itaque nihil sani est in hac sententia, quæ tamen infra mox iteratur. *Crev.*

Digitized by Google

89. ‘ Cum hoc enim facto quis aut Galliam subactam comparet, aut Mysos Ægyptiosque domitos, imperiique fines non Rheni fluentis, non Istri, ne oceani quidem objectu coërcitos? Fateor hæc equidem tanta esse, ut antiquorum gloriam haud dubie vincant: ea tamen huic modestiæ nostræ longissime cedere judico. Cui equidem nec civilia bella confero, cum ex aliis alia magno terrore surgerent, ita feliciter confecta, victoriamque clementia temperatam, ut nihil aut constantius aut melius in ejusmodi tempore ne optare quidem liceat. Unum hoc non morem modo, verum etiam ingenium humanum egredi aio, quod duo Cæsares, cum possemus imperare nolentibus, etiam volentibus imperare noluimus. Si igitur magnis animis et quærere gloriam, et uti quæsita conceditur, quid est quod mihi præstare mortalitas splendidius celebriusque possit? Ut enim de patre sileam, quis animi magnitudine contendere mecum ausit, qui tanta rerum omnium licentia, tot terrarum, tot marium imperio, firmissimis exercitibus, immota domi pace, studiis procerum, benevolentia populi, tantis opibus cupide caream, majorem in memetipso mihi felicitatem esse repositam sentiens? Fuit mihi cum quibusdam superiorum temporum claris viris honesta contentio: nec dignum his temporibus, quæ me genuissent, nec honestum nomini Romano credidi, si olim quidem Horatios, Mutios, Curtios, Regulosque, ac Decios, horumque similes respublica nostra producere potuisset; nunc velut effœta senio, et nullis ad nobilem nixum viribus, nihil proferre posse pristinam gloriam decens crederetur.

90. ‘ Ut tamen me non abjicere reipublicæ curam, sed ponere appareret, non ita festinavi decedere, ut improbis hominibus rapiendam potestatem in medio relinquerem. Vobis illa, patres conscripti, vobis destinatione mea consilioque traditur, quos virtute atque sapientia ceteris excellere cognovi. Priusquam enim insanorum hominum licentia, quam tot laboribus vix depuli, rem Romanam diripi convellique paterer, aut millies morerer, aut, quod minus etiam optandum puto, perpetuo imperarem. Vos igitur hoc a me translatum onus, ut bonis civibus et reipublicæ studiosis dignum est, excipite; mihique hanc veniam date,

Digitized by Google

ut tot exantlatis laboribus defatigatum animum, totque morbis vexatum corpus, aliquando per honestum otium recreem; simul invidiam ac odium excutiam, optimis quibusque non nisi cum imperio declinandum. Etiam insidiis me petitum esse scitis: iniquis profecto. Sed tanto magis exire locum propero, tanta pericula ne merentibus quidem afferentem. Hæc igitur ratio probanda erit omnibus, quæ et mihi securitatem cum gloria, et utilitatem imperio affert, quanto certe melius est, junctis plurium consiliis, quam unius nutu administrari.

91. 'Quæ cum ita sint, unam hanc pro tot laboribus ab unoquoque vestrum gratiam expeto, vosque rogo, ne mihi quietiorem postmodum acturo vitam invideatis. Non imperare tantum, sed et parere (mihi credite) scio: nec enim cuiquam præcepi, nisi quod, imperante alio, mihi quoque faciendum existimassem. Equidem si pro mea conscientia, vestroque favore fingere mihi futuram conditionem licet, sine metu, sine periculo privatam inter vos acturus vitam videor. Si quid secus accidat, (nec enim unus homo, tot confectis civilibus bellis, toties asserta contra voluntatem multorum republica, vitare offensas omnium potuerit) bene habet: mori potius ante tempus privatus cupio, quam regium imperium in cives meos diutissime obtinere. Quid enim evenire mihi ad laudem efficacius posset, quam interfectum me non ob aliud in privata conditione ferri, quam ne in regno[7] quenquam interficere cogerer? Et pro brevi vita sempiterna mihi gloria cum ultione publica contingent: quemadmodum et pater meus cœlestes honores adeptus est; percussores ejus fuga, morte, infamia pœnas dederunt. Mortales equidem omnes sumus: sed, quam natura negavit, immortalitatem, bonis factis, vitæque consentanea morte nanciscimur. Hac igitur spe atque fiducia, reddo vobis rempublicam, patres conscripti: quam sic accipiatis velim, ut neque mole curarum terreamini, neque facilem atque perfunctoriam rerum tractationem fore cogitetis.

[7] *Regium imperium ... in regno*] Hæc nomina semper exhorruit Cæsar Octavianus: ac proinde nihil minus verisimile fingi potest, quam ipsum ea agnovisse et de se loquentèm usurpasse. Sed hæc culpa est Freinshemii, non Dionis, qui verbo μοναρχίας usus est. Est enim id longe minus invidiosum. *Crev.*

Digitized by Google

92. 'Quid autem vetat me de partibus quoque nobilioribus præcepta vobis quædam tradere, quid fieri expediat, ipso opere usuque, nisi quid fallor, edoctum? Principio igitur leges immutabili observantia colite. Plurimum in hoc uno utilitatis est: et felicius agunt civitates, quæ leges etiam aliqua parte vitiosas reverentur, quam quæ semper aliquid mutantes, delectari magis emendandis legibus quam emendatis uti videntur. Nec publice tantum auctoritatem earum defenderitis, sed ipsi quoque domi, sermonibus, actionibusque omnibus sequimini. Provincias pace belloque regendas optimo cuique atque peritissimo mandate citra invidiam et privatæ rei studium, quod apud probos et prudentes utilitate publica vincitur. Honores pœnasque pro merito cujusque repræsentare memineritis. Familiaria bona, si necessitas postulet, pro publicis habere ne cunctemini: publicis autem haud secus atque alienis abstinete. Vestra gnaviter tuemini: aliena ne concupiscite: sociorum spoliis ac contumeliis abstinete: hostes injuria ne provocate; provocati ne timete. Arma semper in manibus sunto; sed hæc nec in vos ipsos invicem, nec in quenquam pacatum vertitote. Milites alendi vobis erunt, ne aliis insidiari necessitate adigantur: at iidem et cohibendi, ne quid mali per audaciam lasciviamque cuicumque inferant.

93. 'Sed quid ego longo sermone, quæ sint facienda vobis, exequor? Ex his enim quæ dicta sunt, etiam ceterorum rationem, quæque agenda vobis, quæque vitanda erunt, haud difficulter collegeritis. In hoc igitur uno præceptoque votoque finiam, ut sic gerentes rempublicam felices ipsi sitis, et mihi gratiam habeatis, cujus opera ex miserrimo statu provecti in felicissimum fueritis: ne forte (quod absit, aberitque) gubernationi rerum impares, et mihi pœnitentiam injiciatis consilii mei, et populum Romanum novis iterum periculis et bellis implicetis.'

94. Hæc oratio non aliter atque pro magnitudine inexpectatæ[8] rei audientium animos vario motu perculit. Pauci mentis ejus conscii ex compacto astipulabantur: ceterorum credentium dictis, aut diffidentium, a diversis

8 *Expectatæ* edd. ante Crev.

Digitized by Google

causis par et admiratio et molestia fuit, illis animi magnitudinem, his artificium stupentibus; et alteris ægre ferentibus calliditatem Cæsaris, alteris eum abire potestate dolentibus. Jam enim, recordatione tot turbarum atque bellorum, apud plerosque tædium popularis status incesserat: hisque non mutatio tantum reipublicæ, sed etiam auctor mutationis Cæsar haud displicebat. Ceterum nemo vera proponi putantium hæc promte excipiebat, aliis minime gaudentibus hoc consilio, aliorum gaudium occultante metu: neque fictam hanc atque simulatam modestiam existimantibus arguendi voluntas aut fiducia aderat: omnium in eundem vultum similesque voces coacta adulatio est. Et orationem quidem laudabat nemo, pars quia rem non probabat, ceteri ne cupidius accepisse viderentur. Tantummodo frequenter adhuc recitanti occlamatum est: et ubi peroravit, certamen obtestantium fuit, 'ne rempublicam, unus ei rector munere Deum oblatus, destitueret.' Multa etiam passim argumenta suadentium hortantiumque ingerebantur, quibus cum aliquamdiu restitisset, ad extremum proditione sua victus, imperium retinuit. Tunc inter magnam gratulantium lætitiam et alia decreta, et præcipue duplex prætorianis stipendium, quo alacrius pro salute principis excubarent.

95. Hac arte Cæsar infamiam potentiæ suæ detraxit, ut volentibus postea atque etiam obsecrantibus, invitus ipse otiique cupidior, imperare videretur. Neque tamen[9] res adeo incredibilis est,[1] extitisse, qui pauciora, quam posset, vellet; et præ se ferre perseveravit hanc voluntatem Cæsar plurimis dictis scriptisque. Nam et in epistola quadam, 'otium suum non fore dignitatis expers, neque priori gloriæ inconveniens' pollicitus, hæc ipsa verba posuit: 'sed ista fieri speciosius, quam promitti possunt: me tamen cupido temporis optatissimi mihi provexit, ut, cum

Sen. de Brev. Vit. c. 5.

9 *Aut* inseritur in edd. ante Crev.

[1] *Neque tamen res adeo incredibilis est*] Melius judicat Dio, qui hanc modestiam fictam esse et simulatam tradidit. Mirus artifex fuit hic Cæsar simulandi ac dissimulandi quidlibet: solitumque ei, quæ flagrantissime concupisceret, ea specie recusantis sibi quasi invito ingerenda curare. *Crev.*

Digitized by Google

rerum lætitia moretur adhuc, perciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine.'

Dio. 96. Interim, sive ut partem invidiæ declinaret, sive ut curas levaret, negavit 'se provincias omnes suscipere regendas; aut quas suscepisset, retinere perpetuo posse. In decennium tamen operam suam offerre reipublicæ, ea tamen lege, ut si pacare citius omnia posset, celerius ei liceret abire potestate.' Divisis igitur cum senatu provinciis, sibi inquietiores, in quibus bella erant, aut timebantur, recepit, ambigua æstimatione, reipublicæ cura hæc faceret; an ut, relictis inermibus et obnoxiis, quicquid ubique militum ac armorum esset, secura potentia complecteretur. Igitur senatui populoque Romano permissæ sunt Africa Numidicaque, et Cyrenaica regio, et cum Epiro Græcia, Dalmatia, Macedonia: præterea Bithynia cum Ponti proxima parte, ac Hispania Bætica: tum ex insulis Sicilia, Sardinia, Creta. Cæsar reliquam Hispaniam omnem, itemque Galliam Germaniasque retinuit; cum Cœlesyria, Phœnice, Cilicia, Cyproque et Ægypto. Sed mox Cyprum populo reddidit Cæsar; Dalmatiam, ubi exortum bellum erat, recepit. Ad eandem formam diversis temporibus aliæ quoque permutatæ provinciæ sunt, ut suis locis referetur.

Strabo, XVII. p. 840. et III. 166. Sueton. Aug. 47. Cassiod. Chron. Dio. Strabo, XVII. et Dio. Strabo, III. Dio. Sueton. Dio.

97. Ceterum tum quidem census utriusque provincias a senatoribus obtineri voluit, Ægypto demta, cui præfectum mittebat ex equestri ordine. At in populi provincias annui magistratus exibant, sorte divisis provinciis; nisi quod extra ordinem multitudinis liberorum habebatur ratio, orbique patribus, et maritis cœlibes posthabebantur. Hos omnes esse senatorii ordinis oportebat: eoque habitu ac cultu utebantur, non accincti gladio, non militibus stipati. Proconsules appellari placuit, latius extensa significatione vocis,[a] ut non hos modo, qui ex consulatu

[a] *Proconsules appellari placuit, latius extensa significatione vocis*] Hoc, vigente quoque republica, receptum et in usu fuisse probatur exemplo Paulli Æmilii, qui ex prætura in Hispaniam missus est pro consule, teste Plutarcho in ejus vita. Et quis ignorat Pompeium, adhuc privatum et adolescentulum, missum esse in Hispaniam, 'non pro consule, sed pro consulibus?' *Crev.*

Digitized by Google

issent in provinciam, sed prætores etiam, quique eorum loco haberentur, comprehenderet. Lictores his totidem quot in Urbe solebant apparere, concessi. Et, quamvis in sua tantum provincia potestatem exercere poterant, insignia tamen Urbem egressi sumere, eademque, donec in Urbem reverterentur, retinere jussi. Sed initio duæ harum consulares appellabantur, Africa, demto Jubæ regno; et Asia, quæ gentes intra Halym ac Taurum continebat, exceptis Gallogræcis, et nationibus Amyntæ parentibus, Bithyniaque ac Propontide. Decem reliquas prætorias fecerat; Bæticam, Narbonensem, Sardiniam adjuncta Corsica, Siciliam, Illyricum, Macedoniam, Achaiam, Cretam cum Cyrene, Cyprum, Bithyniam cum Propontide vicinaque parte Ponti.

L. 1. de Off. Procons. lib. 1. tit. 16.

Strabo, XVII. et Dio.

98. Suas autem provincias a se uno delectis tradidit Cæsar, appellarique legatos, etiamsi forte consulatum gessissent, voluit. His non temporis, sed voluntatis suæ modo finiebat Cæsar potestatem: militari habitu cinctuque conspiciendis, ut quibus in milites animadvertendi concessum jus esset: id enim ejus potestatis insigne est, nec ab aliis usurpatur. Senos autem lictores[b] habebant, quotquot eorum non essent consulatu functi, atque hinc eis apud Græcos nomen fuit. Sæpe autem accidit, ut voluntate Cæsaris etiam consules prætoresque in magistratu suo provincias obtinerent. Idem tamen auctor fuit instituti, ne magistratus, deposito honore, statim in provincias mitterentur; sed quinquennium saltem interponeretur.

Dio.

Sueton. Aug. 36. Dio.

99. Et initio quidem, quanquam plures essent provinciis, tamen omnes ad sortiendum admittebantur: postea propter quorundam delicta, Cæsar eam quoque rem suæ potestatis fecit hactenus, ut ex omni numero totidem

[b] *Senos . . . lictores*] Apud Dionem legitur πέντε, *quinque*. Sed vitium esse in nota numeri recte videntur judicasse Dionis interpres et Freinshemius. Quinque lictorum cuiquam magistratui Romano attributorum nullum in tota Romana historia exemplum occurrere meminimus. Sed et quæ sequuntur apud Dionem, 'magistratus illos a numero lictorum nomen apud Græcos habuisse,' emendationem firmant. Apud Græcos enim scriptores frequens mentio est ἑξαπελεκέων, nulla, quod sciamus, πεντεπελεκέων. *Crev.*

Digitized by Google

eximeret, quot provinciarum sortes erant, eosque sortiri solos juberet. Postea et hic mos inolevit, ut ejusmodi provincias Cæsar cui vellet daret, et quam vellet diu. Quin et equitibus Romanis quarundam gentium aliquando commissa cura fuit. Hæc igitur tum sunt constituta circa officium senatorum, quibus in provinciales capitalis pœnæ potestas erat. Mittebantur enim et alii in populi quidem provincias, quibus id juris non esset, ex quæstoribus sorte ducti, aut proconsulum legati, quos rectius consiliarios ab argumento vocaveris. Hos autem sibi quisque deligebat, prætorii quidem singulos æqualis dignitatis, aut inferioris etiam; consulares vero ternos ejusdem loci, quos imperator probavisset. Sed et in Cæsaris provincias, in quibus plus una legione esset, senatores mittebantur, quos legatos legionum appellabant. Hos deligebat ipse ex prætoriis plerumque: nonnunquam quæstorios etiam, aut alio mediorum honorum functos adhibebat. Hæ ferme senatorum functiones erant.

100. At ex equitibus, qui eorum tribuni militum, aut nuper in senatu fuerant, aut alioqui præstantiores ceteris habebantur, nonnullos mœniorum Romæ curatores, alios etiam in externis urbibus constituit. Ex eodem ordine procuratores, interdum et ex libertis suis, in omnes provincias dimisit, reditibus colligendis certisque faciendis impensis: nisi quod a proconsulibus provinciarum quibus præerant tributa cogebantur. His etiam procuratoribus, non secus atque proconsulibus, mandata princeps dabat: eosque certis cum stipendiis emittebat, idque etiam in ceteris provinciarum rectoribus servari placuit. Antiquitus enim redemtores erant, qui proconsulibus mulos et tabernacula, vasaque, et omne aliud instrumentum publice locata præberent. Tum vero parare hæc e stipendiis suis omnes jussi. Has insuper communes omnibus leges acceperunt, 'ne quis delectum militum ageret: ne pecunias cogeret, nisi ex præscripto: ne quis accepto successore contaretur decedere, neve tempus in itinere tereret, sed intra trimestre utique in Urbem reverteretur.'

Liv. XLII. 1. Sueton. Aug. 36. Lamprid. Alex. Sev. 42. Cic. in Pis. 35. Dio.

101. Hanc igitur faciem tum quidem temporis ista re-

Digitized by Google

ceperunt. Re vera regnum erat, et Cæsar militibus instructus et pecunia, etiam ea quæ reddidisse senatui populoque videbatur, imperio obtinebat. Ærarium quidem publicum ab suo distinctum habebat:[c] sed par erat ei in utrumvis potestas, quæ nec rerum limitibus, nec temporum spatiis coërceretur. Nam tametsi dixerat ista se tantum in decennium recipere, mox in aliud quinquennium, deinde iterum in decennium ei prorogatum imperium est, ita ut continuatis decenniis ad finem usque vitæ in summa potestate persisteret.

102. Senatus tamen, quasi adjicere aliquid fortunæ ejus posset, jam post orationem ab eo habitam, promissaque de provinciis dividendis facta, multos ei honores decreverat: in quis maxime insignes, 'ut ante domum ejus in Palatio lauri, quernam coronam sustinentes, statuerentur, eæque quotannis A. D. Kalendas Martias renovarentur,[d] quo simul et in hostes victoriæ, et in cives clementia, significarentur.' Ejusque rei memoriam temporum eorum triumviri auro argento æri flando feriendo tam diuturnam effecerunt, ut hodieque spectentur nummi, quernam coronam cum lauri ramis exhibentes, titulo inscripto, OB. CIVES. SERVATOS.

Val. Max. II. 8. Dio. Pigh. Ann. Plin. XVI. 4. Pigh.

103. Tum vero, redactis in promissam formam provinciis, et ad tutelam imperii distributis quatuor et quadraginta legionibus;[e] ab senatu populoque Romano Augustus appellatus est. Romulum vocari oportere quidam censuerant, quasi et ipsum conditorem Urbis: nec dis-

Liv. Epit. Oros. VI. 20. Auct. de Vir. Ill. Appian. Civ. I. Dio.

[c] *Ærarium quidem publicum ab suo distinctum habebat*] Ærarium erat populi, fiscus principis. Sed nimirum, ut Tac. VI. Ann. 2. et hic Dio observant, nihil intererat, cum utriusque dominus et arbiter Cæsar unus esset. *Crev.*

[d] *Eæque quotannis a. d. Kalendas Martias renovarentur*] Hoc Pighius, sive Schottus, unde petitum memoret, observare neglexit. Ovidius III. Fast. 137. et seq. testatur lauros renovari solitas illo die variis locis, quibus poni mos erat: quæ cum enumeret, nullam tamen facit mentionem ejus lauri quæ ante domum Augusti statuebatur. *Crev.*

[e] *Et ad tutelam imperii distributis quatuor et quadraginta legionibus*] Hoc ab Orosio refertur ad id tempus quo Cæsar, victo Sex. Pompeio, amoto Lepido, totum occidentem obtinuit. Dio, LV. p. 384. aliquot post hoc tempus annis, testatur legiones, imperante Augusto, per totum orbem Romanum sparsas non excessisse numerum 23. aut 25. *Crev.*

Digitized by Google

Sueton. Aug. 7. Flor. IV. 12. Dio. Vell. II. 91. Sueton. Censor. de Die Nat. c. 21. Flor. Dio. Ovid. Fast. I. 609. Heges. V. 15. Berneg. ad Sueton. Aug. 7. Ov. Fast. I. 590. Oros. Dio, LV. Liv. Epit. Macrob. Sat. I. 12.

plicebat nomen Cæsari, nisi quod regis illud fuerat, cujus vocabulum studiose fugiebat, cum rem teneret. Sed Munatii Planci sententia prævaluit, ut Augustus potius diceretur, non tantum novo, sed etiam ampliori cognomine, quod locis consecratis sanctisque rebus antea tribui consueverat. Nam ab augendo deductum hoc nomen, sequentibus sæculis nequicquam existimatum. Actum id Idibus Januariis ex Ovidio satis constat: mansitque huic vocabulo per complura sæcula tanta veneratio, ut solis imperatoribus Romanis relictum ne potentissimi quidem reges affectarent. Etiam mensem Septembrem, quo natus ille esset, Augustum appellandum censentibus, ipse Sextilem prætulit, ob causas senatusconsulto comprehensas, quod in hæc verba factum est: 'Cum imperator Cæsar Augustus mense Sextili et primum consulatum inierit, et triumphos tres in Urbem intulerit, et ex Janiculo legiones deductæ, secutæque sint ejus auspicia et fidem, et Ægyptus hoc mense in potestatem populi Romani redacta sit, finisque hoc mense bellis civilibus impositus sit; atque ob has causas hic mensis huic imperio felicissimus sit, ac fuerit: placere senatui, ut mensis Augustus appelletur.' Eadem de re et plebiscitum factum est, rogante Sex. Pacuvio tribuno plebis.

Dio, LIII. Strabo, III. p. 165. Cæs. de B. Gall. I. III. Tacitus, Germ. 13. et 14. Dio.

104. Is, inter immodicam omnium gratulationem eminere suam adulationem cupiens, Hispano Celticoque more se devovit Augusto: et, hoc prohibente, ad circumstantem subsellia populum prosiluit, et persuasis quos potuit, etiam circum angiportus et vias discurrens, sequi suum exemplum obvios coëgit. Atque inde mos ortus dicitur, ut, imperatorem alloquentes, 'se numini ejus majestatique devotos' dicerent. Idem effecit, ut, propter decretos Augusto honores, passim sacrificaretur: atque pro concione palam professus, 'se Augustum ac filium suum hæredes instituisse æquis partibus,' cum nihil haberet, eo fecisse existimatus est, ut acciperet: quod etiam contigit.

105. His temporibus Augustus, cum vim summi imperii teneret, omni conatu elaboravit, ut, quam posset maximam, libertatis speciem efficeret: hoc maxime va-

Digitized by Google

framento usus, ut magistratus etiam capesseret sæpius, aliosque honores, atque nomina eorum antiqua reciperet, quo videlicet non sibi vindicare omnia, sed ex legibus et senatus populique voluntate habere videretur. Quod exemplum et successores ejus imitati, consules sæpe, et, quoties extra pomœrium agerent, pro consulibus gesserunt. Imperatoris etiam susceperunt appellationem, vel quibus nulla ex hoste parta victoria esset, ne regis aut dictatoris nomen assumerent, et tamen proprium aliquod summo fastigio vocabulum haberent. Sub horum nominum antiquo jure conscribere exercitus, cogere pecunias, bellum aut pacem facere, civibusque pariter et sociis imperare consueverunt: etiam, ut equites atque adeo senatores vel intra pomœrium necare possent: et, quicquid unquam ista nomina gerentibus usurpatum potestatis fuit. Censuræ vero præscriptio facultatem dabat in vitam moresque singulorum inquirendi, census agendi, in equitem aut senatum legendi, quos vellent, aut contra inde removendi.

Tac. Ann. I. 9. Dio.

106. Ne autem ulla pars reipublicæ videretur eorum eximi potestati oportere, sacerdotia capiebant omnia, et pleraque conferebant, ipsi pontificatum maximum soli retinentes. Tribunitia deinde potestas dabat eis in omnia senatus decreta arbitrium, ut liceret eis, quicquid eorum displiceret, tollere: præterea sacrosanctos efficiendo ab omni defendebat injuria: adeo ut, si vel leviter se læsos verbo factove cujusquam existimarent, possent eum, indicta causa, tanquam impium et nefarium hominem occidere. Et tribunatum quidem, tanquam patriciis haud concedi solitum, non suscipiebant; potestatem autem, quanta unquam fuit maxima, vindicabant: quam quia quotannis, quoties tribunorum comitia perfecta erant, resumebant, per annos tribunitiæ potestatis imperium eorum dinumerari obtinuit. Hæc igitur, tanquam a populo accepta, ad imaginem antiquæ reipublicæ, principes habuerunt. Ceterum rem paucissimis olim, et tantum certas in causas concessam, assumserunt in omnia, ut legibus solverentur. Patris autem patriæ [10] appellationem honoris plus

10 Vox *patriæ* abest ab edd. ante Crev.

Digitized by Google

afferentem quam potentiæ servarunt omnis causa: Cæsaresque et Augusti vocari voluerunt, alterum significandi gratia quibus successissent; alterum exprimendæ amplitudini suæ dignitatique aptum rati.[11]

107. Hæc igitur commutatio rerum, cum publice esset utilissima, (deventum enim eo erat, ut salva esse Roma non posset, nisi ab uno regeretur,) rerum gestarum expositioni fraudi fuit; ut angustior esse inciperet, et incertior. Superioribus enim temporibus, cum quæ fierent omnia senatui populoque Romano renuntiarentur, a multis excipi consignarique potuerunt: et quanquam, ut fit, a nonnullis timori gratiæque aut simultatibus aliquid daretur, tamen apud alios, et in publicis commentariis reperire integriora fas erat. Postquam ad unum omnia referri cœpere, paucis illa tanquam ex abdito proferentibus, maligne creditum; quod unde arguerentur non esset, omnia ad arbitrium principum composuisse existimatis: cum etiam Claudium Cæsarem, historiam, hortante T. Livio, scribere aggressum, ne vere ac libere, quæ mortem Cæsaris secuta erant, traderet, sæpe castigatum ab avia et matre didicerimus.

Tac. Hist. I. 1. et Dio.

Suet. Claud. 41.

108. Accessit ex ipsa imperii magnitudine cuncta accurate tradendi quædam desperatio. Nam ex eo tempore multa domi bellique gesta sunt, quorum causas atque seriem pauci præter auctores nossent; plerosque totum negotium pertinaciter falleret. Unde nemini vertendum vitio erit, si non obvia fide sine delectu omnia exceperit: præsertim quoties utcumque tradita, manifestioribus rerum indiciis arguentur.

Dio.

109. Sed, ut ad seriem temporum revertamur, qua die Cæsari cognomentum Augusti est impositum; Tiberis, proxima nocte exundans, plana Urbis inundavit. Res fortuita vatum interpretationibus in prodigium tracta est, incrementumque Cæsari significari creditum, civitatem totam in potestate habituro. At ille non jam potentiam, quæ prius affuerat, sed justi imperii duces atque bona cogitans, non omnia, ut olim, privato consilio agebat.

11 Carent edd. ante Crev. *vel rati.*

Digitized by Google

De plerisque patres consulebantur: precante ipso 'ne quis sibi patriæque, si quod haberet consilium rectius, invideret:' neque difficilem se exhibuit, quicquid illi parum apte cogitatum judicassent, corrigendo. Maxime autem a consulibus, aut, si locum alterum ipse occuparet, a collega postulabat admoneri. Sed et ex aliis magistratibus singulos, et ex reliquo senatu quindecim [f] sortiri jussit, quibus in proximum semestre adjutoribus uteretur, de negotiis ad frequentem senatum referendis ante tractaturus. Eosdem etiam aliquando judicaturus adhibuit. Sueton. Aug. 35. Dio.

110. Exercebat tamen et senatus judicia, quemadmodum olim: [g] quin et legationibus interdum regum atque nationum responsa dabat: populus comitiis intererat: nihil tamen nisi de sententia principis constituebatur. Magistratus partim ipse designabat, partim suffragiis sinebat creari; semper animum intendens, ne indigni fierent, aut factionibus ac ambitioni locus esset. His in universum ita ordinatis, deinceps singula, quæ memorari digna occurrent, suis annotata temporibus referentur. Non enim abs re miratus Alexandrum hic princeps, plerisque in adolescentia subactis, ne materiam agendi postea non esset habiturus timentem; majus esse existimavit imperium partum bene constituere, quam donec defuit quærere. Idque rebus ipsis laudabiliter præstitit. Plut. Apoph. Rom. in Aug.

111. Igitur eodem consulatu, vias extra Urbem ex manubiali pecunia sternendas triumphalibus viris distribuit; excepta sibi Flaminia, quæ ad Ariminum usque pertinebat, quod per eam ducturus exercitum erat. Celeriter ea permunita est, obque eam causam in duobus capitibus viæ positi sunt arcus cum statuis Augusti, unus Sueton. Aug. 30. Strabo, v. p. 217. Dio.

[f] *Sed et ex aliis magistratibus singulos, et ex reliquo senatu quindecim*] Imitatus est hoc in instituto Augustus morem antiquitus usurpatum, ut magistratus duntaxat cum senioribus de quibusdam negotiis deliberarent: quæ ad consilia habenda destinatos locos habebant, dictos senacula, sive potius senatula. Testis est Festus in voce *senacula*. Crev.

[g] *Exercebat tamen et senatus judicia, quemadmodum olim*] Stante republica non exercuit senatus judicia. Sola in augusto illo consessu negotia publica tractabantur, leges, bella, paces, &c. Sub Cæsaribus aliter se res habuit: nec raro judicia quædam graviora apud senatum disceptabantur: quo ex more videtur ortus esse Dionis error, superiora tempora ex suis æstimantis. *Crev.*

Digitized by Google

Pigh. ad Ann. 725. Dio.

in ponte Tiberis, alter Arimini: quorum adhuc in nummis imago visitur, cum hac inscriptione: S. P. Q. R. CAES. AVGVSTO. QVOD. VIAE. MVNITAE. SVNT. In ceteras etiam vias, contanter sumtum præbentibus aliis, multum de sua aut publica pecunia impendit. Ille tamen de sua dedisse malebat videri: eoque et argenteas statuas suas (quo ex metallo nulli antea Romano positæ fuerant) sustulit, et conflavit omnes: et ex ea pecunia cortinas aureas in æde Apollinis Palatini posuit.

Plin. XXXIII. 12. Dio. Sueton. Aug. 52. Dio.

112. Perfecto Flaminiæ viæ opere, ac viribus ex morbo, quo circa Nonas Maias correptus fuerat, recuperatis; profectus ab Urbe Cæsar, Britannis inferre bellum constituerat. Sed ubi perventum in Galliam est, obvios eorum oratores habuit, pacem petentium. Idcirco, deposito priore consilio, in Gallia substitit, quam recens subactam, secutis deinde civilibus bellis, nondum bene certa ac stabilis forma continebat. Igitur Narbonem evocatis populis trium Galliarum, quas pater Cæsar vicerat, censum egit: moribusque eorum ac reipublicæ firmius constituendæ operam dedit: certumque vectigalis modum, et inferendi tempora quibusque ac loca præscripsit.

Lapis Vet. ap. Pigh. Dio. Hor. III. Carm. 5. Strabo, IV. p. 200. Dio. Liv. Epit. Dio. Dio, LIV. Druso Libone et Pisone Coss.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXXV.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Eadem æstate M. Licinius Crassus M. F. M. N. pro consule ex Thracia et Getis, A. D. IV. Nonas Julias triumphavit. Bastarnæ nuperæ cladis dolore Dentheletas et Sitam, quibus calamitatis suæ causam imputabant, adorti, excitarunt Romanum, illis gentibus atque regionibus belli minime appetentem. Ceterum ut inquietas nationes graviore damno castigatas in longius pacaret, diligenter instructis omnibus, operam dedit ut imparatis superveniret. Juvitque consilium fortuna: et, profligatis levi negotio barbaris, leges pacis, quales Romanus voluerat, impositæ. Victis Bastarnis, cum arma semel cepisset, ulcisci Thracas quoque statuit; qui priori expeditione e Mysia [a] revertentem latrociniis vexaverant, et tum quoque nihil pacati agitare nuntiabantur. Igitur in Merdos Serdosque exercitu inducto, nationes istas prælio non uno victas, magno labore domuit; amputatis multorum manibus, quod aliter frangi feritas crudelissimorum mortalium non poterat. A Serdis istis vocatam regionem, quam Serdicam et Sardicam variante scriptura celebrant his-

Fasti Capit.

Liv. Epit. CXXXIV. Dio, LI. fin.

Flor. III. 4.

[a] *Mysia*] Latini scriptores frequentius scribunt *Mœsia:* qua scriptura distinguitur hæc regio a *Mysia* in Asia. Vid. Cellar. Geogr. Antiq. l. II. c. 8. *Crev.*

Digitized by Google

toriæ; pro Merdis, quod nescio an usquam præterea occurrat vocabulum, Mædos intelligere malim, vicinos Dentheletis, et a Serdis flumine tantum Nesso separatos.

Dio. 2. Ceterum subjecta quæque populando, cum ad Odrysas Crassus penetrasset, his in pacis speciem occurrentibus pepercit. 'Bacchi se clientes' asseverabant, 'neque dignum ab ejus imperatoris exercitu sacras terras vastari, cujus imperii prædictionem M. Octavio de filio consulenti exhibuissent. Ritu enim loci vinum aris infusum, superato ædis culmine in cœlum emicasse lætissima flamma: quod ostentum nemini post Alexandrum Magnum factum fuerit.' Lucum eum tum temporis Bessi obtinebant: itaque Crassus his ademtum, prioribus cultoribus restituit. Hæc agentem Roles excivit, cui cum alio Getarum regulo (Dapygi erat nomen) bellum inciderat. In hos invectus Romanus, cum equites pulsos in peditum ordines impegisset; non prælium ultra, sed cædes turbatorum atque diffugientium fuit. Dapyx in castellum munitum se contulit: quod cum obsideret Crassus, quidam de muro Græce salutans eum, colloquium expetivit. Per hunc proditi barbari, ne in manus inciderent hostium, mutuis vulneribus semetipsi conciderunt. Dapygis fratri, nisi captus fuisset, par cum aliis fatum sortituro, Crassus salutem et libertatem restituit.

Sueton. Aug. 94.

Dio.

3. His ita gestis, ad Ceiram signa promota. Est in regionibus eis spelunca ejus magnitudinis et munimenti, ut Titanes a Diis victi eo confugisse dicerentur. Huc omnes opes suas finitimi, et, quod in his pretiosissimum erat, armenta et pecora incluserant. Crassus, perquisitis omnibus speluncæ ostiis, (tortuosa enim et occulta erant,) obstructisque, necessariorum parandorum facultate exclusos, fame subegit. Invitatus hoc successu, Zyraxis etiam regionem, licet Dapygis bello se nihil immiscuerat, invasit. Robustissimum ejus regionis oppidum Genucla fuit, ubi signa Romana esse dicebantur, quæ C. Antonio apud Istrianos Getæ ademerant. Ea terra simul et ab Istro, cui adjuncta fuerant, oppugnata, parvo quidem tempore, sed non parvo labore cepit, absente quidem Zyraxe, qui ad primam belli famam, cum pecunia, comparandorum auxi-

Digitized by Google

liorum causa, in Scythas profectus, nondum redierat. Interea Mysorum etiam populos, qui defecerant, per legatos recepit. Artacios, illibatam libertatem nullaque violatam deditione jactitantes, ipse aggressus, ne vicinis fastidium conditionis suæ facerent, quanquam fortissime repugnantes, in potestatem redegit, cum partem eorum superasset armis, ceteros captivis suis metuentes accipere conditiones pacis coëgisset.

4. Ob eas res triumphum ei concessit Augustus; itemque M. Valerio Messallæ propter Gallorum rebellantium partem domitam. Circa amnem Aturum[1] et Pyrenæos saltus res gesserat, Aquitanorum maxime ferocia fracta. Triumphavit igitur pro consule ex Gallia A. D. VII. Kalendas Octobres: et ex manubiis viam silice sternendam locavit, quam ne fuisse Valeriam existimemus, Tibulli poëtæ, qui bello Aquitanico sub Messalla meruit, auctoritati damus, per Tusculanum Albanumque agrum ductam testantis, cum Valeria Tibure in Marsos et Pelignos pertineret. Dum hæc agunt, Augustus in Hispaniam ex Gallia profectus, eam quoque provinciam pro ratione præsentium ordinavit. Adhuc Tarraconæ agentem Kalendæ Januariæ deprehenderunt, quibus consulatum ipse octavum, T. Statilius Taurus iterum inierunt.* Tum Agrippa, cui nulla munienda obtigerat via, aliud non minoris sumtus opus, Septa, dedicavit. Locum eum in Martio Campo Lepidus antea comitiorum habendorum causa porticibus instruxerat. Agrippa incrustavit, tabulisque et statuis exornavit, adeo pretiosis, ut pro quibusdam capite spondere tutelarii cogerentur. Sed Agrippa, nihil honori suo tribuens, Septa Julia vocavit, omnia referre ad Cæsarem solitus, eoque et apud ipsum integra gratia; nec minus in magna gloria apud ceteros, quod optimorum consiliorum auctorem esse Cæsari scirent.

Appian. Civ. IV. p. 611. Dio XLIX. fin. Tibull. I. Eleg. 7. et II. 1. Fasti Capit. Sueton. Aug. 24. Tibull. I. Eleg. 7. v. 9. et 57. Strabo, v. p. 238. Dio, LIII. Sueton. Aug. 26. Dio. Plin. XXXVI. 5. Dio.

5. Longe diversis moribus Cn. Cornelius Gallus, pro instituti sui vanitate exitum habuit. Is immemor cujus

1 *Montem Atucem* legebatur ante Crev. qui ex Tibullo reposuit *amnem Aturum.*

* A. U. C. 726. A. C. 26.

Digitized by Google

Ovid. II. Trist. 446. Euseb. Chron. Marcell. VI. Dio.

opus esset, auctori suo obtrectare non verebatur: et, inter alia maleficia, Thebas, Ægypti nobilissimam urbem, pluribus ornamentis opibusque spoliatam exhauserat. Nec interim defuit statuas sibi, per omnem prope dixerim Ægyptum, ponere, et acta sua insculpere in pyramides.

Strabo, XVII. p. 819. Dio.

Nam Heroum urbem deficientem parva manu receperat: domueratque Thebas, propter tributum tumultuantes.

Sueton. Aug. 66. Dio.

Hæc, cum accepto successore Petronio in Urbem redisset, Valerius Largus ex familiaribus ejus objecit; factumque est, ut Augustus Gallo amicitia et provinciis suis interdiceret. Sic cadere incipientem aliæ, ut fit, adortæ accusationes prorsus afflixerunt, multorumque criminum,

Serv. ad Virg. Ecl. x. Dio.

inter quæ et conjurare contra Cæsarem voluisse, insimulatus, sententiis patrum, quibus causam judicandam imperator dederat, exulare jussus est: bona ejus in fiscum Cæsaris referri placuit, et ob hanc vindictam honorem haberi Diis immortalibus; iisque majoribus hostiis senatus nomine fieri. At Gallus, ignominiam non ferens, ferro

Suet. Marcell. Serv. Dio, &c. Euseb. Chron.

incubuit. Hic casus primum ex Romanis Ægypti præfectum, inter paucos Cæsari carum, poëtam nobilem, bello spectatum, quadragesimo ætatis anno sustulit, cum tot egregia naturæ ac fortunæ munera utendi nescius inexcusabili vecordia corrupisset.

Dio.

6. Atque hoc sicuti ad modestiam documentum, sic illud ad cautionem hominibus fuit, quod multorum suffragiis adactus ad extrema fuerat, qui prosperitate magna usum adulationi propioribus officiis impense coluerant. At illi Largum videntes crescere, ad hunc se transtulerunt, eundem illum, si quando ferret occasio, haud segni-

Plin. XXXVI. 24. Dio.

us condemnaturi. At apud alios propter amicum eversum tanta esse in invidia Largus cœperat, ut C. Proculeius, Cæsaris amicitia notus eques, cum forte factus ei esset obviam, manu os atque nasum compressisse dicatur: quasi indicans, tali præsente delatore, ne respirare quidem tuto quenquam posse. Alius testibus adhibitis Largum interrogavit, 'an se cognosceret?' et, negante illo, rem consignavit in tabulis, quasi homo improbus calum-

Sueton.

niari vel ignotum nequiret. Casu Cornelii cognito, laudatam quidem ab Augusto patrum pietatem ferunt, tanto-

Digitized by Google

pere pro se indignantium; sed et illacrymasse eum, nobilique voce questum, 'sibi soli non licere amicis, quatenus vellet, irasci.'

7. Tantum exemplum nihil M. Egnatium Rufum deterruit, (adeo plures aliorum improbitatem æmulari, quam vereri pœnam didicerunt) quominus ad similem furorem prolaberetur. Ædilis nuper et alia non inepte fecerat, et, oborto forte incendio, per servitia sua et mercenarios opem tulerat laborantibus. Ob ista populi jussu pecunia ex publico data, factusque præter leges statim ex ædilitate prætor, in tantum sibi placuit, ut Augustum contemneret, edictoque proposito, 'sua opera salvam integramque Urbem successoribus tradi' gloriaretur. His quanquam offensus cum nobilissimo quoque patrum Augustus, satis tamen in præsentia habuit ædilibus injungere, 'darent operam, ne qua incendia existerent, aut, si extitissent, in tempore restinguerentur.'

Dio. Vell. II. 91. et Dio. Dio.

8. Eodem anno Ponti rex Polemo, inter socios ac fœderatos populi Romani ascriptus, in universo regno suo prima in theatris loca senatoribus Romanis dari præcepit. Et Romæ Sex. Apuleius Sex. F. Sex. N. proconsul ex Hispania A. D. VII. Kalendas Februarias triumphavit. Sub idem tempus clausæ nuper Jani portæ denuo patuerunt. Britannos promissa non servantes bello petere Augustus destinarat. Sed præpeditus Salassorum, Cantabrorumque, et Asturum rebellione, ad hos prius pacandos consilia convertit. Igitur nono consulatu, cujus collegam M. Junium Silanum habuit,* etiam Tarracone inito, ipse Hispanos domiturus Alpina bella Terentio Varroni Murenæ demandavit.

Fasti Capit. Oros. VI. 21. Dio. Sueton. Aug. 26. Dio.

9. Salassi nuper Gallico bello M. Messallæ castra propinquis locis habenti, ligna ad focum, et hastilia ad exercitationes, non nisi pretio accepto, dederant; et nuper per simulationem viarum, aut pontium reficiendorum, cum magnis copiis juga montium insidentes, saxis in subjecta devolutis, pecuniam, quæ ad Cæsarem portabatur, interceperant. Hos igitur divisis copiis Varro, quo pluribus locis invadens distraheret, haud difficulter paucos

Strabo, IV. p. 205. Dio.

* A. U. C. 727. A. C. 25.

Digitized by Google

numeroso succinctus exercitu superavit. Pacem deinde petentibus cum certam pecuniam imperasset, tanquam nihil ultra passuris; dimisit, per causam exigendi, milites, comprehendique omnes, et adduci Eporediam jussit. Ibi sub hasta venierunt omnis ætatis sexusque millia sex et triginta; præterea hominum bello aptorum octo millia, lege addita, 'ne aut in vicina regione servirent, aut vicesimum intra annum manumitterentur.' Ita perdomitis tandem Salassis, Augustus tria colonorum millia, maxime ex prætoriis cohortibus, in optimam ejus agri partem misit; et, quo loco castra habuerat Varro, condi oppidum, et muris, quatenus natura locorum patiebatur, muniri jussit. 'Augusta Prætorianorum' appellata.

Strabo. Sueton. Aug. 21. Dio. Sueton. Aug. 21. Liv. Epit. Strabo et Dio.

10. Difficilior adversus Cantabros Asturesque labor Augusto fuit: cum asperi homines, et pari situ defensi, nec pacem amplecterentur, nec in discrimen pugnæ se darent adversus validiorem. Cantabrorum præcipua contumacia fuit: qui libertatem usurpare non contenti, quoties Romanus metus aberat, Vaccæos, et Turmodigos, et Autrigonas assidue depopulabantur. At ubi, Sagesama recepta, castrisque ibi positis, tripartitas copias immisit Cæsar; modo altioribus jugis præoccupatis, modo per cava locorum aut sylvestria positis insidiis, in has eum difficultates conjecere, ut præ curis laboribusque per majorem partem ætatis exantlatis in morbum incideret. Sed et frumenti penuria laboratum in castris est, quod per difficiles vias parce ex Aquitania subvectum, incredibilis exorta murium multitudo diripiebat. Ergo et cum hoc tantulo animali belligerandum fuit; hominesque conducendi, pretio in certum captorum numerum constituto.

Dio. Flor. IV. 12. et Oros. VI. 21. Dio. Strabo, III. p. 165.

11. Ceterum Augustus Tarraconem regressus, C. Antistium bello præfecerat: eaque res ad celeritatem victoriæ profuit. Quippe barbari, contemto Antistio, cum prælium commisissent ad Balgidam (quod oppidum ab aliis Segidam vocari[b] doctis placet) magna clade victi,

Dio. Flor. et Oros.

[b] *Belgidam, quod oppidum ab aliis Segidam vocari*] Cum valde incertus sit et Belgidæ, sive Belgicæ, (sic enim hoc nomen efferunt quædam Flori et Orosii exemplaria,) et Segidæ sive Segedæ situs, nihil incertius quoque hac conjectura, qua Belgica et Segi-

Digitized by Google

Vinnium altissimum montem fuga petiverunt. Ibi tuti loco, necessariorum inopes, quam deditionem ferrum extorquere nequiverat, fame subigente fecerunt. Alia deinde sunt ab Antistio oppida capta: sed cujus titulis Arracillum accedere debeat, quando sub hæc tempora et C. Furnius et M. Agrippa his in regionibus res gesserunt, inter silentium auctorum parum liquet. Id tantum reperio, cum diu magna vi repugnasset, captum ac direptum esse. Post hæc, ulteriora quoque Gallæciæ victores pervaserunt, classe etiam admota ab oceano, cui præfuisse C. Furnium arbitror; qui una cum Antistio Medullium montem flumini Minio adjacentem obsedit. Isthæc obsidio magno labore periculoque Romanis constitit. Magna hominum multitudo huc confugerat; quæ, cum armis resisteret, operibus expugnanda fuit. Igitur, obducta per quindecim millia passuum fossa, cum aliter captivitatem effugere barbari nequirent, inter epulas se certatim igne, ferro, ac veneno peremerunt.

Dio. Flor. et Oros. Vell. II. 90. Flor. et Oros.

12. Taxus arbor in Hispania nascitur: hujus e baccis venenum exprimebant, cetera quoque tam maleficæ naturæ, ut, vasis ex eo ligno factis, vina diffusa mortem afferant. Hinc 'taxica' vocata putant, quæ vulgo 'toxica' nominantur. Alii toxicon ex herba fieri similitudinem apii referente tradunt. Id quoniam citra dolorem necet, asservare Hispanos in remedium acerbioris casus: eos maxime, quos gentili more supervivere post mortem ejus, cui se devoverint, nefas habetur. Hoc modo consumtis plerisque, ne quidem servari magna pars eorum, qui in potestatem venerant, potuere. Annotatum est a puero, gladium forte nacto, jussu patris parentes cum fratribus omnibus interemtos: itemque alios una captos, a muliere. Nec enim ille sexus erat mollior: et interfecti sunt eo bello a matribus liberi, ne in potestatem hostis inciderent. Inter hæc relevatus nonnihil Augustus ad castra rediit:

Plin. XVI. 10. et Flor. Plin. Strab. III. p. 165. Strabo, III. p. 164.

da pro uno eodemque oppido sumuntur. Cellarius in tabula sua Hispaniæ geographica Belgidam sive Segidam ad Sucronem fluvium locat. Doctissimus auctor Dictionarii Geographici, Bruzen de la Martinière, suspicatur Belgidam esse oppidulum regni Arragonici ad meridiem Cæsaraugustæ positum, quod vocatur *Belchite*, ad amniculum dictum *Almanazir*, sive *Almonazir*. Crew.

Digitized by Google

Flor. fractosque jam hostes et in deditionem acceptos partim in plana deduxit, ne montium fiducia rebellarent; aliis obsides imperavit; ferocissimum quemque sub corona vendidit.

Flor. et Oros. Isid. Etymol. IX. 2. Flor. et Oros. 13. Sub idem tempus Astures, montibus suis degressi, castra juxta flumen Asturam (unde nomen genti) posuerant. Inde trifariam divisis copiis totidem Romana castra oppugnaturi, maximum terrorem imparatis periculumque intulissent; nisi T. Carisius, Trigæcinis sociorum consilia prodentibus, instructo cum exercitu occurrisset. Cruentum ibi certamen fuit, multis utrimque cadentibus, donec in fugam acti hostes Lanciam, urbium suarum maximam, confugerunt. Eam milites ab ira pertinacis prælii delere incendio cupiebant: donec Carisius, non parvo apud utrosque negotio, barbaris deditionem, suis clementiam persuasit; ut victoriæ Romanæ stans potius Lancia, quam incensa monumentum esset. Hanc victoriam, omnibus circum exterritis, secuta gentis est deditio, concessis ei ad inhabitandum castris suis, quæ in plano essent. Sic mansuefacti paulatim Astures solum exercere, et metalla, didicerunt; tum demum opibus suis cognitis, dum alieno lucro eas eruunt. Aurum enim fert Hispania coloresque, quorum Indico similis ex arena excoquebatur. Miniarium certe metallum maximi proventus in Bætica fuit: in Gallæcia vero Minium flumen inde nominatum putant, quod in eo magna vis ejus pigmenti reperiatur.

Dio. Flor. et Oros. Dio. Flor. Justin. XLIV. 1. et 3. Plin. XXXV. 6. XXXIII. 7. Justin. XLIV. 3. Flor. Liv. XXVIII. 12. Vell. II. 90. Strabo, III. p. 158. Dio. Strabo, III. p. 166. Plin. IV. 22. Dio. Pigh. Ann. 14. Hæc extrema fuit Augusti ductu suscepta expeditio: qua perpacata demum post annos ferme ducentos Hispania, si modicos mox tumultus excipias, provincia facta, Romano jugo sat patienter assuevit. Augustus, bello confecto, militibus, emerita stipendia habentibus, sedem in Lusitania dedit, colonia condita, quam Augustam Emeritam appellaverunt. Ibi ex prætoriis legatum constituit Cæsar Carisium, sive Titus ei prænomen fuit, sive nummos potius istius fuisse credimus, (et est vero propius,) qui urbem cum turribus et portis præferentes, hunc titulum exhibent: EMERITA: et in ambitu P. CARISIVS. LEG. PRO. PR. Majori parti Hispaniæ consularis C. Antistius impositus est, cum tribus legionibus,

Strabo. Vell.

Digitized by Google

totidemque legatis. Ludos etiam in castris Marcellus ac Tiberius, ædilium vicem, ediderunt. Dio.

15. Jubæ deinde regi, quod pleraque paterni ejus regni provinciæ populi Romani ascripta fuerant, Gætuliæ quædam concessæ partes, et quicquid Bocchus ac Bogud Mauritaniæ reguli obtinuerant. Per idem tempus Amyntas, multis Cilicum et Pisidarum castellis occupatis, ad Homonadenses progressus, interfecto tyranno, dolo muliebri perierat. Ejus regnum, quanquam liberos reliquerat, in provinciæ formam redegit Cæsar, misso M. Lollio, qui primus eam pro prætore administravit. Huic Lycaones cum Gallogræcis parere jussi, tum Sagalenses, et Selgenses, et quicquid sub imperio Amyntæ fuerat. Pamphyliæ tantummodo partes, nuper eidem attributæ, suis legibus redditæ sunt. Strabo, VI. p. 288. Strabo, XII. p. 569. Dio. Eutr. VII. 5. Euseb. Chron. Dio. Strabo, ib. et p. 571. Dio.

16. Ob hæc, et quia Celtarum quosdam, ob negotiatores Romanos interfectos, armis ultus M. Vinucius imperatoris nomen Augusto et ipse quæsiverat; triumphos ex provinciis subactis Cæsari senatus decrevit; eosque recusanti tropæum super arcum statui jussit in Alpibus. Id tamen complures post annos perfectum arguit inscriptio pontificatum Augusti præferens, quem post mortem demum M. Lepidi assumsit. Talis enim illa fuit: IMPERATORI. CÆSARI. DIVI. F. AVG. PONTIFICI. MAXIMO. IMP. XIII. TRIBVNITIÆ. POTESTATIS. XVIII.[c] S. P. Q. R. QVOD. EJVS. DVCTV. AVSPICIISQVE. GENTES. ALPINÆ. OMNES. QVÆ. A. MARI. SVPERO. AD. INFERVM. PERTINEBANT. SVB. IMPERIVM. POP. ROM. SVNT. REDACTÆ. GENTES. ALPINÆ. DEVICTÆ. TRIVMPILINI. CAMVNI. VENOSTES. VENNONETES. ISARCI. ceterorum deinde populorum longa series sequitur, quam ob ignota pleraque veteribus etiam monumentis vocabula prætermisi. Operis reliquiæ prope Monœcum portum visuntur in Liguria. Nam duobus supra milliaribus in præruptis collibus adhuc columna cochleata superest, qua spe- Flor. Dio. Sueton. Aug. 31. Plin. III. 20. Cluv. Ital. Ant. I. 9.

[c] *Tribunitiæ potestatis XVIII.*] Notam numeri adjectam esse a Dalecampio, cum in omnibus scriptis et antiquioribus editis desideretur, affirmat Clar. Harduinus, qui quidem præterea affert, tanquam e Dalecampio, *XVII.* non *XVIII.* Crev.

Digitized by Google

culæ et arcis loco utuntur incolæ, corrupta nonnihil voce Torpia pro Tropæis appellantes.

Dio et Oros.

17. Ob ejusmodi tam læta, cum oppressa ubivis bella viderentur, quorum causa nuper apertum Jani templum fuerat, iterum claudi placuit. Ducibus ac legatis Augusti, quorum opera bella confecta fuerant, jus datum,[d] singulis annis uno die Kalendis Januariis gestandæ coronæ cum triumphali habitu.

Dio.

Strabo, v. p. 235. Sueton. Aug. 29. Dio.

18. Omnibus his annis multus in Urbe suis sumtibus exornanda M. Agrippa fuit, plurima et egregia opera molitus. Inter quæ porticum exstruxit, navalium victoriarum præmium, Neptuno, quem Argonautarum celebri pictura decoravit, in omnibus suis operibus exemplo confirmare nisus, quod oratione magnifica sane, et maximo civium digna, de tabulis omnibus signisque publicandis habuit. Igitur et Thermarum suarum calidissima parte marmoribus parvas tabellas inclusit: et ante eas Lysippi distringentem dedicavit: et templum Ultori Jovi positum, cum Syracusanis columnarum capitibus, sic exornavit, ut propter omnium Deorum conspicua in eo signa Pantheon appellaretur: quanquam nominis ejus causam alii in simulacra Martis et Veneris Deorum icunculis varie exculta conferunt: Dio sic dictum a forma rotunda putat, quæ cœlum Deorum omnium domicilium imitetur. Sequentia tempora, cum Diis omnibus sacratum fuisse existimarent, omnibus Sanctis et Virgini cœlorum reginæ dedicarunt; hodieque durans id opus propter solidæ molis firmissimam stabilitatem, sub vocabulo Sanctæ Mariæ Rotundæ in exemplar perfectæ architecturæ cernitur: testante titulo M. Agrippam L. F. consulem tertium fecisse. Simulacrum Augusti collocare ibidem Agrippa voluerat, ejusque nomen operi præscribere: sed utrumque illo recusante, dictatoris Cæsaris statuam in æde, suam et Augusti in vestibulo posuit.

Plin. xxxv. 4.

Plin. xxxiv. 8. Plin. xxxvi. 14. et xxxiv. 3. Suid.

Dio.

Vid. Rosin. Ant. Roman. ii. 5.

Pigh. Ann. 728. Dio.

19. Hæc tam magnifica opera cum proxime contingere principale culmen viderentur, honori tamen Agrippæ potius apud Cæsarem, quam fraudi fuere. Notus enim erat

[d] *Ducibus ac legatis Augusti* ... *jus datum*] Hoc jus Augusto ipsi, non ejus ducibus, Dio datum memorat. *Crev.*

Digitized by Google

viri animus, Cæsaris reique publicæ causa facientis omnia, ut hanc operibus institutisque præclaris, hunc gloria et benevolentia civium decoraret. Nam ornatui commoditatibusque Romanæ Urbis plurimum studens Augustus, per se et amicos in tantum enisus est, ut jure gloriaretur, 'marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset.' Igitur et nuptias filiæ suæ, quam M. Marcello, vix pueritiam egresso, desponderat, quod per valetudinem Romam venire prohibebatur, Agrippa vices absentis gerente, celebravit: et ædibus M. Antonii in monte Palatino combustis, quas M. Agrippæ et M. Messallæ concesserat, huic quidem pecuniam dono dedit; Agrippam in suas ædes recepit. Quæ cum maximo honori tanto viro essent, nihilominus alios quoque haudquaquam paribus meritis populus tum celebravit: C. Toranium tribunum plebis, quod patrem suum, quanquam libertum, juxta se considere in theatro jusserat: P. Servilium, quod ejus ludis ursi trecenti, totidemque Africanæ confectæ fuerant.

Strabo, v. p. 236.

Sueton. Aug. 29. Dio.

Sueton. Aug. 63. Dio.

20. Proximus deinde annus, quicquid abesse potestatis Augusto videri poterat, obvia senatus voluntate delatum contulit. Kalendis Januariis, quibus magistratum decimum consul, collega C. Norbano Flacco, absens iniit, senatus universus in acta ejus juravit: * et, cum adventum suum nuntiandum curasset, (nam ob valetudinem infirmam diutius abfuerat,) et ob eam causam divisurum populo quadringenos nummos,* si senatui videretur; legibus semel omnibus eum solvit: ne quicquam facere quod nollet, aut quod vellet prætermittere cogeretur. Hæc absenti data. Postquam advenit, et alia propter salutem ejus atque reditum facta sunt, et honoris ejus causa propinquis quædam concessa: Marcello, dicendæ prætorio loco sententiæ, petendique consulatus decem annis maturius, quam per leges liceret; Tiberio, ut quinquennio prius quam leges annariæ sinerent, in petendis honoribus ratio ejus haberetur. Simul etiam hic quidem quæstor, Marcellus jam pontifex, ædilis curulis designatus est. Forte

Sueton. Aug. 41. Dio.

Sueton. Tib. c. 9. Dio. Vell. II. 94. Dio.

* A. U. C. 728. A. C. 24.
* *Quadringenos nummos*] Unciae argenti nostrates 12. semunciam 1. Crev.

Tac. Ann. I. 3. Dio. quæstores ad numerum non erant, qui in provincias mitterentur. Idcirco placuit senatui, ut quotquot proximo decennio magistratum eum gessissent, neque in provincias exissent, sortirentur.

21. Dum hæc in Urbe fiunt, Astures et Cantabri, simulatque decessisse Hispania Cæsarem audiverunt, novæ servitutis impatientes arma resumserunt. Ceterum priusquam consilia nudarent, arte capere Romanos conati, missis nuntiis ad L. Lamiam, is tum Hispaniensibus legionibus præerat, frumentum et alia quædam dono se dare exercitui significarunt. Deinde milites accipiendi gratia missos, quo quemque voluerant perductos, interemerunt. Sed hujus facinoris haud diuturnum eis gaudium fuit. Quippe vastatione agrorum, et oppidorum incendiis, aliisque belli cladibus celeriter domiti, pœnas turbatæ per insidias pacis dederunt.

Pigh. Ann. 729. Dio.

22. Alius eques Romanus, Gallus Ælius, in Arabiam Felicem signa Romana primus intulit. Quam expeditionem[2] ex Strabone potissimum, auctore quantivis pretii, qui Gallo amicus sodalisque fuit, exequemur. Miserat hunc Cæsar, ut eas gentes finitimasque tentaret, simul locorum situm, Æthiopicosque fines, et Troglodytas Ægypto vicinos exploraret, qui sinu Arabico minime lato ab Arabibus separantur. Hos, quia ditissimos esse sciebat, auro argentoque aromata et lapillos permutantes, nec ementes ab aliis quicquam; aut amicos habiturus opulentos, aut, si hostes esse maluissent, ingentia inde spolia reportaturus videbatur. Spem dabat et Nabatæorum societas, quorum Syllæus, fraudulento ut res docuit consilio, se ducem itineris, socium periculorum offerebat. Ad Album pagum, id maximum Nabatæorum emporium erat, dirigendum iter cum esset, negavit pedibus penetrare eo exercitum posse; cum tamen mercatores, tanto camelorum et hominum numero, commeare inter Petram et Album vicum soleant, ut, si multitudinem spectes, differre nihil ab exercitu videantur. Primum in eo peccatum fuit, quod adversus homines minime bellicosos, mari præ-

Plin. VI. 28.* Dio. Strabo, II. p. 118. XVI. p. 780. Plin. Strab.

2 Carent edd. ante Crev. voce *expeditionem*.

Digitized by Google

sertim, naves longas apud Cleopatridem, qua veteri fossæ Nili proxima est, biremes triremesque ac phaselos circiter octoginta construxit. Errore dein animadverso, centum triginta onerarias ædificavit: imposuitque militum Romanorum ac sociorum millia ferme decem, in quibus erant cum Syllæo mille Nabatæi. Herodes etiam, in magna fame frumento nuper adjutus a Petronio, quingentos ex prætoria cohorte delectos auxilio miserat. Joseph. Antiq. xv. 12.

23. Hi circumducti per amfractus, et æstuaria, brevibusque aut occultis saxis insidiosos sinus, (propter quæ magnis navibus in eo mari nemo utebatur,) quintodecimo die vicum Album attigerunt, multis amissis navigiis, quanquam nemo dum hostium occurrisset. Id socordia fiebat Nabataeorum regum, præfectis suis, quos fratres appellare consuerant, committentium omnia, præsertim quæ ad rem militarem pertinerent. Hoc instituto tum rex Obodas omnem harum rerum curam in Syllæum inclinaverat. Hunc autem id agere suspicio erat, ut, explorata regione, Romanos in subigenda parte ejus adjuvaret: deinde illis morbo, fame, et ceteris, quæ structurus ipse esset, malis, absumtis, ipse ab his occupata possideret. Hujus scelere factum, ut per vasta loca et squalentia æstu circumducti, cum aquarum herbarumque malignitas insueta corpora tentaret, quod æstatis reliquum erat, cum secuta hyeme, circa Vicum Album contererent. Strabo. Strabo, xvi. p. 779. Strabo, xvi. p. 781. Dio et Strabo.

24. Inprimis molestæ Stomacace[f] et Scelotyrbe fuerunt, ignotæ nostro orbi hactenus pestes,[3] sed illis locis familiares. Nam in capita primum incumbens vis mali, dentibus dejectis faciem exsiccabat. Plurimi hoc genere morbi statim peremti: aliis a capite citra noxam mediarum partium ad pedes ea pestis transiit, genuum compagem solvens. Nec remedium inveniebatur, nisi quod oleum in vino potum inunctumque paucis profuit. Neutrum enim iis locis nascebatur, neque maximam eorum copiam secum attulerant. Plin. xxv. 3. Strabo et Dio.

3 *Molesta Stomacace et Scelotyrbe fuit ignotæ nostro orbi hactenus* edd. ante Crev.

[f] *Stomacace*] Morbus quem Galli dicimus *le scorbut*; *Scelotyrbe* est quædam genuum crurumque paralysis. *Crev.*

Digitized by Google

25. Idcirco, transacta demum hyeme, cum Augustus undecimum consul collegam Terentium Varronem Murænam, et, hoc celeriter defuncto, Cn. Calpurnium Cn. F. Cn. N. Pisonem, ultro ambitum a Cæsare ac rogatum, haberet,* Ælius Gallus ex Albo vico copiis eductis, terrestri itinere similem ducum perfidiam expertus, post aliquammultos dies maxima cum defatigatione hominum animaliumque (nam et camelis aquam portari necessum fuerat) in Aretæ regnum pervenit. Obodam affinitate contingebat Aretas: eo promtius excepit Romanos, donisque hospitaliter coluit. Nec ideo minus per tam aridam regionem difficilis eis transitus Syllæi perfidia et artibus fuit. Triginta dies per devia consumti: quibus ferme Zea, et dactylis raris, et olei loco butyrum præbente regione vixerunt. Inde penetratum in campos magna parte desertos, quibus tum Sabus imperabat. Vagam ibi vitam pastoralemque degunt homines, Ararena vocatur. Per hanc quinquaginta dierum spatio, per inculta et invia loca, mitem pacatamque gentem attigerunt Negranorum: quorum rex, cum ad gentis ignotæ famam diffugisset, oppidum primo impetu captum est. Sextis deinde castris ad flumen quoddam progressi, cum hostibus magno magis, quam difficili, prælio contenderunt. Arcum et gladium, lanceamque, fundas etiam nonnulli, sed plerique bipennes habebant. His armis quam imperite et trepide sint usi ne dicendum quidem arbitror, cum ea pugna, decem millibus suorum amissis, tantummodo duos de Galli exercitu interfecerint.

Fasti Capit. Pigh. Ann. — Tac. Ann. II. 43. — Strabo. — Dio. Strab. — Plin. VI. 28. — Strabo.

26. Hæc victoria eis Ascam oppidum, itidem ab rege derelictum, aperuit. Hinc Athrullam processum: captaque insigni, ut iis locis, urbe, copiis oppidanorum, frumento maxime et dactylis refecti, Rhamanitas invaserunt Ilasaro parentes. Horum caput in Calingiorum natione Mariaba fuit, superba appellatione: nam dominos omnium interpretantur. Nec abhorrebat oppidi magnitudo, sex millia passuum circumitu complectens. Nec in potestatem Romanorum pervenit; inopia aquæ septimo die solvere obsidionem coactis. Præter hæc oppida, Nestum

Dio. Strab. — Plin. — Strabo. — Plin.

* A. U. C. 729. A. C. 23.

Digitized by Google

quoque, Magusum,[s] et cum Tammaco Labeciam diruisse Gallus traditur, et, quo longissime processit, Caripeta. Sed quantum viribus superior erat, tantum eoque amplius morborum violentia infestabatur: a quibus ad postremum expulsus est. Occupata pristini cultores receperunt. Gallus, cum tantum itinere bidui ab aromatifera abfuisset, ut ex captivis est coguitum, sexaginta diebus omne id spatium remensus est, quod fraude ductorum toto semestri vix confecerat. Nonis castris Negrana rediit: undecimis inde 'Septem Puteos,' a rebus ipsis denominatum locum. Inde pacata exceperunt: vicus Chaalla, deinde Malotha flumini adjacens. Hinc per deserta et sitientia Negram itum, maritimum vicum, ex Obodæ regno. Inde diebus undecim celeberrimum Ægypti portum, quem Muris appellant, tenuit. Inde Coptum; a Copto Alexandriam reliquias exercitus reduxit. Nam morbo et fame, tum desperatione ac tædio major pars interierat; in bello septem omnino desideratis.

Dio et Strabo.

Strabo.

27. Hic annus sæpe ægrotantem Augustum decumano quasi morbo propemodum dejecit. Omni certe spe salutis abjecta, magistratibus, senatoribusque, et equitum primoribus domum convocatis, testamentoque facto, annulum Agrippæ, Pisoni consuli rationarium imperii tradidit, quo numerum exercituum, et, quid ubique caperet populus Romanus, aut expenderet, conscripserat. Successorem nominavit neminem, admirantibus, qui Marcellum eam in spem educari conjecerant. Antonius autem Musa, cum destillationibus vitiatum jecur calidis fomentis non juvabatur, ancipitem rationem medendi necessario complexus, frigidis eum lavacris potionibusque, et multo lactucæ usu, restituit. Pro hoc merito multam hic Antonius et ab senatu et ab Augusto pecuniam, cum immunitate, non sibi tantum, sed et aliis medicinam facientibus in perpetuum decreta, abstulit.

Sueton. Aug. 81. Dio.

Sueton. Aug. 28. Dio.

Sueton. Aug. 81. et Dio.

Plin. XIX. 8. Dio.

28. Ne tamen artis experimento nimium gloriaretur; non multo post Marcellus ab eodem Musa simili methodo

[s] *Nestum quoque, Magusum*] Paulo aliter hæc nomina efferuntur apud Plinium, in editione Clar. Harduini, *Amnestrum, Nascam, Magusam.* Crev.

Digitized by Google

Serv. ad Virg. Æn. vi. 861. Propert. Eleg. iii. 18. Vell. ii. 93. Dio. Val. Max. ix. 15. Dio. Serv. Dio. Virg. Æn. vi. v. 872. et ibi Serv. Dio. Tac. Ann. ii. 41. Serv. Vell. ii. 93. Sen. Consol. ad Marc. c. 2. Dio. Plin. xix. 1. Serv. et Auctor Vit. Virg. Dio. Plin. vii. 36. Sueton. Aug. 29. Plut. Marcell. fin. Dio.

curatus, in Bajano suo, intra duodevicesimum ætatis annum obiit. Hoc tam acerbum fatum, et prius quoque parum constans Marcelli valetudo, plani cujusdam audaciæ colorem præbuit, se Octavia natum asserentis. Nam se, propter summam corporis imbecillitatem, ab eo, cui datus esset nutriendus, retentum, substituto suum in locum illius filio. Sed hæc diu post acciderunt. Tum vero publico funere, ad quod sexcenti lecti intra civitatem ierunt, ingenti cum gloria pompaque elatum in Campo sepeliendum curavit Augustus; ejusque laudationem ipse peregit. Civitas ejus mortem vehementer doluit, quod affabilitatis et ingenuarum virtutum opinionem, frugalitate et continentia in illa ætate et opibus admirabili, haud exiguam sibi comparaverat. Sane ut Augustus eum populo commendaret, præter alias ingentes summas, quas ejus nomine insumserat, paulo ante in ejus ædilitate celebrandos curaverat magnificentissimos ludos, quibus et eques Romanus, et matrona nobilis mimum egit: et, cum æstas præfervida incidisset, velis inumbrarat forum, ut salubrius litigantes consisterent. Memoriæ traditum est, Virgilio carminis sui partem aliquando recitante, quod Marcello sepulcrale magno operi inseruit, Augustum et Octaviam præ nimio fletu vix durasse, donec locus absolveretur. Ad leniendum deinde luctum, colendamque adolescentis memoriam, honores ei decreti, theatrumque jam cœptum a priori Cæsare, juxta Pietatis ædem, Marcelli appellatum: effigies etiam aurea cum corona ex eodem metallo facta, quæ ludis Romanis in medio magistratuum qui ludos facerent, curuli sella poneretur.

Sueton. Aug. 66.

29. Ceterum recreatus e morbo Cæsar, testamentum suum in curiam illatum ne recitaret, reclamante senatu, prohibitus est. Neminem imperii successorem a se relictum sciri volebat; quin aliquanto plus Agrippæ, quam Marcello tributum: ut sibi de se permissum populus intelligeret; et tamen, si libertatem nollet, Agrippæ notas probatasque virtutes, quam spes incertas adolescentis potiori loco habendas. Credo post mortem Marcelli magnam ei curam fuisse placandi Agrippæ, cujus Marcellum sibi putantis anteferri patientiam desiderabat.

Digitized by Google

30. In Syriam eum miserat, compositurum transmarinas provincias, ne Marcello, magnitudinem Agrippæ haudquaquam æquis oculis aspicienti, contentionis occasio præberetur. Hoc ille pudendam ablegationem, et frigus Augusti esse interpretatus; ne nimium cupidus negotiorum videretur, legatis suis in Syriam missis, Mitylenen processit. Ibi hybernantem Herodes adiit, qui Cæsaream urbem recens condiderat, cum templo Romæ et Augusti, quo loco prius turris Stratonis steterat. Ob hoc, et quia etiam Agrippæ carus erat, nihil contra eum Gadarenis creditum; vinctique in potestatem ejus accusatores traditi. Augustus porro prætoriis comitiis decem iterum creari jussit, majore numero rempublicam indigere negans: octo enim solitis provinciis, duos ærario sufficere.

Dio. Joseph. xv. 13. Vell. II. 93. Dio. Plin. VII. 45. Sueton. Dio. Tac. Ann. XIV. 53. Sueton. Joseph. Vell. II. 89. Dio.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXXVI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Hoc tempore Cæsar, sive continuationem tot consulatuum invidiosam putans, effectisque in quæ tetenderat inutilem, sive propter frequentes morbos otii cupidior, cum duodecimum designaretur, antea quoque reniti solitus, constanter abnuit, quo ad plures hic pervenire honor posset. Et, quo magis hoc sentire crederetur, magistratu abdicato, in Albanum profectus est.[a] L. Sestius suffectus, Publii filius, qui bello Philippensi pro quæstore Bruto fuerat, ejusque ne tum quidem, licet damnatam vi triumvirali memoriam, laudibus et benigna recordatione, servandisque ejus imaginibus, atque ipsi quondam Augusto monstratis, recolere desinebat. Unde et Augusto gloriæ fuit, honore potius quam odio dignam duxisse viri fidem et in amicitia constantiam.

Sueton. Aug. 26. Vell. II. 89. Dio, LIV. Pigh. Ann. Dio. Appian. Civ. IV. p. 619. Dio.

2. Nec ignarus ille, talibus se testimoniis animi magnitudinem approbare, laudemque sine detrimento potentiæ consequi, bene de præcipuis eorum, quos expertus adversarios fuerat, et sentiebat, et loquebatur. Mediolani statua Bruti erat conspicuo loco posita: quam, ex ære diligenter ac artificiose factam, cum Augustus inspexisset,

Plut. Compar. Dionis et Bruti.

[a] *Magistratu abdicato, in Albanum profectus est*] Parum interest. Sed tamen paulo aliter Dio 'in Albanum profectus magistratum abdicavit.' *Crev.*

Digitized by Google

præteriit: moxque subsistens, multis audientibus vocari magistratus jussit: 'animum se civitatis ab se alienum deprehendisse ex eo, quod hostem suum secum haberent.' Perterritis his, ut necessum erat, et pernegantibus, ac in mutuo intuitu defixis, converso ad statuam contracto vultu, 'Hic ergo,' inquit, 'hostis noster non vobiscum est?' Tum vero impensius illis paventibus arridens laudavit Gallos, quod etiam infortunatis amici esse non desinerent: statuamque moveri loco prohibuit.

3. Idem studenti aliquando nepotum alicui superveniens, cum puer territus volumen Ciceronis, quod manu tenebat, veste tegeret, requisivit, inspectoque, magnam ejus partem stans evolvit: libro deinde reddito, 'Doctus,' inquit, 'hic vir fuit, fili; doctus, et patriæ amans.' Ob has igitur æquissimi animi demonstrationes hoc anno senatus ei perpetuum tribunatum plebis decrevit; perpetuum proconsulare imperium, etiam in Urbe, neque renovandis auspiciis indigens: jusque referendi ad patres, tametsi consul non esset, de uno aliquo negotio, quod ipse legisset, quoties senatus convocaretur. Ab his temporibus inolevit,[b] principes Romanos, et ceteris iis honoribus, et tribunitiæ potestatis titulo ac jure uti; quod et priori Cæsari decretum, Augustus omnium primus exercuerat, tribuni quidem nunquam usurpato nomine.

Plut. Cic. fin.

Dio.

Supra, CXII. 59. et CXVI. 8. et 33.

4. Sed hæc neque per adulationem tributa videbantur. Dignus erat qui hæc consequeretur libera voluntate tribuentium, quos ubique tanquam liberos imperiique consortes tractare consueverat. Igitur et Teridaten induxit in curiam, et Parthorum legatos, qui adhuc in Hispania agentem accesserant: neque prius cognitionem earum controversiarum, quam ab senatu mandaretur, suscepit. Exitus hic fuit, ut filium Phrahati sine pretio remitteret, captivos pro eo signaque militaria Crassi primo, deinde Antonii cladibus capta, invicem recuperaturus. Teridaten dedi, adversus fidem videri respondit; eidemque,

Tac. Ann. III. 56. et ibi Lips. Dio.

Just. XLII. 5. et Dio LI. et LIII.

[b] *Ab his temporibus inolevit*] Atque hinc, vel ex anno sequente, numerantur anni tribunitiæ potestatis Augusti, quod sedulo notandum. Vid. Sigon. Comment. in Fastos Capit. ad ann. 730. *Crev.*

Digitized by Google

donec apud Romanos esse vellet, alimenta liberaliter constituit.

5. Eodem anno[c] viam ab Emerita Gades perductam, temporis illius verbis, quam meis explicare malo. Lapis est Emeritæ cum hac inscriptione: IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBVNIC. POTEST. X. IMP. VIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. JANI. CLVSO. ET. REP. P. R. OPTIMIS. LEGIBVS. ET. SANCTISSIMIS. INSTITVTIS. REFORMATA. VIAM. SVPERIORVM. COSS. TEMPORE. INCHOATAM. ET. MVLTIS. LOCIS. INTERMISSAM. PRO. DIGNITATE. IMPERII. P. R. LATIOREM. LONGIOREMQVE. GADEIS. VSQVE. PERDVXIT. Hæc ejus anni gesta servavit antiquitas: et quod novo exemplo C. Calpurnius, cum antea curulis ædilis fuisset, tum in demortui plebeii locum suffici passus est; quodque feriis bini singulis diebus præfecti fuerunt, et in his quidam puer.

Grut. Inscript. p. CXLIX. 4.

Dio, LIII.

6. Anni intemperies his et proximis consulibus tanta fuit, ut vulgatis morbis magna vis hominum interiret. Is casus Liviæ patrocinari visus est, quo minus verisimilis ea criminatio videretur, per quam aliqui Marcelli præmaturam mortem artibus ejus mulieris imputabant; amoliri conantis adolescentem, qui suorum filiorum obstaret incrementis. Prodigiis annumeratus intra Urbem lupus deprehensus; ignique aut tempestatibus afflicta ædificia; et quod, auctu Tiberis, pons sublicius fractus est, Urbsque sic inundata per triduum, ut navibus transiri posset. Idemque et sequenti anno factum, quo consules M. Claudius M. F. Marcellus Æserninus, L. Arruntius L. F. L. N. fuerunt.*

Dio, LIV.

7. Tum etiam fulminibus præter alia statuæ in Pantheo ictæ, et Augusti simulacro hasta, quam manu tenebat, excussa. Fames deinde, ut solet, secuta pestilentiam, quod ægris aut mortuis cultoribus arva squalebant,

[c] *Eodem anno*] Cum in inscriptione quæ sequitur, Augustus tribunitiam potestatem decimum gerere dicatur, illa inscriptio totis decem annis posterior est quam hic notatur. Nec moram facere debet, quod Augustus ibidem dicatur *Cos. XI.* Etenim hinc tantum notatur, eum tunc, cum via illa munita est, consulatum undecies gessisse, non eo ipso tempore consulem undecimum fuisse. Vid. Perizon. Animadv. Hist. c. 7. p. 305. et seq. *Crev.*

* A. U. C. 730. A. C. 22.

Digitized by Google

religionem injecit multitudini, merito sic laborare rempublicam, quod Augustum sine magistratu agere pateretur. Igitur dictatorem dicendum conclamant: ad curiam pergunt; patres lege sublatam dictaturam causatos includunt, ni postulatis suis obsequerentur, incendium denuntiantes. Mox ad ipsius fores profecti cum quatuor et viginti fascibus, 'uti dictaturam et exemplo Pompeii curationem annonæ susciperet,' oraverunt. Ille, cum constanter excusando parum moveret vulgus, scissa veste, ac nudo pectore, genu nixus deprecatus est. Annonam, licet id quoque invitus, recepit curaturum: constituitque, ut ex prætoriis, qui sortiri provincias deberent, bini quotannis frumento dividendo præessent. Interim quæstori Ti. Neroni curandæ frumentariæ rei negotium datum.

Vell. II. 89. Sueton. Aug. 52. Dio. Vell. II. 94. et Sueton. Tib. 8. Dio.

8. Nec dictaturam tantum abnuit Cæsar, sed censuram etiam perpetuam rogatus accipere noluit. Statimque designavit alios, Paullum Æmilium L. F. M. N. Lepidum, L. Munatium Plancum: quorum alter proscriptus ipse fuerat,[d] hic proscripti frater. Hi discordem censuram, parumque reipublicæ utilem egerunt: neque is honor postea cuiquam privatorum tributus est.[e] Ne principes quidem ante Claudium Cæsarem receperunt. Id significatum omine credidit vulgus, quod prima magistratus die tribunal, in quo censores consederant, fractum fuit.

Val. Max. VI. 8. Vell. II. 95. Dio. Sueton. Claud. c. 16. Dio.

9. Augustus, cum Lepido vis atque industria, Planco, propter vitam turpiter actam, auctoritas censoria non inesset, plerasque magistratus ejus partes ipse obiit. Id quam fuerit necessarium, vel inde intelligas, quod L. Do-

Vell. Dio.

[d] *Quorum alter proscriptus ipse fuerat*] Ex his Dionis verbis plerique collegerunt Paullum Æmilium Lepidum, hunc censorem, fratrem fuisse Lepidi triumviri. Sed multis probat Perizonius, Animadv. Hist. c. 3. hunc Paullum Lepidum filium fuisse L. Paulli a fratre Lepido proscripti. Itaque vel erravit Dio, dum hunc Paullum Lepidum censorem proscriptum fuisse dicit, vel intelligendum est eum cum patre proscriptum esse. Quod spectat ad Plancum, frater fuit Plotii a triumviris proscripti. Vid. supra CXX. 36. *Crev.*

[e] *Neque is honor postea cuiquam privatorum tributus est*] Hic aliqua notari potest Freinshemii indiligentia. Neque enim verum est, nulli privatorum hunc postea honorem contigisse, cum L. Vitellius, Vitellii imperatoris pater, cum Claudio principe censuram gesserit. Ideo et Dio negat duos postea privatos simul censores fuisse, non omnino quemquam privatum. *Crev.*

Digitized by Google

Sueton. Ner. 4. Dio.

mitius Plancum censorem via sibi decedere ædilis coëgit. Tum ergo collegia Augustus antiqua correxit, nova sustulit: ludos curari a prætoribus jussit; sed ita, ut supra certam summam non liceret iis impendere; cetera e publico ærario depromerentur; nec munus gladiatorium injussu senatus, aut sæpius quam bis eodem anno, aut pluribus quam sexaginta paribus ederetur. Ædilibus curulibus ad arcenda incendia sexcentos attribuit servos. Equites Romanos et fœminas illustres scenicas operas facere vetuit.

Sueton. Aug. 56. Dio.

10. Hæc cum usurparet summæ potestatis munia, ceteris adeo civilem se exhibuit, ut et amicis adesset in judicium vocatis, et adversariorum convicia patienter excideret. Forte M. Primus, ob illatum in Macedoniæ proconsulatu Odrysis bellum causam dicens, modo mandatum id sibi ab Augusto, modo a Marcello jactabat. Ea re intellecta, sponte ad judicium Augustus venit, interrogantique prætori negavit se mandasse. Tum L. Varro Murena gravibus maledictis adortus Cæsarem, cum ad extremum adderet, 'Tu vero, cujus vocatu ades?' 'Reipublicæ,' respondit. Hoc ejus factum dictumque collaudarunt patres, eique decreverunt jus, quoties vellet, senatum cogendi. Nec defuere tamen, qui non modo absolverent Primum suis sententiis, sed etiam qui perniciem Augusto machinarentur.

Vell. II. 91. Sueton. Aug. 19. Vell. et Dio. Sueton. Tib. 8. Dio. Hor. II. Carm. 2. Tac. Ann. IV. 39. et 40. Dio. Sueton. Aug. 69.

11. Fannius Cæpio conspirationis auctor habebatur; inter socios et Murena nominatus est: fecitque fidem criminationi in homine cetera non improbo nimia dicendi libertas, quam in omnes promiscue sine modo stringebat. Igitur a Tiberio Cæsaris privigno lege majestatis apud judices postulati, fugerunt; nihil aut causa, aut propinquorum potentia confisi. Nam Proculeius, Murenæ frater, et paterno in eum animo, tam carus erat Cæsari, ut de collocanda ei Julia deliberaret; et Mæcenas affinis in flagrantissima Cæsaris gratia, cujus ille et conjugem, sororem Murenæ, Terentillam [f] adamabat. Hanc tamen ape-

[f] *Terentillam*] *Terentia* huic mulieri nomen erat: *Terentilla* idem nomen est, per ineptas amantis blanditias detortum. *Crev.*

Digitized by Google

ruisse fratri creditum sibi a Mæcenate secretum compertæ conjurationis, eoque maturius fugisse reos, Cæsar suspicatus, cum neque defuturos putaret qui absolverent, si latere potuissent; legem tulit de his qui judicium defugerent, uti hos damnari absentes fas esset, et in talibus causis judices palam suffragia ferrent. Id utilitatis publicæ causa, non a propria ira fecisse Cæsarem, argumento fuit quod sequitur. Sueton. Aug. 66. Dio.

12. Cum aqua et igni reis interdictum esset, Cæpionem servus in cista detulit ad Tiberim: pervectumque Ostiam, in Laurentinum patris Cæpionis noctu perduxit. Inde clam pervenere Cumas, conscensoque navigio, tempestatibus ad Neapolin ejecti, cum proderentur; in ea urbe servus Cæpionem abscondit: exceptusque a centurione, nec vi nec minis, ut dominum proderet, expugnari potuit. Hero tamen pietas ea non profuit, quin alterius servi scelere deprehensus, pœnas morte daret. In his duobus pater Cæpio liberrime animi sui judicium exercuit, manumisso fideli servo; proditore ad supplicium crucis per medium forum rapto, et titulum meriti palam præferente. Unde et ipse non inglorius, et celebrata sermonibus Augusti æquitas fuit, hæc omnia civili animo ferentis. Neque dubitatur, quin etiam iniquissimis satisfacturus fuerit: nisi mox in judicio Castricii, per quem de conjuratione cognoverat, exorato coram judicibus accusatore, reum eripuisset. Etiam Murena deprehensus periit. Cui Athenæus philosophus Romam deductus, cum fugæ tantum, non etiam sceleris socius fuisse videretur, ab Cæsare dimissus est. Eodem tempore, Cyprum et Narbonensem Galliam, pacatas jam provincias, populo restituit Cæsar: et ex eo proconsules in has missi. Macrob. Sat. I. 11. Dio. Sueton. Aug. 56. et Dio. Strabo, XIV. p. 670. Dio.

13. Tum et ædem Jovis Tonantis in Capitolio, marmoreis ex solida gleba parietibus structam, dedicavit; bello Cantabrico votam, cum per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset. Tum quoque inter ipsa sacra tonuisse memorant: oblatumque postea somnium ei, Jovem Capitolinum queri visum, quod cultores ab se abducerentur. Nam propter nominis et formæ novitatem, et quod nobilissimum Leocræ Sueton. Aug. 29. Dio. Plin. XXXVI. 6. Sueton. Dio. Sueton. Aug. 91. Dio. Plin. XXXVI. 8.

Digitized by Google

Dio et Sueton. opus[5] præstantia tam artificis, quam dedicantis commendabatur, præterea fanum illud ascendentibus in Capitolium proximum erat; ab omnibus frequentari Tonans ille cœperat. Ipse visus est respondere Capitolino; 'Tonantem ei pro janitore appositum.' Orto igitur die, somnia neque sua, neque aliorum de se negligere solitus, tintinnabulis fastigium sedis Tonantis redimivit: quibus, uti janitores consueverant, noctu præsertim, si quid forte significandum dominis incidisset.

Dio. 14. Sub id tempus iterum mota est Hispania, defectione Asturum, quos Carisius fastu et crudelitate, tum Asturum Flor. IV. 12. imitatio Cantabros ad arma egerat. Cantabris C. Furnius Dio. erat impositus. Hunc ii, tanquam rerum suarum rudem, spernebant. Sed in ipso opere longe alius apparuit, et per eum maxime, nam et Carisio suppetias tulerat, utraque natio jugum recepit. Cantabrorum tamen plerique libertatis desperatione mortem sibi consciverunt. Mitius Flor. Dio. aliquanto genus Astures, simul ab obsidione loci, quem adorti fuerunt, rejectos C. Furnius prælio vicit, in deditionem venerunt.

15. Eodem anno in Æthiopiam primum signa Romana Strabo, XVII. p. 829. penetrarunt, his causis. Dum partem copiarum Ælius Gallus Arabico bello occupat; Æthiopes, spretis, quæ in Ægypto remanserant, castra cohortium Syene constituta Dio et Strabo. subito adventu expugnarunt. Pari velocitate deinde Elephantina ac Philis potiti, captos in servitutem redegerant, statuis Cæsaris ubique dejectis. Igitur Petronius cum peditata minus decem millium, equitibus octingentis accurrens, triginta hominum millia fugere ipsa adventus sui fama coëgit. Plin. VI. 29. Strabo. Ipse secutus, ad Pselcham, oppidum Æthiopiæ, legatos res repetitum misit. Illi se a nomarchis lacessitos justa piaque arma corripuisse responderunt. Vicissim Petronius, Cæsarem esse dominum regionis, nomarchas non esse regerens, tridui spatium petentibus ad deliberandum dedit.

16. Pervenit tamen res ad pugnam: sed propter et im-

[5] *Nobilissimum Leocræ opus*] Statua Jovis Tonantis, ut diserte exprimit Plinius. Nomen artificis contendit cl. Harduinus esse *Leocharem*, et sic edidit. *Crev.*

Digitized by Google

peritiam instruendi et inepta arma hostium, facilis victoriæ. Scuta ingentia ferentes e crudo bovis corio, securibus alii, aut contis rem gerebant, rari gladiis. Nec eundem omnes locum fuga petierunt. Pauci in deserta abdiderunt sese: plures vicinum oppidum accepit: fuerunt qui in proximam insulam nando trajicerent, quod ea parte propter velocitatem amnis minimè multi crocodili erant. In his duces etiam fuerunt reginæ Candaces, quæ virili animo mulier Æthiopibus tum imperabat, altero oculo capta. Hos in potestatem statim redactos (nam ratibus et quibusdam navigiis partem armatorum transjecerat) Alexandriam misit. Nec Psalcha moram fecit, tantaque multitudo captivorum fuit, ut, addita numero interfectorum, paucos ex illo exercitu evasisse constaret. Ab hoc oppido, per arenæ cumulos, qui Cambysis copias intexerant, profectus, Premnin, munitam situ urbem, ex itinere oppugnatam cepit. Inde præter Aboccin, Phthurin, Plin.
Canbusin, Attenam, Stadisin, ubi Nilus maximo cum fragore se præcipitans auditum accolis auferre dicitur, Dio. Plin.
captis quæ memoravimus oppidis, Napata perventum. Strabo.

17. Regia Candaces hæc erat: et ipsa propinquo se castello tenens, legatos de pace misit, captis ad Syenen hominibus statuisque restitutis. Nec ideo minus, filio reginæ puero Napatis profugiente, capta urbs ac diruta. Jam circiter nongenta passuum millia[h] processum ab Plin.
Syene fuerat: igitur, intellecto, ulteriora propter arenam vix adiri posse, cum præda recessit Romanus, relicto Premni præsidio, quod oppidum diligentius permuniverat, copiisque, quantæ viris quadringentis in biennium sufficerent, instruxerat. Captivorum major pars Alexandriæ vendita: mille delectos ad Cæsarem Petronius misit, tum recens e Cantabris reversum: ceteri morbo interierunt ex peregrini cœli impatientia. Dum ad hunc modum præmiis victoriæ Romanus perfruitur, Candacen, numerosissimo exercitu coacto, præsidium oppugnaturam, summa celeritate usus, antevertit, ipse Premnin ingressus, cum multo rerum necessariarum apparatu. Quod ubi

[h] *Nongenta passuum millia*] Lencas nostrates 300. *Crev.*

Digitized by Google

erat factum, Candace desperans armis legatos iterum misit, qui Cæsarem adire jussi, nec quis esset Cæsar, nec ubi esset scire se, responderunt. Idcirco datis ducibus ad Augustum deducti, facilem ad desideria sua repererunt; isque tributum etiam, quod erat imperatum, remisit.

Dio. 18. In Samo tum hybernabat Cæsar, ad obeundam imperii partem Urbe profectus. Illa peregrinatione patuit, quam necessaria Romanis potestas unius esset, libertatem ultra ferre nescientibus. Vix in Siciliam Cæsar transmiserat, cum Romæ consularibus comitiis tanto ambitu certatum est, ut parum a tumultu res abesset. M. Lollius jam inierat, gerebatque solus:* quod Augusto servari locum populus voluerat. Postquam ab illo non suscipi consulatum innotuit, studia candidatorum miris certaminibus exarsere. Q. Lepidus, L. Silanus petebant, ea magnitudine et vehementia factionum, ut acciri Cæsarem prudentissimo cuique placeret. Ille competitores evocare in Siciliam maluit: castigatosque verbis, et abesse, dum comitia peragerentur, jubens, dimisit. Ne sic quidem satis quietæ res fuere: postque multas turbas vix creari consul Q. Lepidus potuit.

19. Ergo Cæsar, nec passurus talia, nec soli vacaturus Romæ, cum in tam diffuso imperio sæpe adeundæ provinciæ essent, cum Mæcenate deliberavit; 'utrumne M. Agrippam, quo plus ei ad tantum regendum populum auctoritatis esset, data in matrimonium filia, Urbi præficeret?' Quo tempore responsum a Mæcenate Cæsari ferunt: 'Tantum jam Agrippam fecisti, ut aut gener habendus sit, aut occidendus.' Id consilium cum dedisset, excivit Agrippam ab Asia Cæsar, misitque Romam, dimissa Marcella, Juliam ducere jussum, Urbisque curam capessere. Habeo auctores Marcellæ matrem Octaviam id consilium dedisse Cæsari, cum videret anxie cogitantem, quemnam amicorum tanta conditione attolleret. Eadem filiam ab Agrippa dimissam Julo Antonio M. F. collocavit. Ceterum minime fefellit Cæsarem opinio: motus urbanos Agrippa mature composuit: præfectum

Plut. Anton. fin. Tac. Ann. IV. 40. Plut. Dio.

* A. U. C. 731. A. C. 21.

Digitized by Google

Urbi Latinarum causa, cum ea quoque de re certamina exorta non quiescerent, creari vetuit: Ægyptia sacra, iterum in Urbem dissimulanter introducta, ultra quingentos passus summovit.

20. Cæsar interim, constitutis Siciliæ rebus, et Syracusis aliisque civitatibus coloniæ Romanæ jure concesso, in Græciam trajectus, Lacedæmoniis, quod Liviam suam, quo tempore cum viro ex Italia profugerat, hospitaliter habuissent, de quatuor et viginti Eleutherolaconum oppidis[1] Cythera cum aliis quinque dedit; principes civitatis cœnæ suæ adhibuit. Atheniensibus contra, propter Antonii favorem, Æginam ac Eretriam ademit: interdicto etiam, ne jus civitatis suæ cuiquam venderent. Eam sibi calamitatem fuisse significatam prodigio Athenienses putavere, quod Minervæ stans in arce simulacrum, ab oriente se ad occidentem converterat, sanguinemque exspuerat. His aliisque rebus ita confectis, in Samo hyemem exegit Cæsar. Romæ pontem Fabricium refectum a L. Fabricio C. F. curatore viarum, Q. Lepidus M. F. M. Lollius M. F. Coss. ex senatusconsulto probaverunt: et L. Sempronius L. F. L. N. Atratinus pro consule ex Africa IV. Idus Octobres triumphavit.

Pausan. III. 21. Dio. Pigh. Ann. Fasti Capit.

21. Jam M. Appuleius Sex. F. P. Silius P. F. Nerva consules erant;* cum Samo progressus Cæsar Asiam ac Bithyniam et Syriam invisit. Quanquam enim hæ populi provinciæ dicebantur, non minori curæ erant omnium principi, atque animo regis omnia complectenti. His etiam locis, ut meriti quique videbantur, his beneficia dedit, aliis injunxit majora prioribus onera. Trallianos terræ motu graviter afflictos, gymnasio partibusque aliis ea peste dirutis, pecunia juvit: itemque Laodicenos e Phrygia: pro quibus Thyatirenisque et Chiis senatum Tiberius erat deprecatus. Contra Cyzicenis Tyriisque ac Sidoniis ademta libertas: his ob continuas seditiones: Cyziceni cives Romanos flagris ceciderant.

Dio. Euseb. Chron. Strabo, XII. p. 579. Sueton. Tib. 8. Euseb. Chron. Dio.

[1] *De quatuor et viginti Eleutherolaconum oppidis*] Hic paulum aberrat Freinshemius a mente Pausaniæ, qui tantummodo memorat quatuor et viginti olim fuisse Eleutherolaconum oppida; sola duodeviginti suo ævo superesse. Sed res est parvi momenti. *Crev.*

* A. U. C. 732. A. C. 20.

Digitized by Google

Just. XLII. 5. et Dio. Liv. Epit. CXXXIX. Sueton. Aug. 21. Vell. II. 91. Hor. Carm. III. 5. Strabo, VI. p. 288. et XVI. p. 748. Flor. IV. 12. Oros. VI. 21. Eutr. VII. Cassiod. Chron. Dio. Sueton. Tib. c. 9. Just. Dio. Vell. II. 94. Tac. Ann. II. 1. Justin. Sueton. Aug. 21. Strab. Vell. Sueton. Tib. 9. Strab. Tac. Ann. II. 1. Dio. Torr. in Sueton. Aug. 21. Dio. Ovid. Fast. v. 595. Sueton. Aug. 29. Dio.

22. Profectio Cæsaris ad eos imperii fines Phrahati suspicionem injecerat, ne propter neglecta pacta bello peteretur. Igitur aquilas et signa militaria, captivosque præter paucos, qui pudore sibi consciverant necem, aut in Parthis alicubi se occultaverant, ad Tiberium remisit. Major ea lætitia Augusto fuit, res olim amissas, citra certamen, sola nominis sui magnitudine recipienti, quam si bello Parthiam superasset. Auctum dein decus, ultro filios suos nepotesque mittente barbaro, ac his obsidibus firmante amicitiæ fidem. Constat tamen id magis suorum metu quam Romanæ potentiæ fecisse, ne Parthis ex Arsacidarum regia stirpe (cui uni erant addictissimi) quenquam relinqueret, quem regem adversus se creare possent. Vocato igitur in colloquium Tiberio, qui tum Syriæ et provinciis Orientis præerat, Saraspadem, Cerospadem, Phrahatem, et Vononem, legitimo matrimonio genitos, cum duabus horum uxoribus, filiis quatuor, tradidit, quos regio cultu deinceps Augustus, et post hunc Tiberius Romæ, habuerunt.

23. Hæc igitur, sed maxime signa recepta, variis lætitiæ testimoniis celebrata, nummis quoque transmissa ad posteros memoria: quorum nunc quoque supersunt multi. Romæ supplicationes decretæ Diis: ovatio Cæsari, currusque triumphalis. Mox et templum Marti structum, inque eo, tanquam ad exemplum Feretrii Jovis, affixa signa recepta cum Parthicis spoliis. 'Bis ultorem' cognominari placuit, quod jam erat Martis Ultoris ædes, quam bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat. Sed hæc postea facta. Tum vero, cum viarum curator constitutus Cæsar, duos e prætoriis cum binis lictoribus præfecisset; ab his opera multa facta aut refecta sunt, in quibus et milliarium aureum nominatur. Sub idem tempus, cum Julia Caium Agrippam peperisset, inter alia natalem ejus stato sacrificio quotannis colendum patres censuerunt. Augusti quoque natali Circenses et venationem privato sumtu ædiles ediderunt.

24. Interim Cæsar paci ornandæ, procul ablegata bellandi cupidine, provincias secundum leges et jura constituit, liberas civitates amicosque reges suis institutis uti

Digitized by Google

permisit: atque hoc sibi consilium manere senatui quoque scripsit. Jamblichi et Tarcondimoti filiis patrum nomina referentibus, quas in Cilicia et Arabia regiones illi habuerant, reddidit: nisi quod maritima quædam Ciliciæ donavit Archelao, cui et minorem Armeniam concesserat, post mortem Medi Artavasdis, cujus in potestate regnum istud fuerat. Nec Herodes sibi defuit, quin commoditate temporis, et Augusti amicitia ad regnum augendum uteretur. Gadarenos accusatores suos ab Agrippa sibi traditos impune dimiserat. Id beneficium, cum animos eorum implere amore tam benigni regis debuisset, incitamento fuit, ut iterum auderent de eodem apud Cæsarem queri. Zenodorus his aderat, inter Galilæam et Trachonem haud parvæ regionis tetrarcha. Sed semel auditi delatores, cum purgationem regis accipi viderent, metu ne iterum dediti crudelissimum experirentur, noctu semetipsos interfecerunt. Zenodorus Antiochiæ, ruptis morbo aut casu visceribus, effudit spiritum. Ditionem ejus Herodes dono Cæsaris accepit, et ob hæc merita ei templum in eadem illa regione posuit. Commagenes regnum Mithridati tradidit Cæsar, puero adhuc, quia patrem ejus Antiochus occiderat.

Joseph. Antiq. xv. 13.

Dio. Joseph.

Dio.

25. Artaxias, majoris Armeniæ rex, qui Parthorum opibus steterat, his Cæsari de Armenia concedentibus, factioni suorum resistere non potuit, fratrem ejus minorem natu Tigranem ad regnum vocantium, quem, Alexandria capta, Cæsar Romam adduxerat. Igitur Cæsar privigno suo Tiberio Neroni negotium id permisit, Archelao quoque monito ut adjuvaret. Sed priusquam hi quicquam molirentur, Artaxias dolo propinquorum occisus est. Tiberius Tigrani vacuam possessionem regni tradidit, diademate pro tribunali imposito. Supplicationes ob hæc decretæ spes adolescentis inflarunt, quas nuper, dum in Syriam exercitum per Macedoniam ducit, apud Philippos conceperat; cum ara quondam ab Antonio victricibus in castris posita, adolente nemine, subitis ignibus colluxisset. Jamque crescendi facultatem et vitricus dabat, legionibus provinciisque præficiens, et relicta per aliquot annos orientis cura. Quo tempore et Tigranes Armeniæ rex, et

Tac. Ann. II. 3. Eutr. Dio.

Supra, CXXXIII. 64. Euseb. Chron. Strab. XVII. p. 821. Joseph. XV. 5. Dio.

Tac. Ann. II. 3. Sueton. Tib. 9. Dio.

Sueton. Tib. 14. Dio. Vell. II. 94.

Tac.

Digitized by Google

liberi ejus, cum in regnum atque matrimonium Ægyptio more sociati essent, interierant. Tum jussu Augusti Tiberius Artavasden imposuit: sed ipse quoque paulo post dejectus est, non sine clade Romana. Ceterum hæc postmodum acciderunt.

Vell. Tac.

26. Tum vero Augustus ex oriente reversus iterum hybernavit Sami, libertatemque velut in mercedem hospitii Samiis dedit. Nec ibi per segne otium traductum tempus est, multarum nationum regulis eo legatisve confluentibus. Tanta enim majestas Cæsaris fuit, ut Scythæ, Garamantes,[k] et Bactriani, oratores de fœdere mitterent. Sed præ ceteris Indica celebrata legatio est, a Pandione missa et Poro regibus; quorum alter utique prius in extremum usque occidentem, amicitiæ petendæ causa, ad Augustum, in Hispania belligerantem, legaverat. Nicolaus Damascenus, qui se hos vidisse Antiochiæ scribit, tres tantum pervenisse auctor est, ceteris in itinere mortuis. Plurium enim mentio fiebat in literis, quas Græco sermone scriptas attulerant in hunc sensum: 'A Poro scribi: qui tametsi regibus sexcentis imperet, plurimi amicitiam faciat Cæsaris, transitum daturus ei, quocumque pergat, et adjuturus in quolibet justo negotio.'

Dio. Euseb. Chron. Dio. Sueton. Aug. 21. Flor. IV. 12. Auct. de Vir. Ill. Eutr. VII. Oros. VI. 21. Euseb. Chron. Dio. Strabo, XV. pp. 686. et 719. Dio. Oros. Euseb. et ibi Scal. Strabo.

27. Dona quoque, per octo servos, præter pubem nudos et odoribus conspersos, quæ vocant diapasmata,[l] obtulerunt: Herman, sive hominem sine brachiis genitum, qui pedibus tendebat arcum, emittebat sagittas, tuba canebat, qualia nostra ætate sæpe, et his difficiliora vidimus, Dio vix fide digna judicavit. Fuit inter munera et tigris, tum primum Romanis, et, sicut existimat Dio, Græcis etiam conspecta; et vipera immodicæ magnitudinis, cum angue quinquaginta cubitorum, et testudine fluviatili in tres cubitos porrecta, perdixque vulture major. Gemmas insuper, et margaritas, et elephantos dono dederunt. Sed præ omnibus longinquitatem itineris imputabant, quod vix quadriennio confecissent.

Dio et Strabo. Plin. VIII. 17. Dio. Strabo. Sueton. Aug. 43. Strabo. Flor.

28. His domum repetentibus, apud Augustum Zarmanus

Dio et Strabo.

[k] *Garamantes*] Sarmatas jungit Scythis Florus. *Crev.*

[l] *Diapasmata*] Siccis odoribus constant quæ *diapasmata* vocantur. Plin. XIII. 2. *Crev.*

Digitized by Google

Chegan permansit, unus Indiæ sapientum; spectaculum Cæsari exhibiturus, quale Calanus olim Alexandro. Cum enim Athenas ventum esset, initiari sacris, quanquam, ut aiunt, alieno tempore, voluit: votoque potitus, cum 'se rebus secundis semper usum, priusquam adversæ succederent abiturum vita' testaretur, nudo unctoque corpore ridens in rogum insiluit. Sepulcrum ei structum est Athenis, nomenque ascriptum genusque mortis, adjecto, 'Indum ex Bargosa' fuisse. Quæ si ea est, quam auctores alii Barygazam appellarunt, in littore Calecutiensi non procul ostiis Indi quærenda creditur. Ptolem. VII. 1.

29. Jam consulatum in Urbe C. Sentius C. F. Saturninus, quod itidem, ut superiore anno erat factum, Augusto reservabatur locus, solus gerebat, fortiter sane et constanter.* Nam et publicanorum fraude coërcita, pecunias publicas in ærarium retulit; et comitiis quæstorum, quos indignos judicabat, profiteri vetuit; et perseverantibus, consularem vindictam, si in Campum descendissent, interminatus est. Consularibus comitiis major etiam moles fuit: postquam Augustum nolle fieri, tum quoque renuntiatum est. Seditiones etiam et cædes factæ: præcipua Rufi Egnatii violentia, qui favore populi subnixus, quanquam vetante Sentio, profiteri perseveravit. Tum pari veteribus consulibus animo, juravit Sentius, 'si quidem suffragiis populi consul factus esset Egnatius, non renuntiaturum.' Cum finis pugnandi non fieret, senatus præsidium consuli decrevit: eoque repudiante, miserunt ad Augustum legatos, binis additis lictoribus. Ille superioris anni consilio non posse sanari præsentia putans, Q. Lucretium, qui in numero legatorum erat, quanquam in triumviratu proscriptum, consulem designavit, et ipse quamprimum ire Romam constituit. Dio et Vell. II. 92. Dio. Val. Max. VI. 7. Appian. Civ. IV. p. 615. Dio.

30. Advenienti decreta multa: nihil acceptum, præter aram Fortunæ reduci, et anniversarium eo die sacrum, sub Augustaliorum vocabulo, cum ludis solennibus. Pugnabat tamen senatus populusque Romanus, ut obviam iri pateretur. Idcirco declinaturus hanc moles- Cassiod. Chron. Dio. Sueton. Aug. 53. Dio.

* A. U. C. 733. A. C. 19.

Digitized by Google

tiam, ne se et populum inquietaret, noctu ingressus est. Postridie, cum de rebus, in oriente gestis, referret, prætoria insignia Ti. Neroni decernenda curavit; Druso, uti celerius quinquennio, quam sineretur legibus, honores peteret.

31. Ipsi deinde, postquam sibi displicere significabat, quæ absente se per seditiones, et reverso per metum acta erant, præfecturam ei morum cum censoria potestate detulerunt in quinquennium: consulare jus in perpetuum, cum fascibus duodecim, et sella curuli in medio consulum. Censoriam deinde potestatem in perpetuum accepit;[1] quam antea quoque certum ad tempus habuisse constat ex actis ejus, censu præsertim, quem hoc jure egisse in sexto consulatu suo retulimus. Mox etiam legum emendandarum ferendarumque arbitrium senatus ei dedit, in eas et jurare paratus. Jusjurandum remisit Cæsar, servaturos existimans ultro quæ placuissent: cetera mutaturos esse simul possent, etiamsi sexcentis sacramentis adigerentur. Dum ista fiunt, ædilis, excusatione paupertatis usus, ultro abdicavit.

Sueton. Aug. 27. Supra, CXXXIV. 80. Dio.

32. Virgilius, vatum Romanorum maximus, Augusto et Mæcenate hæredibus, excessit, anno vitæ primo et quinquagesimo. Jusserat is testamento cremari Æneidem suam, quod ei summam admovere manum nequivisset. Vetuit Augustus, licet legum alias servantissimus, ne pulcherrimus nobilissimi ingenii fœtus interiret. Sepultus est Neapoli. Apud Tarentum expiraverat.[m]

Euseb. Chron. Auct. Vit. Virg. Plin. VII. 30. et Gell. XVII. 10. et Macrob. Sat. I. 24. et Vit. Virg.

33. Sub hoc tempus Agrippa, qui rebus urbanis interea præfuerat, in Gallias missus est, discordia principum, et Germanorum incursionibus laborantes. His celeriter pacatis, in Hispaniam transit, Cantabrorum ferocia denuo turbatam. Magnus enim numerus sub hasta vendi-

Dio. Flor. IV. 12. Dio.

[1] *Censoriam deinde potestatem in perpetuum accepit*] Censoria illa potestas non videtur quid diversum fuisse a morum legumque regimine; quod, nomine quinquennale, re perpetuum fuit, ut observat Freinshemius lib. seq. c. I. *Crev.*

[m] *Apud Tarentum expiraverat*] Brundisii eum mortuum esse tradunt Hieronymus in Chron. et Auctor Vitæ Virgilii. Ceteri testes hic in ora libri allegati nihil de loco mortis ejus habent. *Crev.*

Digitized by Google

torum, interfectis dominis, in patriam redierant, superstitesque popularium ad arma hortati, castella quædam communiverant. Tantus erat immanis populi terror, ut Agrippa negotium habuerit in coërcendis confirmandisque militibus, qui expeditionem metu detrectabant. Neque levius, quam pro opinione, bellum fuit. Multa, dum apud Romanos serviunt, viderant barbari, quorum adversus hostem usus esset. Hac peritia, et quia victos nullum non supplicium expectare norant, plurimum et detrimenti Romanis intulerunt, et ignominiæ, cujus etiam causa legionem, quæ vocabatur Augusta, hoc uti cognomine Agrippa prohibuit. Sed viribus immensum superior, non ante destitit, quam juventute propemodum omni occisa Cantabrorum, ceteros, armis ademtis, ex montibus in plana deduceret.

34. Nec tamen ob hæc gesta aut scripsit senatui, aut triumphum, licet auctore Cæsare decretum, duxit: modestiam, sicut assueverat, servare pergens. Cujus et aliud experimentum eodem tempore dedit, cum sententiam consul de fratre rogaret, censere recusans. Idem etiam Virginem aquam in agro Lucullano conceptam privato sumtu induxit in Urbem, Augustam vocans. Quod adeo gratum Cæsari fuit,[a] ut in penuria vini, cum populus valde vociferaretur, 'satis' dixerit 'provisum a genero suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines sitirent.' Talis igitur Agrippa fuit. Ceterorum plerique ob res haudquaquam huic comparandas, latrociniis forte compressis, aut seditionibus compositis civitatum, et petierunt triumphos, et impetrarunt. Nec enim parcus in his Cæsar erat, quem super triginta ducibus justos triumphos, et aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curasse invenio: quanquam ex plerorumque gestis imperator vocatus non esset.

Plin. xxxi. 3. Front. de Aquæd. Dio.

Sueton. Aug. 42. Dio.

Sueton. Aug. 38.

35. L. tamen Cornelii Balbi P. F. non expers merito-

[a] *Quod adeo gratum Cæsari fuit*] Dictum Cæsaris haud sane probat gratum id ei fuisse, quod aquam Virginem in Urbem Agrippa deduxisset, sed eum, ut observat Suetonius, salubrem potius et severum, quam ambitiosum principem fuisse. Exscripsit Freinshemius Dionem, qui scriptor haud semper acuti aut limati judicii dat specimen. *Crev.*

Digitized by Google

rum triumphus fuit, quem pro consule duxit ex Africa
Fasti Capit. Plin. v. 5. VI. Kalendas Apriles, victis Garamantibus, quos nulla dum Romana arma perculerant. Nec cum hominibus modo, sed magis cum siti dimicandum fuit; quod putei arenis injectis occultabantur. Nec ideo minus Phazaniorum et Garamantum oppida plurima capta, quorum nobilissimum Debris ob fontem miræ naturæ, et caput gen-
Solin. c. 31. Plin. tis Garama. Nec triumphatæ tantum nationis, sed etiam triumphantis novitas illustriorem hunc ei titulum fecit. Gadibus natus civitatem Romanam cum majore Balbo patruo suo acceperat. Nec quenquam ad ea tempora
Pigh. Ann. triumphasse, nisi Romanum natum, meminerant. Ex Kalendis Juliis ejus anni M. Vinucius consulatum gessit: ceteri, nam haud dubie suffecti plures fuerunt, ignorantur.

Dio. 36. At sequens annus, quo duo Cornelii Lentuli Publius P. F. et Cnæus L. F. consulatum gesserunt, Agrippam propemodum in par Cæsari fastigium receptum ab ipso vidit.* Quippe Augustus in optimo proposito reformandæ reipublicæ insidias timens, ut ab his esset osten-
Vell. II. 90. Tac. Ann. III. 56. Dio. tatione parati vindicis tutior, Agrippam tribunitiæ potestatis collegam declaravit in quinquennium. Tot enim annos sufficere dictitabat: cum eandem potestatem per decennium jam tenuisset;° et, elapso hoc quoque quinquennio, in aliud decennium esset accepturus.[P]

37. Tum autem ingentibus curis districtus, quemadmodum citra periculum repurgare curiam posset, cum Agrippa agitabat. Nam et numerum justo putabat ampliorem esse, et non tantum infamia vitiorum obrutos, sed etiam

* A. U. C. 734. A. C. 18.

° *Cum eandem potestatem per decennium jam tenuisset*] Hic annus est tribunitiæ potestatis Augusti quintus ex Fastis Capitolinis; sextus, ex mente Taciti, I. Ann. 9. Vid. supra, c. 3. Nec vero Dio adversatur Fastis et Tacito. Non enim scribit, ut hic Freinshemius, Augustum per decennium jam tribunitiam potestatem tenuisse, sed decennium principatus ejus, τῆς προστασίας, tum in exitu fuisse. Numerant nempe a septimo Augusti consulatu, quo, cum imperium abdicare se simulasset, retinere illud a senatu coactus, in decennium reipublicæ curam suscipere se professus est. Vid. supra CXXXIV. 96. *Crev.*

P *Et, elapso hoc quoque quinquennio, in aliud decennium esset accepturus*] Parum clara sunt hoc loco Dionis verba. Ejus tamen mens hæc esse videtur: Augustum regimen rerum in quinquennium tunc acceptum, in decennium extraxisse. Vid. et infra, CXL. 17. *Crev.*

Digitized by Google

adulatione onerosos oderat. At erat res offensionum plena. Nemo enim, sicut factum erat prius, sponte cedebat: et tot simul senatu movendorum invidiam sustinere, nisi pluribus sociis, contabatur. Tandem ea ratio placuit, ut ex omnibus triginta viros optimos ipse deligeret juratus: qui deinde jurati et ipsi scriberent in tabella seorsim singuli quinque aliorum nomina, quos dignos eo ordine censerent; ne tamen inter eos necessarius quisquam scribentis esset. Sueton. Aug. 35. Dio.

38. Hoc ubi factum est, ex singulis quinariis unum sorte duxit, qui et senator esset, et alios quinque, iisdem ut priores illi legibus, in tabella nominaret. Et oportuerat quidem triginta esse, tum qui primi tabellas acceperant, tum etiam qui sorte fuerant educti: sed cum ex utroque numero peregre abessent, alii delecti sunt qui eorum vicem fungerentur. Hoc cum ad aliquot dies factum esset, suspicione fraudis motus Cæsar, neque tabulas ultra penes quæstores esse passus, neque sorte usus est: sed suo ac Agrippæ judicio ceteros allegit, donec sexcenti efficerentur. Trecentos maluisset, ut veteris reipublicæ species redderetur. Sed non audebat tot offendere, bonis quoque in metum adducendis, si plures multo expungerentur, quam manerent.

39. Sic quoque caveri non potuit, quin aliqua parum commode fierent. Livineius certe Regulus, scissa in senatu veste, cicatrices ostentans, et stipendia sua exponens, magna cum invidia questus est 'se moveri senatu, cum filius suus et alii, quibus se præstare non dubitabat, allegantur.' At Aurunculeius Pætus veniam exeundi ordinis, locumque suum patri, qui removebatur, oravit. Itaque diligentius inspectæ sunt tabulæ; motisque iterum aliis, alii substituti. Tum etiam quia nonnulli causis non improbabilibus injuria se remotos querebantur; locum his inter senatores ludis epulisque in veste senatoria, et recuperandi ordinis causa honores petere concessit Cæsar. Ita plerique horum iterum in senatum allecti: ceteri medio quodam inter populum patresque loco ætatem exegerunt.

40. Erat omnino ea res, quæ multorum animos ad cujuslibet facinoris audaciam exasperaret. Eo promtius

Digitized by Google

creditum, Augustum et Agrippam insidiis peti arguenti-
Vell. II. 91. bus. Interfectique sunt nonnulli, quorum et M. Egnatius
Sueton. Aug. 19. Rufus fuit, cujus de vanitate supra narravimus. Excive-
Tac. Ann. I. 10. rant hæc pericula curam senatus: multaque prolata, quæ
Dio. ad salutem Augusti protegendam provideri opus esset. Inter quæ, cum forte jactaretur, 'excubias ei constituendas, patrum quas sua quisque vice obirent,' Antistius Labeo, non magis studiorum claritudine, quam incorrupta
Tac. Ann. III. 75. libertate celebratus, 'se quidem somnolentiorem esse'
Dio. dixit, 'et ad excubias agendas ineptum.'

41. Sed Augustus, gnaviter urgens cœpta, coërcendo ambitu sanxit, 'ut qui pecuniam magistratus adipiscendi causa dedisset, promisisset, ejus magistratus petitione in
Tac. Ann. III. 25. et ibi Lips. quinquennium arceretur.' Majori cura ingenuorum civium augendo numero studuit, præmiis in maritos et patres
Sueton. Aug. 34. adauctis, et majoribus pœnis vexato cœlibatu, postquam
Dio. Lips. priorum legum sanctiones spernebantur. Et quando plures mulieribus mares erant, etiam libertinas permisit duci,
Dio. præterquam senatoribus. Hæc negotia dum tractantur, senatores quidam de matronarum atque juvenum reprimenda immodestia Cæsarem interpellarunt, quando propter hanc etiam pauciora matrimonia contraherentur. Ipse
Sueton. Aug. 69. suggillari putans, quod multorum uxores corrumperet,
Dio. hanc quidem solicitudinem declinabat; 'quod fieri potuisset, provisum' inquiens; 'non autem posse omnia pari accuratione constitui.' Urgentibus dein, 'suam cuique conjugem domesticis præceptis formandam esse' respondit, 'quemadmodum ipse moneret Liviam suam.' His excitata potius quam repressa quorundam improbitas, orare non destitit, priusquam in hanc rem Cæsar quædam dissereret, de cultu uxoris suæ,[q] egressibusque ejus et co-
Macrob. Sat. II. 5. mitatu, quibus illa profecto rebus laudabatur. Estque nota sed memorabilis fabula, cum aliquando in spectaculo gladiatorum Livia gravibus viris, Julia luxuriosæ juventutis grege cinctæ consedissent, scripto hanc admonitam a

[q] *De cultu uxoris suæ*] Immo de cultu qui matronas deceret, egressibusque earum et comitatu. Sic habet Dio: et id quidem verisimilius est, quam Augustum palam in senatu uxoris suæ laudationem peregisse. *Crev.*

Digitized by Google

patre, 'Videret quantum inter duas principes fœminas interesset.'

42. Cum autem censoriam exercenti potestatem oblatus esset adolescens, qui prius adulterio cognitam duxerat; diu æstuans, cum nec negligere facinus nec punire auderet, tandem infit: 'Talia multa nobis atrocia et pudenda civiles dissensiones attulerunt, oblivione sepelienda: sed in posterum prospiciamus, ne tale quid eveniat.' At cum quidam infantes adhuc puellas desponderent, et præmia nihilominus maritorum ferrent, rem opusque non præstarent, minores decennibus puellas desponderi vetuit; quo intra biennium (quæ legitima nubendi his ætas) ducerentur. Hæc omnia lege Julia de maritandis ordinibus comprehensa. Dio. Sueton. Aug. 34. Lips. Dio.

43. Proxima frumenti populo dividendi cura fuit, institutumque, ut magistratus nominarent singulos, qui ante triennium minimum prætura functi essent, et ex eo numero sorte deligerentur quatuor, per quos frumentum plebi daretur; additis binis lictoribus, servorumque publicorum, et scribarum ac librariorum, accensorumque et præconum ministeriis. Per hos sæpe levissimo, interdum nullo pretio, menstrua fiebat frumentatio, ut in orbem ad omnes hæc cura rediret. Nam Augustus, cum ter in annum quaternum mensium tesseras dare constituisset, ne frequentius a negotiis homines avocarentur, plebi veterem consuetudinem desideranti cesserat. Suet. Aug. 37. Dio. Infra, CXXXVII. 12. Suet. Aug. 40. et 41. Dio. Sueton. Aug. 40.

44. Alia quoque sub id tempus constituta; ne plus uno feriarum Latinarum causa quotannis præfectus Urbis fieret: Sibyllini libri, vetustate exolescentes, ab sacerdotibus describerentur, ne qui salius eos inspiceret. Honores petere permisit omnibus qui legibus non prohiberentur, haberentque senatorium censum, quem prius quadringentis sestertiis[r] definierat, deinde auxit ad sestertium de- Dio.

[r] *Quadringentis sestertiis*] Marcis argenti nostratibus 1562. unciis 4. *Sestertium decies.* Marcas argenti 3906. uncias 2. Ceterum Suetonius a Dione dissentire videtur; 'Senatorum,' inquit, 'censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa,' id est, pro octingenties sestertio, 'duodecies LLS. taxavit.' Lipsius in nota ad hunc Suetonii locum mendosum esse τὸ *duodecies* existimat, reponitque *decies.* De cetero rem variasse, atque aliter aliis temporibus se habuisse, Freinshemius ex Dione memorabit infra, c. 68. *Crev.*

Digitized by Google

Sueton. Aug. 41. Dio.

cies: et utroque tempore pauperibus, sed honestis viris, quod eo minus habebant, dono dedit. Prætoribus indulsit, ut in ludos triplum ejus, quod a publico præbebatur, insumere liceret volentibus. His ac similibus gratiam apud hos etiam iniit, quos priorum aliquot legum severitas alienabat. In provinciis quoque res feliciter procedebant; et Germanos, Melone quodam duce, in arma versos, M. Lollius superasse nuntiabatur. Neque minore omnium lætitia exceptum, quod Pyladem pantomimum revocavit; quem propter spectatorem, a quo exsibilabatur, digito demonstratum fautoribus suis, Urbe atque Italia summoverat. Atque ille castiganti eum Cæsari, 'quod cum Bathyllo Mæcenatis familiari contendens, seditiones vulgo concitaret,' profundioris prudentiæ dicto, quam ab hoc expectaretur, respondit; 'Atqui expedit tibi, Cæsar, circa nos occupatum populum habere.' Dum ista Romæ geruntur, Herodes templum demolitus, majore spatio atque specie instaurare incipit; quod opus vix multis inde annis perfici potuit.

Strab. VII. p. 291. Euseb. Chron. Dio. Sueton. Aug. 45. Dio. Joseph. Antiq. XV. 14.

Jul. Obseq.

45. Caio deinde Furnio C. F. C. Junio Silano consulibus, sub Apennino in villa Liviæ ingenti motu terra tremuit.* Fax in cœlo a meridie ad Boream transcurrens, ad similitudinem diurnæ lucis noctem illustravit. Turris hortorum Cæsaris ad portam Collinam fulmine percussa est. Quibus haud perinde commotus fuit, quam recreatus incremento domus suæ. Tum enim alterum Agrippæ filium Julia peperit, qui Lucius est appellatus. Hunc cum fratre Caio statim adoptavit Cæsar, per æs et libram a patre emtos, veteri more: tutiorem se futurum ab insidiis ratus, si pluribus munimentis insisteret. Virtutis inde et Honoris solennibus, quod incommodo tempore celebrabantur, alium exinde diem constituit. Viris triumphalibus auctor fuit operis alicujus excitandi de manubiis, quo, cum Urbis ornatu, gestorum memoriam perpetuarent: multaque a multis exstructa sunt.

Dio. Sueton. Aug. 64. Tac. Ann. I. 3. Dio. Sueton. Aug. 29. Tac. Ann. II. 72. Dio.

Liv. apud Censor. de Die Nat. c. 17. Dio.

46. Eodem anno ludos sæculares ingenti apparatu fecit, quos centesimo quoque anno (his enim terminis sæculum terminatur) fieri mos. Sane hos inter ludos, et quartos

* A. U. C. 735. A. C. 17.

Digitized by Google

sæculares, sive L. Censorino, M. Manilio consulibus, sive triennio post, celebrati fuerant, nam inter auctores dissentitur, circiter centum triginta anni intererant. Sed quindecimvirorum diligentiæ creditum, qui ex Sibyllinis libris tempus ludorum investigaverant, ritus eorundem exponente Ateio Capitone, qui tum divini humanique juris consultissimus habebatur. Præfuerunt magistri quindecimvirum sacris faciendis, Imp. Cæsar D. F. Augustus, C. Sentius C. F. C. N. Saturninus, M. Claudius M. F. M. N. Marcellus, M. Fufius M. F. Strigo, D. Lælius D. F. D. N. Balbus. Zosimus Græcus auctor, L. Censorino, C. Sabino consulibus ludos sæculares actos narrat. Id si verum est, suffecti fuerint oportet: nam nec par illud inter majores consules, qui nomen anno dabant, reperias:* et hoc quidem anno factos ex priscorum monumentorum fide satis constat. His ludis Augusti jussu sæculare carmen Horatius poëta condidit. Ullum eo tempore nocturnum spectaculum a juvenibus utriusque sexus frequentari prohibuit Cæsar, nisi cum aliquo majore natu propinquorum.

Plin. VII. 48. Suet. Aug. 31. Censor. de Die Nat. 17.

Zosim. II. Tac. Ann. III. 75. Tab Capit. apud Sigon. Comment. in Fast. et Pigh. Ann. Zosim.

Censorin. Dio. Tac. Ann. XI. 11. Vita Hor. apud Suet. Sueton. Aug. 31.

47. Tum quoque Germanos vindictæ magis quam cautioni intentos M. Lollius legatus Cæsaris circumvenit insidiis, gravique clade vexavit. At in Urbe legis Cinciæ caput, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat, revocari placuit; addito, ut quadruplum perderent, qui accepissent: judices, in quem annum sortiti essent, domos litigantium non ingredi: senatoribus etiam infrequentibus augeri mulctam, et qui sine probabili causa in curiam serius accessissent.

Jul. Obseq. Tac. Ann. XI. 5. Dio.

48. L. Domitio Cn. F. L. N. Ahenobarbo, P. Cornelio P. F. P. N. Scipione consulibus,* in Gallias profecturus Cæsar, templum Quirini refectum a se dedicavit; in quo, cum sex et septuaginta columnas posuisset, postquam totidem annos vivendo expleverat, non temere fecisse existimatus est. Inde per Tiberium et

* *Nam nec par illud inter majores consules ... reperias*] Reperitur quidem, sed alieno plane, si hos ludos spectes, tempore, nempe eo anno quem nos numeramus 713. ab U. C. *Crev.*

* A. U. C. 736. A. C. 16.

Digitized by Google

Drusum privignos, quibus hunc honorem decernendum ab senatu curaverat, munus gladiatorium edidit. Itineris causam, qui secretas principis cogitationes rimantur, et nisi reperiant, fingunt, nunquam vel evidentibus contenti, partim in leges nuper latas referebant, quas aut exerceri cum offensa, aut negligi cum dedecore opus esset; ideo Solonis exemplo sibi peregrinationem indixisse. Nec deerant, qui ut amore Terentillæ[t] securius frueretur, neque sermonibus in Urbe non vitandis seque et illam traduci sineret, id consilii cepisse dicerent. Hanc enim Mæcenati nuptam sic deperibat, ut eam aliquando certare de forma cum Livia compelleret. Ceterum in propatulo Galliarum erat fortuna, quæ variis a nationibus vexabatur, et Germanorum magnis acta terroribus curam Augusti desiderabat.

49. Sicambri, Usipetes, Tencteri, non tam fracti prioribus prœliis quam irritati, comprehensos in ripa sua Romanos in crucem egerant. Hoc veluti sacramento collecta ingens manus Rhenum mox transierat; vastataque proxima parte Galliarum, ne Germanis quidem jamdudum incolentibus parcentes, equitatum Romanorum astu circumventum fuderunt, ad ipsa usque Lollii castra, dum fugientibus instant, præter propositum deducti. Tum vero postquam perniciosum sibi futurum errorem videre, si faterentur, eodem impetu Lollium occurrentem aggressi, majore tamen ignominia quam clade repulerunt; aquila legionis quintæ potiti. Igitur Augustus, sua præsentia opus esse existimans, quem interim Urbi Italiæque præficeret, dubitabat. M. Valerius Messalla, præfecturæ nomen sibi primo delatum post paucos dies deposuerat, potestatem nimiam et incivilem exercendi nescius. M. Agrippam in Syriam remittebat: C. Mæcenatem comitem erat habiturus[u] ob Terentillam. Sed et Tiberium, quanquam urbanum prætorem, ducturus in Galliam erat; eoque per Drusum impleri magis-

Sueton. Aug. 23. Tac. Ann. I. 10. Vell. II. 97. Dio. Tac. Ann. VI. 11. Euseb. Chron. Dio.

[t] *Terentillæ*] Vid. not. ad c. 11. *Crev.*

[u] *C. Mæcenatem comitem erat habiturus*] Hoc de suo addit Freinshemius. Dio Mæcenatem Augusto minus carum esse cœpisse scribit ob Terentiam: quem tamen patientem fuisse probat notum illud ejus dictum, 'non omnibus dormio.' *Crev.*

Digitized by Google

tratum illum,[x] senatusconsulto interposito, voluerat. Id- Tac.
circo Statilium Taurum, senem triumphalem, dignum eo Supra, CXXXI. 49.
loco censuit, cujus ministerio in gravissimis negotiis usus Tac.
fuerat: nec judicii falsus est.

50. Quæ nox prima profectionem Cæsaris secuta est, Dio.
incendio Urbem exterruit, quo Juventatis in Velia templum arsit: et paulo ante, præter ea quæ supra memoravimus, lupus Via Sacra in forum procurrerat, hominibus aliquot occisis. Nec procul foro magna vis formicarum, in speciem agminis, ad prælium euntis, se conglobaverat. Hæc prodigia aliorum pietatem, aliorum adulationem adverterunt, senatusque consultum factum, 'uti pro reditu Augusti vota susciperentur.' Interim et quinquennales ludos propter principatum ejus votos M. Agrippa fecit, recens in collegium quindecim, cujus tum vices curandi ludos eos erant, virorum cooptatus.

51. Circum hæc tempora contra gentes Inalpinas bene pugnatum est a P. Silio, Camunique et Vennonetes sub imperium populi Romani redacti. Idem Silius et Pannonios, assumtis Noricis, Istriam incursantes per se et legatos suos ita domuit, ut pacis conditiones accipere utrique cogerentur. Dalmatæ quoque sub idem tempus, Hispanique moti; sed modico, nec diuturno tumultu; Macedoniam Dentheletæ et Scordisci infestavere. Bessi Cotyos regnum adorti, quod, eo mortuo, liberorum ejus avunculus et tutor Rhymetalces defendebat, ab Romanis auxilium ei ferentibus subacti sunt. Sarmatas eadem Flor. IV.
tentantes Cn. Cornelius Lentulus pugna victos trans Is- 12. et Dio.
trum recedere coëgit. Ab eodem Daci Getæque, per concretum gelu Danubium vicina infestantes, repulsi sum- Flor.
motique. Pari felicitate Germanicum bellum, quod præ Dio.
ceteris erat formidabile, compositum. Quippe intellecto non modo Lollium strenue parare arma, sed ipsum cum

[x] *Per Drusum impleri magistratum illum*] Ex his Dionis verbis videretur sequi, Drusum hoc anno prætoram gessisse. Quonam enim modo prætoræ urbanæ vices pro fratre impleret, nisi ipse prætor esset? Tamen c. 54. infra 'prætoriis insignibus honoratus' fuisse memoratur, et CXXXVII. c. 9. designatur prætor urbanus. Hæc inter se conciliari vix possunt: nec conari tanti est, præsertim cum suspecta esse merito possit Dionis diligentia. *Crev.*

Digitized by Google

exercitu adventare Cæsarem; ad sua regressi, missis obsidibus, quietem spoponderunt. Nec tamen adeo aut credita hæc, aut præstita pax fuit, quin aliqui subinde motus existerent: quorum causa et hunc annum in Gallia, et sequentem contrivit, quo consules M. Livius L. F. Drusus Libo, L. Calpurnius L. F. Piso fuerunt.*

52. Sed et ipsa Gallia non satis quieta erat, propter hominis libertini tantam improbitatem, ut significata prodigio sit credita, cum maxima bellua viginti pedum latitudine, longa sexaginta, et præter caput mulieri similis, ex oceano irruens, in vado hæsisset. L. Licinius is fuit Gallus natione, qui captus iis bellis dictatori Cæsari servierat. Sed hunc in honore et usu maximo Augustus habere solitus, procuratorem suum in Gallia constituerat. Is igitur ad explendam ingenitam avaritiam majestate Romani nominis abusus, hoc agebat, ut quotquot se potiores ipso ferrent deprimerentur. Nec contentus exegisse ad præscriptum sibi modum, magnam insuper pecuniam sibi suisque extorquebat: tam impudenter quidem, ut, quoniam in singulos menses aliqua debebantur, quatuordecim pensiones eodem anno exigeret; veteribus mensium nominibus Julium et Augustum annumerans.

Sueton. Aug. 67. Dio.

53. Sane postquam Cæsar advenit, tanta vis in eum coorta accusatorum est, tamque acerba, ut patrocinio potius apud principem, quam periculo esset. Namque partim moleste tulit id Cæsar, in nonnullis excusavit Licinium, quædam ignorare se, alia non credere simulans: quin et occultabat haud pauca, pudore etiam ductus, quod tali procuratore uteretur. Sed maxime Licinio calliditas sua profuit, qui alias quoque ad novorum operum impensas conferre patrono grandes summas solitus, irato pœnasque minitanti magnam vim auri argentique, et ceterarum rerum ingentes acervos ostendit; 'ea non sibi, nec avaritiæ causa congesta' dicens, 'sed in Cæsaris, populique Romani usus; et ne Galli, gens ad res novas mobilis, his instructa copiis facilius ad rebellionem prolaberetur.' Sic effectum, ut Licinius in Gallia multos

Macrob. Sat. II. 4. Dio.

* A. U. C. 737. A. C. 15.

Digitized by Google

annos veluti regnum continuaret. Hoc tempus esse crediderim Augustoduni in Æduis conditæ, quæ caput gentis esset, liberalibusque studiis, quorum ibi præstantissimos magistros collocavit Cæsar, nobilissimam Gallorum juventutem ad mitiorem vitam erudiret. Inde Tiberium, cujus opera ferme per integrum annum in regenda Gallia usus erat, in Rhætiam cum exercitu misit.

Senec. Lud. de Morte Claud. Tac. Ann. III. 43. et ibi Lips. Dio. Sueton. Tib. c. 9. Dio.

54. Rhæti circum Alpes Tridentinas inter Noricos Gallosque positi, et hos et Italiam latrocinio vexaverant, diu lateque grassati; et transeuntes, negotiorum causa, Romanos sociosque interfecerant: tamque crudelis his erat animus, ut omnes mares captos protinus occiderent, ne his quidem qui essent in utero exceptis, quos, nescio qua divinatione, deprehendebant.[7] Hos jam Drusus ab Augusto missus pugna vicerat ad Alpes Tridentinas, ideo prætoriis insignibus honoratus. Ab eodem finibus Italicis summoti, ubi Galliæ infesti incubuerunt, etiam Tiberius in eos missus, quando et Vindelici cum Rhætis se conjunxerant.

Strabo IV. p. 206. Dio. Flor. IV. 12. Oros. VI. 21. Dio. Vell. II. 95. et Dio. Hor. IV. Carm. 4. et 14. Vell. et Dio.

55. Hi, divisis partibus, per se et legatos pluribus locis hostem aggressi, multis urbium et castellorum oppugnationibus, Tiberius etiam per lacum[8] navigiis subvectus, carpserunt. Justis quoque præliis dimicatum, a Tiberio præcipue. Nec occurrere locis omnibus barbari cum magna multitudine poterant, et, quicquid ubique intercipiebatur, et animos ceterorum et vires minuebat. Igitur eo deducta res est, ut victi a fratribus, in populi Romani ditionem concederent. Victores frequentiæ hominum feritatique diffisi, quicquid ætate ac robore validum fuit, abduxerunt; relictis qui agro colendo magis, quam turbandis rebus sufficerent. Sic in provinciæ formam redacti, unius æstatis bello, sed fida victoria, et multos in annos quietem ab his gentibus et tributa præstante. Coloniæ,

Hor. IV. Carm. 14. Dio. Liv. Epit. Vell. Dio. Strabo. Ptolem. III. 12.

[7] *Quos, nescio qua divinatione, deprehendebant*] Ita quidem scribit Dio, homo parum emunctæ naris, ut jam aliquoties notavimus, ἐν μαντείαις τισὶν ἀνευρίσκοντες. At Strabo, exquisiti judicii et magnæ diligentiæ scriptor, et ab his ineptiis remotissimus, a Rhætis interfici solitas esse mulieres scribit, quas marem infantem in utero gestare augures pronuntiarent. *Crev.*

[8] *Per lacum*] Brigantinum, qui nunc Constantiensis dicitur. *Crev.*

Digitized by Google

vincula domitarum gentium, in Rhætia Drusomagus, Augusta in Vindelicis excitatæ.

Dio. Tac. Ann. I. 10. Dio. 56. Inter tot hujus anni gesta Vedii quoque Pollionis mors invenit locum, divitiarum tantum et sævitiæ nomine noti; sed in quo memorabile factum Augusti non immerito celebratur. Libertinus homo, deinde receptus in equestrem ordinem, murænas alebat in piscina, quod iis temporibus divites affectabant. Sed ceteris innocentior luxus erat: hic iisdem ad crudelitatem abutebatur, servos, in quos animadvertere volebat, objiciens, ut pariter totius hominis distracti, tanquam egregio, spectaculo frueretur. Hoc supplicio perire jussus puer, qui forte crystallinum calicem fregerat, ad Augusti accubantis pedes provolvit sese, non mortem sed fœditatem pœnæ deprecatus. Susceperat miseri patrocinium Cæsar; nec homo superbus et truculentus exorari patiebatur. Igitur Cæsar, afferri jubens cetera, quæ haberet, crystallina, tanquam usurus, omnia sua manu confregit, missumque fieri puerum, et piscinam compleri præcepit, potestate sua bene usus.

Plin. IX. 23. Senec. de Clem. I. 18. et de Ira, III. 40. et Dio. Plin. Sen. et Dio.

57. Hic tum Pollio mortuus, hæredem ex magna parte Cæsarem reliquit, in qua et Pausilypum fuit, inter Neapolim et Puteolos villa; cujus in vivariis (ut hoc obiter annotetur) positum a Pollione piscem post sexagesimum annum expirasse Annæus Seneca memoriæ prodidit. Admisit judicium Augustus, et quia testamento jussus erat opus insigne facere publice, abusus hac occasione, paulo post ad obliterandam Pollionis memoriam, cujus ipsum amicitiæ suppudebat, domo ejus maxima et splendidissima ad solum diruta, porticum inædificavit, non Pollionis nomine, sed Liviæ inscripto, eamque decoravit priscorum artificum tabulis.[a]

Plin. IX. 53. Dio. Sueton. Aug. 29.

58. Interim in Gallia ac Hispania multæ coloniæ deductæ, quas a se cognominari ad memoriam ætatis suæ Augustus voluit. De Augustoduno jam diximus. Præter hanc in Gallia fuere Augusta Tricastinorum, Trevirorum, Rauracorum, Veromanduorum, Ausciorum, Ne-

Dio. Vide Geographos.

[a] *Eamque decoravit priscorum artificum tabulis*] Id unde sumserit Freinshemius, nobis non liquet. *Creu.*

Digitized by Google

metum, Suessionum: tum Augustobona, Augustomagum, Augustoritum. At Hispaniæ Augustam Firmam, et Gemellam, et Novam, et Juliam Gaditanam, Braccaramque habuerunt: præterea Augustobrigam et Cæsaraugustam: itemque Augustanos Setubitanos, et Astures, et Cerretanos, qui plerique sub hæc tempora cum novis aut adauctis urbibus hæc nomina receperunt. Sed et Cypriis terræ motu, familiari malo, vehementer afflictis subventum, indultumque ut Paphum urbem, quam ea pestis præ ceteris perculerat, Augustam cognominarent. Nondum enim mos inoleverat, ut sibi quot et qualia vellent vocabula civitates asciscerent, sed in beneficii loco senatus hæc imponebat. Cyzicenis interea Cæsarem deprecantibus, quam nuper amiserant, libertas reddita.

Euseb. Chron. Sen. Ep. 91. et Nat. Quæst. VI. 26. Dio.

59. M. Licinius M. F. Crassus, Cn. Cornelius Cn. F. Lentulus Augur consules sequuntur.* Hoc anno curules ædiles, cum vitio creati abdicassent, statim aliis comitiis refecti, exemplo prius inaudito, magistratum gessere. Porticus Paulli conflagravit, incendio etiam Vestæ ædem afflante: propter quem metum, quod maximam virginem cæcitas arcebat eo officio, per ceteras in domum Dialis Flaminis, tum vacantem, delata sacra sunt. Porticus refecta Cæsaris et amicorum Paulli pecunia: nam filii ejus, quorum nomine fiebat opus, ob paternam calamitatem modicis facultatibus erant.

Supra, LXXX. 44. Dio.

60. Ab externis bellis nec quies omnino, nec periculum fuit. Pannoniorum celeriter coërcita rebellio: et Ligures, quos Comatos appellant, cum maritimis Alpibus, quas hactenus liberi possederant, in potestatem venerunt. Major aliquanto motus ad Bosporum exortus Scribonii dolo, qui se missum ab Augusto defensorem regni[b] mentitus, Asandrum ad necem voluntariam compulerat. Ille enim,

Lucian. Macrob.

* A. U. C. 738. A. C. 14.

[b] *Defensorem regni*] Lucianus et Dio non plane consentiunt. Ille Scribonii injuriis Asandrum ad necem voluntariam adactum scribit; hic, Scribonium sese finxisse missum Asandro mortuo successorem. Neuter Scribonium sese defensorem regni Bosporani haberi voluisse memorat. Ceterum in Luciani verbis aliquid videtur esse mendosi. Sed res non magni momenti est. *Crev.*

Digitized by Google

licet nonagenario major, sed viribus nondum absumtis, ob eam injuriam cibo abstinuit. Scribonius nepotem se Mithridatis magni ferens, Dynamin Asandri filiam, neptem ejusdem Mithridatis e Pharnace, cui moriens Asander regnum reliquerat, in matrimonium, unaque Bosporum quasi dotalem accepit.

Dio.

61. His rebus cognitis, Agrippa Polemoni regi Pontico mandavit hoc bellum. Ipse rogatu Herodis, qui ad eum in Asiam venerat, in Judæam profectus, urbes ab rege recens conditas inspexit, ubique magnifice habitus. Hierosolymas etiam, inter occurrentium festas voces ingressus, hecatomben obtulit Deo, epulumque populo dedit. Inde post paucos dies, ne hyeme navigandum esset, in Ioniam trajecit, negotiis provinciæ vocantibus: Beryto interim colonia deducta, quæ Augustana appellata est. Per hæc tempora Polemon, ducto in Bosporanos exercitu, Scribonium quidem nullum ultra reperit, quem, comperta hominis fraude, ipsi necaverant: ceterum cum his pugnandum Polemoni fuit, metu ne illi traderentur, arma capientibus: et, quanquam prælio victi, ferociam retinebant.

Joseph. Antiq. xvi. 2. et Philo Leg. ad Caium.

Euseb. Chron. et ibi Scal. Dio.

62. Hæc anno superiore acta, cum Agrippa didicisset, ipse proficisci ad bellum decrevit. Igitur ubi commodum navigationi tempus rediit, Sinopen, et inde in Paphlagoniam profectus, propinquo metu Bosporanos arma ponere, signa Romana Mithridatico bello capta reddere, regemque accipere Polemonem coëgit, Dynami etiam in matrimonium ei tradita. Hæc agenti Herodes ad omnia promtus ac diligens aderat, magnam super antiquam familiaritatem gratiam adeptus, quod relicto regno suo, in Asia quæsitum Agrippam Sinope consecutus, auxilium operamque non admonitus obtulerat.

Joseph. Antiq. xvi. 3. Dio.

Euseb Chron. Oros. vi. 21. Dio. Joseph.

63. Iliensibus ea res plurimum profuit, quibus Romanus propter uxoris periculum iratus, centum millium drachmarum[c] mulctam dixerat. Quippe Julia noctu Ilium petens, dum Scamandrum in lectica transit, subito fluminis auctu magnum vitæ discrimen adierat. Ergo le-

Nic. Damasc. de vita sua in Excerpt. Vales.

[c] *Centum millium drachmarum*] Marcarum argenti nostratium 1562. unciarum 4. *Crev.*

Digitized by Google

gati ad deprecandum missi, cum Amisum venissent, nec agentem ibi Agrippam auderent compellare; Nicolaum Damascenum orarunt, ut sibi regis Herodis, cui erat ille familiarissimus, patrocinium compararet. Suscepit rex, et, culpa ab Iliensibus ignaris rei translata in casum, Agrippam alioqui proniorem ad clementiam placavit: cum illi, jam desperato negotio, in patriam renavigassent. Joseph. Agrippa postquam præsentia satis composita ratus est, Nicol. per Paphlagoniam et Cappadociam Phrygiamque majorem Ephesum rediit. Inde trajecit Samum, Herode semper eum comitante. Joseph.

64. Hæc res animum Judæis addidit, qui jus civitatis in Ionicis urbibus, beneficio regis Antiochi, cui cognomentum Deus fuit, adepti, trahi se ad judicia festis suis, et quam mittere Hierosolymam solerent pecuniam sibi adimi querebantur, quanquam et Romani suis se legibus degere jussissent. Horum causam agente Nicolao, cum et Herodes Agrippæ assideret; æquum censentibus Ionibus, civium loco non esse apud se, qui alienis sacris uterentur; Agrippa nihil mutandum censuit, scripsitque ad Ephesios aliosque, jubens injuriis Judæorum abstineri. Sed et Cyrenensium magistratibus injunxit eadem, Judæis illius etiam provinciæ paria questis. Hinc Bosporani belli ad Augustum perscripto exitu, nam ad senatum scribere, sicut priscis imperatoribus solitum, modestiæ causa supersederat, acta rata habuit Augustus; supplicationesque et triumphum ei decernendum curavit.

Joseph. Antiq. XVI. 4. et XII. 3.
Joseph. Antiq. XVI. 10.
Dio.
Tac. IV. Hist. 4.
Dio.

65. Jam et Galliæ Hispaniæque res reductæ in tranquilliorem statum erant: Germani adhuc tumultuabantur. Igitur ad hos coërcendos, agendumque censum Galliarum, Druso relicto, Cæsar Romam rediit, cum jam Tiberius Claudius Ti. F. Nero, P. Quintilius Sex. F. Varus consulatum inissent.* Forte iisdem diebus nuntius de reditu Cæsaris advenerat, quibus theatri sui dedicationem Cornelius Balbus sumtuosis spectaculis celebrabat: vir maximis opibus magnifice usus, qui et in natali solo Gaditanis novam urbem, cum navali in opposita continente, suis impensis ædificavit. Is igitur Augustum redire, tanquam

Liv. Epit.
Dio.
Sueton. Aug. 29.
Tac. Ann. III. 72.
Dio.
Strabo, III. p. 169.
Dio.

* A. U. C. 739. A. C. 13.

Digitized by Google

huic lætitiæ interesse cupientem, egregium sibi ducebat: et ab Tiberio quoque consule in honorem exstructi theatri sententiam rogatus est primus. Quippe senatus, adventu Augusti audito, habebatur, ad honores ei decernendos.

Sueton. Aug. 57. Dio.

66. Inter alia placuit 'aram reditus in curia poni: neque supplicium sumi de his, qui supplices intra pomœrium Augusto facti essent.' Neutrum ab illo acceptum: et, ne populus obviam iret, quanquam Tiberis inundaverat Urbem, ita quidem ut Balbi theatrum nisi navigio adiri non posset, more suo noctu introiit. Postridie, cum populum, qui in Palatium confluxerat, persalutasset, in Capitolium ascendit, demtamque de fascibus lauream in genibus Jovis reposuit. Eodem die, balneo gratuito tonsoribusque plebi præbitis, senatum convocandum curavit, de gestis suis relaturus.

Sueton. Aug. 58. Dio.

67. Gravedine laborabat: ideo libellum quæstori recitandum dedit, quo acta sua post profectionem ab Urbe comprehenderat; addito, 'consultum videri prætorianos, expleto duodecimo stipendio, ceteros sexto decimo dimitti: et quia jam in morem venerat agros assignari veteranis, pro his certam pecuniam dari.' Nec dubie acceptum quod petierat, militibus quidem nec indignationem conspicuam, nec lætitiam movit, qui neque nihil eorum quæ postularant, neque omnia consequebantur: possessoribus gratissimum fuit, ita futurum cernentibus, ut timere perniciabiles illas agrorum divisiones aliquando desinerent. Cornelii Balbi ludos alii paulo post exceperunt, Augusti natalem prætore Iulo Antonio Circensibus et venatione celebrante: qui et epulum ei ac senatui in Capitolio ex senatusconsulto dedit.

68. Inde reversus ad curam reipublicæ Cæsar, quædam per absentiam suam, utcumque constituta, mutavit in melius. Post civilia bella quadringentis tantum sestertiis censum senatorium definiri placuerat, plerorumque re familiari valde accisa aut turbata. Nuper idem, quod satis jam refecti diuturna pace videbantur, auctus erat ad sestertium decies.[d] Sed eum adhuc modum habebant non multi: unde et rari affectabant senatorium locum; et ex

[d] *Quadringentis sestertiis . . . sestertium decies*] Vid. not. ad c. 44. supra. *Crev.*

Digitized by Google

conscriptis quidam, quorum patres avique[1] ejusdem ordinis fuerant, ob veram aut simulatam paupertatem ejurabant. Idcirco senatus loco sex et viginti virorum, qui ad minores magistratus quotannis ex senatoribus eligi consueverant, decreverat 'uti viginti ex equitibus nominarentur: unde triumviri rerum capitalium, et auro argento æri flando feriendo; tum quatuorviri curandis in Urbe viis; denique decemviri ad judicia centumviralia fierent.' Nam duumviros viarum extra Urbem curandarum, et quatuorviros in Campaniam mitti solitos abrogari placuerat. Nec tamen hi senatores fiebant, nisi quem alium magistratum, qui more majorum id jus conferret gerenti, adipiscerentur. Decretum erat præterea, 'quando tribunitiis comitiis candidati deessent, uti ex quæstoriis, qui quadragesimum ætatis annum non explessent, sorte ducerentur.'

69. Augustus autem parum hæc efficacia remedia tot incommodis ratus, totum senatum recensuit: neque veniam cuiquam quinque et triginta annis minori dedit ponendi ordinis, præter qui manco corpore aut inferiore censu essent. Et, quo minus aliqui fallerent, valetudinem excusantes, inspexit ipse: de facultatibus nemini nisi jurato credidit, ac ne testibus quidem injuratis. Exegit præterea vitæ rationes paupertatisque causas, ut subveniret his, qui nulla sua culpa facti inopes fuissent. Nec minori solicitudine domestica moderabatur, increpito etiam Tiberio, 'quod ludis votivis,' quos Augusti reditu consules fecerant, 'Caium juxta se collocasset:' populo quoque castigato, qui puero assurrexerat, stansque plauserat, laudibusque prosecutus eum fuerat. Sueton. Aug. 56. Dio.

70. Sub hæc demum tempora pontificatum maximum A. D. pridie Nonas Martias assumsit Cæsar, non sustinens vivo extorquere Lepido, quod Romanis moribus sacerdotia ne exilio quidem amittebantur. Ceterum satis eum per tot annos contemtim habuerat, præter alias causas propter adolescentis Lepidi conjurationem infestior. Nam in agris amissæ potentiæ pudorem obtegere cupien- Ovid. Fast. III. 415. Sueton. Aug. 31. Sen. de Clem. I. 10. Plin. XVIII. 2. Dio.

1 *Quique* in edd. priorr. repertum ex Dione mutavit Crev. in *avique*.

Digitized by Google

tem migrare in Urbem, venire in senatum coëgerat; quo plurium derisui exponeretur. Sed et ultimum ei locum dicendæ inter consulares sententiæ dedit; cum alios secundum tempora gesti magistratus, aut singularem quandam præstantiam collocaret. Nec adversus hæc nitendi vis erat ulla Lepido, qui equidem, si pontificis maximi tanta potestas fuisset, ut imperium adimere cui vellet posset, quod nuper asseri cœptum est, adversus has injurias in promtu telum acerrimum habuisset. Eodem anno Augustus tribunitia potestate duodecimum,[e] quadringenos nummos[f] viritim populo dedit. Honores ab senatu delatos, pontificatu accepto, abnuit: insistentibus, surrexit, et e curia se proripuit. Ædes sibi publice præberi non est passus: sed, quia pontificem maximum in publica domo habitare necessum erat, suarum ædium in Palatio partem publicavit. Domum autem, quam rex sacrorum olim obtinuerat, Vestalibus, quarum ab habitatione communi tantum pariete distinguebatur, tradidit.

Lapis Ancyr.

Dio.

71. Et ne per iram quid faceret aut diceret incivilius, cum in senatu propter uxoris suæ vitam accusatus Cornelius Sisenna, ductam sibi Augusto auctore confirmaret; exsiluit e sede sua, et, spatio temporis interposito, rediit: 'hoc licet non concinnum, admittere maluisse, quam aliquid forte gravius,' inter amicos postea confessus est. Nec subtrahenda memoriæ vel principis est patientia, vel libertas ingerentium discedenti aliquando, 'Licere oportere senatoribus de republica loqui.' Ferunt Augustum hujus vitii conscium gratanter amicorum admonitiones excepisse. Nam et Athenodorum Tarsensem a se digredientem, cum rogatus utile præceptum relinquere, dixisset, 'uti cum cœpisset irasci, quatuor et viginti Græcas literas memoria recenseret, priusquam aliquid faceret aut loqueretur,' retentum ab eo, dicente, 'sibi adhuc ejus præsentia opus esse.'

Sueton. Aug. 54.

Plut. Apoph. Rom. Aug.

[e] *Tribunitia potestate duodecimum*] Hoc anno tribunitiam potestatem gerebat Augustus decimum ex Fastis Capitolinis; *undecimum*, ex Tacito. Vid. not. ad c. 36. supra. Itaque hæc largitio in lapide Ancyrano memorata, in proximum, vel etiam in tertium ab hoc annum rejicienda est. *Crev.*

[f] *Quadringenos nummos*] Marcas argenti nostrates 12. semunciam 1. *Crev.*

Digitized by Google

72. Ceterum Agrippa, reversus in Urbem, decretum sibi triumphum ducere noluit: exemplumque dedit, ne quis postea privatorum aut ex provinciis scriberet ad senatum, aut victis hostibus triumpharet. Igitur simul ob virtutis et modestiæ singularem præstantiam, summos in eum honores Augustus haud maligne contulit, prorogata ei in aliud quinquennium tribunitia potestate, in Pannonios mittens, cum majore, quocumque extra Italiam venisset, imperio, quam eorum esset, qui provinciam obtinerent. Nec ille contanter, quanquam imminebat hyems, profectus, solo terrore nominis præsentiæque suæ coërcuit hostem, nihilque abnuenti veniam præteritorum dedit. Sed inde revertens, cum jam M. Valerius M. F. Messalla Barbatus, P. Sulpicius P. F. Quirinus consules essent, in Campania morbo correptus expiravit, priusquam eo pervenire Augustus posset: qui ad nuntium valetudinis ejus, quanquam forte Quinquatribus nomine filiorum ludos exhiberet, festinanter excurrerat.* Dio. Liv. Epit. Dio.

73. Corpus ejus in Urbem perlatum est, ac in foro propositum, dum Augustus laudationem peragit, velo interposito quod aspectum arceret. Id utrumne fecerit quia censor erat, an quia pontifex maximus, quod his, summorum apud Judæos sacerdotum more, cadaver videre nefas esset, parum liquet: præsertim cum utramque opinionem Dio arguat, non ignorans istorum, bis consul, semel etiam pontificis maximi collega. Ceterum Agrippam in suo monumento condi jussit Cæsar, ubi et Marcellum sepelierat: quanquam et illi datus in Campo Martio sepulturæ locus fuerat. Hunc ad modum Agrippa finiit vitam, fama quam genere nobilior, amicitiaque Cæsaris Octaviani virtutibusque suis provectus, quibus domi bellique immensum claruit: cetera quoque, si quisquam eo tempore Romanorum, vir bonus, et omnino dignus, quem pronepos Caligula non agnosceret: summum haud dubie locum, si rempublicam liberam nactus esset, occupaturus: in regno unius, et communi ceterorum obsequio, ita medius, ut tamen imperio quam servitio propior esset: cujus mag- Joseph. Antiq. III. 10. Dio. Vell. II. 96. Sueton. Caio, 23.

* A. U. C. 740. A. C. 12.

Digitized by Google

nitudinem ne Augustus quidem princeps obumbrare totam potuit.

Dio. 74. Moriens balneum populo legavit, quod Agrippæ dictum est, ubi gratis lavaretur; ob hoc prædia quædam Augusto ascribens, quorum e reditibus impensæ præstarentur. At hic pecuniam insuper divisit populo, tanquam et hoc Agrippa jussisset. Cherronesus etiam ad Hellespontum e bonis Agrippæ ad Cæsarem pervenit. Natum[2] deinde posthumum nominari Agrippam voluit, quo patris ejus memoria diuturnior et recentior esset, cujus et Cæsarem et populum ex æquo ingens desiderium ceperat. Summa enim prudentia se maximis in negotiis gesserat, ut Cæsaris imperium acceptum civibus faceret: et, cum vigiliis laboribusque suis præcipuum ejus regni firmamentum esset, comitate, mansuetudine, liberalitate popularis haberi meruerat.

75. Ergo et ejus mortem prodigiis, qualia magnas calamitates præcedere soleant, prænuntiatam esse crediderant: quia bubones in Urbe conspecti, fulmine tacta domus in Albano, ubi divertere Latinis consules consueverant, et cometa per complures dies super Urbem conspectus, in faces divisus fuerat. Incendia quoque multa tum extiterunt: et inter alia corvis ex ara quadam cum carne rapta prunas inferentibus, Romuli casa conflagravit. Inter hæc, cum luctus causa spectacula solennia negligerentur, primoribus patrum interesse nolentibus; nihil ex patrio more remittendi auctor iis Cæsar fuit; et quo minus dubitarent, gladiatorio munere ipse præsedit: quo exemplo etiam ab aliis mox absente ipso ludi facti sunt, pristinamque per omnia speciem civitas recepit.

2 *Nam* pro *natum* legebatur ante Crev.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXXVII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Jam exibat Augusto quinquennium[a] in quod præfecturam morum receperat. Igitur alterum in quinquennium prorogata ei potestas, similiter ut imperium, cum certum ad finem data videretur, rebus ipsis perpetua fuit. Tum institutum, 'ut quoties senatus haberetur, singuli patrum, priusquam assiderent, thure et mero supplicarent ad altare ejus Dei, cujus in templo coiretur: neque prius domum Augusti ventitarent, sed in senatu sedentes salutem acciperent redderentque: quo et religiosius, et minore cum molestia partibus suis fungerentur.' Tribunatum plebis, propter vim ejus magistratus enervatam, pauci petebant. Idcirco constitutum est, 'uti a magistratibus equites Romani singuli nominarentur, quibus haud minus decies sestertium[b] res esset. Ex his denique deligeret populus in loca quæ senatores non occupassent. His deinde post magistratum gestum optio esset, utrius ordinis haberi mallent.'

Dio, LIV.

Sueton. Aug. 27.

Dio et Sueton. Aug. 35.

Dio.

Sueton. Aug. 53.

Dio et Sueton. Aug. 40.

[a] *Jam exibat Augusto quinquennium*] Jam diu exierat, cum octavus hic sit annus a delata Augusto morum præfectura: (supra CXXXVI. 31.) nisi, si forte elapso priore quinquennio, in aliud ei prorogata fuit, licet id memorare omiserit Dio. *Crev.*

[b] *Decies sestertium*] Marcæ argenti 3906. unciæ 2. *Crev.*

Digitized by Google

Dio.

2. Asiam deinde terræ motibus misere conflictatam levaturus, annuum ejus tributum de sua pecunia inferri in ærarium jussit: et loco proconsulis[c] legatum ei ex prætoribus sortito in biennium dedit. Cum paulo ante hæc tempora in judicio quodam Mæcenatem et Apuleium[1] vehementer exagitari ab accusatore comperisset, quod adulterii reo patrocinium præstabant, venit in judicium et ipse, et in tribunali considens, nihil fecit gravius, quam quod suis propinquis[d] amicisque non placere conviciari accusatorem effatus, abiit. Ob hæc atque talia popularia facta, statuæ ei ex collatitia pecunia sunt positæ: decretumque, 'ut in honorem ejus, natalitiis Augusti ludis etiam cœlibes spectare permitterentur.'

Vell. II. 96. Tac. Ann. I. 3. Dio. Sueton. Aug. 63. et Tib. 7. Vell. Dio. Sueton. Aug. 21. et Tib. 9. Vell. Dio.

3. Ceterum mors Agrippæ Tiberium Cæsari propius admovit, socio laborum indigenti, et infirma adhuc ætate nepotum. Igitur habenti in matrimonio Vipsaniam, Agrippæ filiam ex priore matrimonio, dimittere uxorem, et despondere sibi Juliam præcepit. Nuntiabatur interim tumultuari Pannonios, audita morte Agrippæ, cujus metu quieverant. Idcirco missus in hos Tiberius, egregia Scordiscorum opera, qui vicini Pannoniis et armatura totaque reliqua ratione belli similes sunt, evastatis late omnibus, gentem ad repetendam, quam abjecerat pacem, coëgit. Arma victis ademta, magnusque juniorum numerus ea lege divenditus, ne in propinquis patriæ suæ regionibus haberentur. Triumphum ob hæc Tiberio decreverant patres: Augustus ejus loco triumphalia ei ornamenta dedit, novo, nec antea cuiquam, tributo genere honoris.

Sueton. Aug. 21. Dio. Sueton. Tib. 9.

4. Dum ita Tiberius successu præmiisque operum ac laborum attollitur, haud minus fratri ejus Druso quæsi-

1 *Agrippam* edd. ante Crev. Ex Dione correxit Crev.

[c] *Et loco proconsulis*] Freinshemius hic divinat potius, quid voluisse dicere Dionem existimet, quam ejus verba interpretatur. Res apud Græcum scriptorem parum clara est. *Crev.*

[d] *Suis propinquis*] Apuleius intelligitur. Dio, LVI. Sex Apuleium, quo consule mortuus est Augustus, principis propinquum fuisse scribit: et Tac. II. Ann. 50. nominat Apuleiam Variliam sororis Augusti neptem. *Crev.*

Digitized by Google

tum decus est, Gallorum consilia, Germanorum arma, solerter fortiterque coërcenti. Census nuper actus a Druso, quem in Galliam Augustus ideo miserat, tanquam haud incertum servitutis argumentum, Gallorum animos desiderio rerum novarum compleverat; passim, ut solet, erumpentibus indiciis. Ea fiducia, et quod Augustus discesserat, Sicambri eorumque socii ad utramque Rheni ripam incolentes, arma, neglectis quos dederant obsidibus, resumserant.

Liv. Epit. Dio. Bucher. de Hist. Belg. I. 15. Liv. Epit.

5. At Drusus, tum rectius in hostes impetum verti ratus, ubi sociorum res compositæ forent, eo curam intendere cœpit. Commodam fortuna occasionem præbuit omnia circumspicienti, quod absolutum Augusti templum Gallis communiter præbentibus[e] fuerat. Hujus ad dedicationem evocati principes, cum prætextus honestissimus esset, neque detecta sua consilia sentirent, plerique omnes Lugdunum convenerunt: ibi ad confluentes Araris et Rhodani, ubi nunc cœnobium Atanacense[f] est, delubrum excitatum erat, cum insigni ara inscriptionem habente sexaginta gentium, a quibus etiam singulæ statuæ in eodem templo dedicatæ visebantur. Spatiosus deinde lacus[g] circumjectus claudebat locum. Hunc annuis ludis, atque Rhetorum etiam certaminibus celebrari placuit. Sacerdos e principibus Æduorum C. Julius Vercundaridubius creatus. Inter hanc remissionem animorum, cum operam dedisset Drusus, ut quos suspicio novorum consiliorum contigerat, plerosque omnes in potestate haberet, motus qui timebatur e Gallia, mira repente tranquillitate consedit.

Strabo, VII. p. 291. Dio. Strabo, IV. p. 192. Cassiod. Chron. Dio. Liv. Epit. Descript. Hist. et Geograph. de la France, P. 1. l. III. Juven. Sat. I. 44. Strabo. Sueton. Calig. 20. Liv. Epit. Dio. Bucher.

6. Suetonius Lugdunensis aræ dedicationem ad sequentes consules Iulum Antonium, Q. Fabium, et Kalendas Augustas ejus anni retulit, quo et natum Druso filium narrat, qui multos post annos imperator factus est. Ego

Sueton. Claud. 2.

[e] *Gallis communiter præbentibus*] Sumtum. Priores editiones *præsentibus;* quod sensu caret. Intuebatur Freinshemius Strabonis verba, *τὸ ἱερὸν τὸ ἀναδειχθὲν ὑπὸ πάντων κοινῇ τῶν Γαλατῶν Καίσαρι τῷ Σεβαστῷ. Crev.*

[f] *Cœnobium Atanacense*] *L'Abbaye d'Ainay.*

[g] *Spatiosus deinde lacus*] Unde hoc sumtum sit, nobis non liquet: sed suspicamur legendum esse *lucus.* Crev.

Digitized by Google

hunc annum ex mente, non Dionis modo, sed etiam Livii, nam et hunc ita tradidisse non obscura indicia sunt, tradere malui.

Dio. Bucher.

7. Tum demum, remoto provinciali metu, totus in bellum versus, ad Rheni ripam adducto clam exercitu, Germanos, quorum eruptio expectabatur aggressus, cum trajectos in Gallicam ripam improvisus circumvenisset, cecidit. Ipse deinde transito amne, qua Batavorum insula venientibus e Gallia placido flumine faciles appulsus præstat; mox in ulteriora tendit. Usipetum gens maxime petebatur, Cattis proxima, jam superioris Cæsaris ætate Gallos incursare solita. Horum pervastatis finibus, in Sicambros transitum: eademque et horum agris illata vastitas. Inde secundo Rheno in oceanum Germanicum primus Romanorum ducum navigavit, in Frisios expeditione sumta, obiterque subactis insulis, quarum Byrchanis, cum seguiter defenderetur, vi expugnata est. Eam Romani a frugis similitudine sponte provenientis Fabariam appellarunt. Glessaria[h] quoque et Actania inter domitas eo bello memorantur, antea Romanis incognitæ. Ulterius ire cupientem ignoti vastique maris opinio deterruit. Satis tamen magnum operæ pretium credebantur, super cetera, victi in Amisia flumine navali pugna Bructeri, nec propinquis littoribus abstenta arma; donec natio Frisiorum, pace petita, facturam imperata polliceretur.

Tac. Ann. II. 6. Flor. IV. 12. Tacit. Germ. 32. Cæs. de B. Gall. IV. init. Dio. Sueton. Claud. I. Dio. Strabo, VII. p. 291. Plin. IV. 13. Tacit. Germ. 34. Strabo, VII. p. 290. Dio.

8. Per immensos deinde lacus acta classe, in Chaucos[i] penetratum, summa ope tuentes libertatem, quam ferme solam humanorum bonorum habebant, tota vitæ ratione insigniter misera. Nam in æstuariis dubiæ possessionis, solum per singulos dies noctesque vindicante oceano, non agriculturam, non venatum exercebant, mansuetis etiam animalibus carentes. Piscibus maxime vivebatur. Ne

Plin. XVI. 1.

[h] *Glessaria*] Sic dicta a succino, sive electro; quod ibi colligebatur, quodque barbari sua lingua vocitabant Glessum, ut docet Tacitus Germ. c. 45. Vid. et Plin. IV. 16. et XXXVII. 3. *Crev.*

[i] *Chaucos*] Populum hunc, cujus tamen miserabilis vita hic ex Plinio describitur, summis exornat laudibus, a nobilitate, a justitia, Tacitus, Germ. c. 35. *Crev.*

Digitized by Google

arbores quidem fructum aut ligna præbebant: bituminoso luto, quod manibus compressum siccant, ad coquendos cibos, et fovenda corpora ignis alebatur. In magno ibi discrimine Drusus fuit, cum recedens stato tempore oceanus ignaros locorum in sicco destituisset. Frisiorum fide factum, ne quid detrimenti acciperetur, qui nuper inita societate cum pedestribus copiis aderant. Has ob difficultates, quas immensum auctura imminens jam hyems videbatur, Drusus, reductis in pacata copiis, Romam rediit; exceptusque multis honoribus, et in annum sequentem prætor urbanus designatus est: cum antea jam insignia prætoria accepisset. Dio.

9. Q. deinde Ælio Q. F. Tuberone, Paullo Fabio Q. F. Maximo consulibus,* idem Drusus, simul per tempus anni potuit, Rheno iterum superato, in Usipetes et Tencteros ingressus, non ante destitit, quam, posita ferocia, leges pacis acciperent. Lupia deinde pontibus juncto, per Sicambros ad Cheruscorum fines et Visurgin usque processit. Sicambri tum forte cum omnibus copiis domo aberant, Cattis inferentes bellum, qui soli finitimorum societatem illorum aspernati fuerant. Hæc occasio pacatum Druso transitum dedit. Superabat et Visurgin, ni super necessariorum inopiam, hyems propinqua vetuisset. Etiam religio injecta reditum suasit, quia in castris examen apum in tabernaculo Hostilii Rufi præfecti castrorum consederat, ita ut funem prætendentem, præfixamque tentorio lanceam amplecteretur. Flor. IV. 12. Dio. Jul. Obseq.

10. Sed recedenti non eadem a Germanis quies, quam venienti fuerat, fuit. Exciti Romanorum irruptione passim locis idoneis insidias redeuntibus struxerant, ut magna cum difficultate pergerent. Semel circa Arbalonem per angusta et cava loca progressis parum ab exitio res abfuit: magisque hostium imprudentia quam virtute sua servati sunt. Quippe facilem de circumventis victoriam rati, cupiditate cædium prædæque simul omnes confusis ordinibus incurrerunt. Inde Romanis ex minaci et plena periculi pugna prosperrima facta. Nec exinde manum Dio. Jul. Obseq. Dio. Plin. XI. 17. Dio.

* A. U. C. 741. A. C. 11.

Digitized by Google

ausi conserere, tantum eminus lacessentes, majorem sibi, quam hosti, molestiam exhibuerunt.

Tac. Ann. II. 7. Dio. Tac. Ann. II. 8. Sueton. Claud. I. Cellar. Geogr. Anton. II. 3. Dio.

11. Vicissim igitur hos contemnens Drusus, quo loco Lupiæ et Alisonis confluentes erant, castellum excitavit: atque aliud in Cattis ad ipsam Rheni ripam. Fossam quoque ab auctore Drusianam vocatam (nunc Isalæ fluminis pars est) immenso opere effecit, quo facilius in hostiles terras iter exercitibus esset. His Romæ cognitis, ornamenta ei triumphalia decreta, utque ovans Urbem iniret, præturæque consulatum jungeret. Imperatoris nomen, quanquam ex merito exercitus acclamaverat, Augustus ei non concessit; quemadmodum nec fratri ejus Tiberio tum adhuc dederat: cum ex utriusque gestis hujus appellationis numerum in suis titulis adauxisset.

Front. de Aquæduct.

12. Dum ista geruntur, Augustus familiam omnem, aquæductuum tutelæ destinatam, a M. Agrippa testamento sibi relictam, publicavit: et aquarum jus certum ex senatusconsulto lege lata, edictoque suo promulgato constituit. Verba senatusconsulti hæc fuerunt:

13. 'Quod Q. Ælius Tubero, Paullus Fabius Maximus Coss. V. F. de iis qui curatores aquarum publicarum ex senatusconsulto a Cæsare Augusto nominati essent ordinandis, D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C. placere huic ordini eos qui aquis publicis præessent, cum ejus rei causa extra Urbem essent, lictores binos, et servos publicos ternos, architectos singulos, et scribas, et librarios, accensos, præconesque totidem habere, quot habent ii per quos frumentum plebei datur. Cum autem in Urbe ejusdem causa aliquid agerent, ceteris apparitoribus iisdem, præterquam lictoribus, uti. Utique quibus apparitoribus ex hoc senatusconsulto curatoribus aquarum uti liceret, eos diebus x. proximis, quibus senatusconsultum factum esset, ad ærarium deferrent: quique ita delati essent, iis prætores ærarii mercedem ac cibaria, quanta præfectis frumento dando dare deferreque solent, annua darent et attribuerent, iisque eas pecunias sine fraude suas facere liceret. Utique tabulas, chartas, ceteraque quæ ejus curationis causa opus esset, iis curatoribus præbenda Q. Ælius, Paullus Fabius consules, ambo alterve, si iis vide-

Digitized by Google

bitur, adhibitis prætoribus, qui ærario præsunt, præbenda locent.' Primum[2] ejus rei curatorem Augustus Messallam Corvinum fecit, cui adjutores dati Postumus Sulpicius prætorius, et L. Cominius.

14. Eodem anno ludi quos ab urbano prætore curari solenne erat, nomine Drusi magnificentissimi facti sunt. Etiam natalis Augusti per Circum et alia Urbis loca venationibus celebratus:[3] idque, licet nullo senatus decreto, fieri quotannis a prætoribus obtinuit: quemadmodum et equites Romani natalem ejus sponte atque consensu biduo quotannis celebrarunt. Sed et Augustalia, sic propter reditum ejus appellatus dies, tum primum ex senatusconsulto publicis spectaculis transacta. Ceterum ab ipso Cæsare facti ceteros, ut æquum est, sumtu ac splendore vicerunt, cum theatrum Marcelli, locorum triginta millium capax, A. D. IV. Nonas Maias dedicaretur. Istorum ludorum commissione evenit, ut, laxatis sellæ curulis compagibus, Cæsar supinus caderet. Nec ideo minus Trojam patricii pueri luserunt, inter quos et Caius Augusti nepos, octavo ætatis anno.[k] Africanæ etiam quadringentæ viginti (sexcentas alii scripserunt) interfectæ. In scenam quoque mansuefacta tigris in cavea invecta est, idque animal tum primum Romæ publice spectatum.

Dio.

Sueton. Aug. 57. Dio.

Supra, CXXXVI. 30. Dio.

Plin. VIII. 17.

Victor, descript. Urb. Romæ.

Sueton. Aug. 43. Dio, LIV.

Sub Ti. Claud. et Quintil. Varo coss.

Plin. Dio.

Plin. et Sueton. Aug. 43.

2 *Primus* edd. ante Crev.
3 *Celebrata* edd. ante Crev.

---

k *Octavo ætatis anno*] Immo *decimo*, siquidem hoc anno theatrum Marcelli dedicatum est. Natus est enim Caius, M. Appuleio, P. Silio coss. supra CXXXVI. 23. Si theatrum Marcelli biennio ante dedicatum est, ut Dio memoravit, octavum tunc numerabat Caius annum. *Crev.*

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXXVIII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

Dio LIV. Vell. II. 98. Liv. Epit. Dio.

1. Sub idem tempus ingens in Thracia bellum finem accepit: quod triennio gestum a L. Pisone, his causis exarserat. Vologæses natione Bessus, sacerdos Bacchi, et, ob præcipuum ejus numinis cultum, magna inter populares auctoritate, specie religionum animos ad rerum novarum cupiditatem inflammaverat. Coacta igitur magna et, propter Deorum creditum favorem, projecta ad audendum manu, occurrentem ad initia motuum extinguenda Cotyis filium Rhascyporim prælio vicit occiditque. Mox tutorem ejus ac avunculum Rhœmetalcen, ne prælio quidem, sed superstitione perculsis mentibus, exercitu nudat; omnibus eum, ne contra Deum pugnare viderentur, relinquentibus. Fugientem inde persecutus in Cherronesum, iis quoque locis, aperta vastando, expugnando minuta, plurimum malorum intulit.

Supra, CXXXVI 51. Dio.

Plin. IV. 11. Dio.

2. His nuntiatis, simul et Selletarum[a] nationem incursiones in Macedoniam facere, Cæsar L. Pisonem, qui Pamphyliæ præerat, exercitum eo transportare jussit, quod propinquiores Asia ac Bithynia, populi Romani

[a] *Selletarum*] *Sialetas* nominat Dio. *Selletas* a Plinio memoratos, diversos esse ab his Dionis *Sialetis* contendit clar. Harduinus in nota ad eum Plinii locum qui in ora libri hic allegatur. *Crev.*

Digitized by Google

provinciæ, sine legionibus erant. Hujus advenientis fama retrocedere Bessos ad sua coëgit. Idcirco Piso in illorum regionem impetum faciens, non leve bellum expertus est: cum ferox populus etiam rei militaris usu ac ratione adjuvaretur, disciplina armisque Romanis usu assuefactus. Primum prælium improsperum Pisoni fuit. Sequente victor omnem circa Bessorum atque sociorum agrum, ab ira cladis acceptæ, violentius depopulatus, spatium recolligendi vires non permisit, quin aliis voluntate, pluribus metu, quibusdam acie victis universum eum tractum armis subigeret. Tanta erat feritas, ut captivi catenas morsibus perfringere conarentur: quo minus mirere, quosdam nuper deditos, simul occasio brevis apparuit, arma retractasse. Ceterum et his infelix ausum, iterum domitis, in astrictius servitium cessit. Pisoni ob rem bene gestam supplicatio cum triumphalibus insigniis decreta.

Supra, cxxxiv. 96. Dio. Flor. iv. 12. Dio. Flor. Dio. Tac. Ann. vi. 10

3. Dum hæc aguntur, Augustus, Romæ censu rursus acto, suas quoque facultates, descriptis, quæ usquam haberet in potestate, ad privati modum censui subjecit. Senatu deinde lecto, ad levandam patribus molestiam, cum senatusconsultum fieri, quoties minus quadringentis affuissent, non liceret; ita moderatus est, 'ut Septembri ac Octobri mensibus nullos adesse necessum esset præter sorte ductos, per quorum numerum, antiquo minorem, decreta confici possent.'

Dio. Sueton. Aug. 35.

4. Pecuniam autem iterum ad statuas oblatam a senatu populoque in signa Publicæ Sanitatis Concordiæque ac Pacis impendit; suam exinde statuam nullam fecit. Sæpe enim, et qualibet occasione dona talia afferebant: ad extremum etiam Kalendis Januariis, non in commune conferentes, sed accedentes singuli pro modo facultatum porrigebant. Quibus ipse tantundem, aut aliquanto amplius reddere solebat. Quod si forte abesset eo tempore, strena in Capitolio ponebatur; qua ex summa pretiosissima Deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat; ut Apollinem Sandaliarium, et Jovem Tragœdum, aliaque. Sed ex nocturno visu stipem quotannis die certo emendicabat a populo, cavam manum asses porrigentibus præbens.

Dio. Sueton. Aug. 52. Dio. Sueton. Aug. 57. Dio et Suet. Aug 91.

Digitized by Google

Dio. 5. Idem annus duarum principum fœminarum alterius nuptias, alterius exequias vidit. Julia in Tiberii domum deducta est. Octavia post Marcelli obitum nunquam exhilarata, perpetuum luctum morte finivit. Cujus de pudicitia modestiaque prioribus libris multa exposui. Hujus cadaver pro ædo Cæsaris propositum est, dum laudes sororis Augustus, interposito iterum velo, exequitur. Sed et a Druso (nondum is profectus Urbe fuerat) pro rostris, ut in publicis funeribus solet, vestitu mutato laudata est. Generi ejus (Marcellam Antonius Iulus habebat; Antoniarum altera Druso, altera L. Domitio Ahenobarbo nupserat) humeros subjecere lecticæ, cum ad sepulcrum in Campum Martium efferretur. Senatus, pro more temporum, in decernendis ei honoribus liberalior fuit, quam ut omnia, licet in germana sorore carissima et probatissima, recipienda Cæsar existimaret. Quantos tamen convenire putabat maximos, tribuit. Et ne celeriter extingui memoria ejus Romæ posset, satis provisum ædificata porticu, quam vocaverat Octaviæ, rebatur.

Senec. Consol. ad Marc. c. 2. Liv. Epit. Dio. Plut. Anton. fin. Dio. Sueton. Aug. 61. Liv. Epit.

6. Sub idem tempus et vetera quædam instituta resumta, et excogitata nova sunt. Flamen Dialis, post Merulæ cædem, C. Cæsar creatus, adimente Sylla, sacerdotium, priusquam exerceret, amiserat. Ex eo tempore cum per annos amplius septuaginta[b] nemo factus esset; hoc tempore iterum id flaminium instauratum est. Cura asservandorum senatusconsultorum ad quæstores ab tribunis et ædilibus translata; quia apparitoribus demandata hac officii parte, causam erroribus et confusioni dederant. Decretum etiam erat, ut Janus Geminus denuo clauderetur: sed intercessere bella, Dacis simul Dalmatisque et Pannoniis rebellantibus, et commota validius quam unquam Germania: ingentis historiæ materia, nisi veterum monumenta omnium, quibus eæ res fuerunt expositæ, præter exiguos velut indices, universa deperissent.

Sueton. Aug. 29. Sueton. Aug. 31. et 36. Supra, LXXX. 44. Sueton. Aug. 31. Dio.

[b] *Per annos amplius septuaginta*] Hic septimus et septuagesimus annus est a Merulæ morte. Ideo reponendum duximus *septuaginta*, cum priores editiones haberent *sexaginta*. Crev.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXXIX.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

---

1. Quantæ molis per hoc tempus* Germanica bella fuerint, vel hinc intelligi potest, quod per ea plerumque Cæsar Augustus Lugduni morabatur, ne Drusi quidem, magni profecto imperatoris, fortunæ consiliisque satis confisus. Ille tum, resumta adversus Transrhenanas gentes expeditione, majus prope bellum, quam nuper confecerat, invenit. Nam et Catti, spreto, quem Romanus assignaverat, agro, Sicambris ceterisque populi Romani hostibus se conjunxerant. At Drusus universum bellum acriter complexus, quosdam populos vi coëgit ad obsequium, alios multis illatis detrimentis repressit; Gallorum etiam ingentibus auxiliis usus, quorum Senectius et Anectius tribuni Nerviorum ante prima signa memorabile certamen ediderunt.

Dio, LIV. Oros. VI. 21. Seneca Consol. ad Marc. c. 3. Liv. Epit. Dio. Liv. Epit.

2. Ad ceterarum gentium coërcendam rebellionem Tiberium occurrere Cæsar jussit, quem et ipsum, Aquileiam progressus, secum adduxerat; ne longius abesset Germanicis ac Pannonicis bellis. Per Istrum glacie concretum, ad populanda proxima ripæ excurrere, Dacis in consuetudinem venerat. Dalmatæ propter exacta tributa

Dio. Sueton. Tib. 9. Vell. II. 96. Joseph. Antiq. XVI. 7. Dio. Flor. IV. 12. Dio.

* A. U. C. 742. A. C. 10.

Digitized by Google

Sueton. Aug. 21. et Tib. c. 9. Oros. VI. 21. Dio. irati obsequium exuerant. Pannonii, nuper ab Tiberio domiti, præter insitam genti ferociam, discessu ejus et majoris partis copiarum, ac vicinarum nationum defectionibus turbabantur. Idcirco Tiberius, omnibus simul illato bello, et ad exorientes ubique motus arma circumferens, Dacos, cæsis cum duce copiis, repulit; Pannonios ac Dalmatas ad priorem tributorum imperiorumque patientiam revocavit. Annotatum est, Tiberium, cum, deleto cruentissima cæde Pannonum exercitu, arma more belli cremanda poscerentur, abjici in profluentem jussisse, quo conspecta ab hostibus infra colentibus, pertinaciam spectaculi horrore et similium metu frangerent. Ob hæc gesta, eidem, quos fratri diximus decretos, honores tributi sunt. Dalmatia, quæ prius inter populi provincias censebatur, quod, propter ingenium gentis et vicinorum, sine exercitu tuto haberi nequibat, ad curam Cæsaris translata est.

Liv. Epit. Oros. VI. 21. Flor. IV. 12. Dio. Vell. II. 96. Sueton. Tib. 9. Supra, CXXXIV. 96.

3. Hæc Iulo Antonio, Q. Fabio Maximo consulibus acta: et Herodes, qui liberos suos accusatum venerat Aquileiam, reconciliata per Augustum inter eos gratia, honorifice dimissus: mutuaque cum eo benevolentia, et adversus eximios ejus honores, digna principe Romano magnificentia certatum. Sub idem enim forte tempus Cæsaream, in honorem Augusti sic appellatam urbem, Herodes perfecerat, ejusque encænia sumtuosissimis ludis, quos in ejusdem honorem per quinquennia volebat repeti, celebrabat. Eum omnem sumtum a se præberi voluit Cæsar: sed et uxor ejus Livia misit eximia dona, ita ut omnium pretium talentis circiter quingentis[a] æstimaretur.

Joseph. Antiq. XVI. 7. et 8. Id. ibid. c. 9.

[a] *Talentis ... quingentis*] Marcis argenti nostratibus 46875. *Crev.*

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

LIBRI CXL.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

1. Extremus hinc Druso vitæ annus, sed idem honore et gloria præcipuus sequitur. Nam et consulatum colle- Dio, LV.
ga T. Quintio T. F. Crispino gessit:* et egregias de Germanis victorias reportavit. Fatum ei prodigiis prænuntiatum antiqua superstitio credidit; quod turbinibus et fulmine concussa pleraque fuerant, in quibus et multæ Deorum sedes, ut ne Capitolino quidem Jovi,[a] consortiumque Deorum cellis parceretur. Quo terrore nil tardatus juvenis, in Transrhenanas civitates iterum inducto exercitu, per Cattos ad Suevorum usque fines magno

Ovid. ad Liv. v. 401. Dio. Liv. Epit. Dio.

* A. U. C. 743. A. C. 9.

[a] *Ut ne Capitolino quidem Jovi*] Hic in ora libri, et frequenter in tota hac narratione de morte Drusi, testis citatur Ovid. ad Liv. id est, carmen ad Liviam de morte Drusi, quod Ovidio ascribitur. Idem carmen citabatur in prima supplementorum horum editione sub nomine Pedonis: neque immerito. Illud enim Pedo ipse sibi vindicare videtur initio elegiæ in Mæcenatis obitum, quæ sic incipit: 'Defleram juvenis tristi modo carmine fata, Sunt etiam merito carmina danda seni: Ut juvenis deflendus erat tam candidus, et tam Longius annoso vivere dignus avo.' Nec dispar est in utroque carmine styli color, et sententiarum plus justo interdum, ut in re tristi, exultans elegantia, atque etiam lascivia. Attamen quia elegiam de morte Drusi nusquam Pedoni tributam vidimus, eaque Ovidii operibus annectitur, vel ascripto Ovidii nomine, vel tanquam incerti auctoris; eam sub nomine Ovidii citavimus, ut faciliore indicio lectori monstraretur. *Crev.*

Digitized by Google

labore iter aperuit: haud incruenta victoria superatis, qui occurrerant.

Flor. IV. 12. Oros. VI. 21. Flor.

2. Inde tres simul validissimas nationes, Cheruscos, Suevosque, et Sicambros adortus, nimiam hostium fiduciam calamitosam ipsis atque lacrymabilem effecit. Nam illi, centurionibus viginti barbaro more mactatis ad aras, concrematisque, tam certam victoriæ spem conceperant, ut, divisa in antecessum præda, Cherusci equos, Suevi aurum et argentum, Sicambri captivos sibi desponderent. Sed ipsi magna pugna victi seque et sua cum uxoribus liberisque perdiderunt, qui more Germano secuti suos in prælium exeuntes fuerant. Res fœda dictu, sed ad demonstrandam illarum gentium incredibilem feritatem efficax, traditur; mulieres eorum, cum ad plaustra sua victores venissent, deficientibus telis, infantes liberos humi collisos in adversa hostium ora misisse.

Oros. Tacit. Germ. 7. et 18. Oros.

3. At Drusus, cedentes in penitiora gnaviter insecutus, inter Visurgim et Albim omnia populabatur; Albim quoque transiturus, ni res eum mira quædam et minax oblata deterruisset. Barbaræ mulieris humana amplior species obviam facta, 'tendere eum ultra' Latinis verbis prohibuit: 'hunc enim et operum ejus et vitæ terminum fata statuisse.' Nec aliter evenit. Continuo regressus, priusquam Rhenum attingeret, inter hunc et Salam fluvios, in æstivis, quæ Scelerata inde vocata sunt, mortem obiit. Quo tempore et lupos circa castra vagos ululasse tradunt, et juvenes duos per media munimenta equitare visos: muliebrem etiam ejulatum auditum, et speciem in cœlo transcurrentium stellarum apparuisse.

Dio. Sueton. Claud. c. 1. et Dio. Dio. Strabo, VII. p. 291. Sueton. Dio.

4. De genere mortis haud similia traduntur. Ex lapsu equi crus fregisse quidam scribunt; inde tricesimam ante diem decessisse. Morbo solutum alii narrant, qualis ille fuerit, aut unde profectus, reticentes. Nec defuerunt qui scelus vitrici suspicarentur; quod mira comitate juvenis, si reperisset occasionem, redditurum populo rempublicam non dissimulabat. Ferebantque proditam ejus epistolam ab fratre, quem de cogendo ad libertatem restituendam Augusto solicitarat. Revocatum igitur e provincia: at quia contatus erat recedere, veneno occupatum putarunt.

Liv. Epit. Dio. Sueton. Tac. Ann. I. 33. et II. 41. Sueton. Tib. 50. et Claud. 1.

Digitized by Google

Sed ego rem tantam, cum neque credere satis neque refellere possim, in medio relinquam; cetera, quæ certioribus testimoniis nituntur, traditurus.

5. Ad famam ægrotantis Drusi Augustus cum Livia, quam alioquin itinerum suorum comitem habere consueverat, Ticinum procurrerat. Eodem forte Tiberius, ex recenti victoria redux, ad salutandos parentes accessit. Ergo, cognita fratris valetudine, jussu Augusti, et sua pietate, sive ne in hostili solo sine duce exercitus esset, rapidissimo cursu et incredibili celeritate, ni certis auctoribus traderetur, advolavit. Cum enim transeundæ Alpes, transeundum Rheni flumen esset, die ac nocte, mutatis subinde jumentis, ducenta passuum millia,[b] per devictas modo feras nationes, uno tantum comite, confecisse fertur.

Dio. Val. Max. v. 5. Tac. Ann. III. 34. et 5. Val. Max. Dio. Liv. Epit. Val. Max. Plin. VII. 20. et Val. Max.

6. Certe spirantem adhuc fratrem reperit: isque, adventu illius cognito, legiones extremo jam imperio obviam procedere cum signis et aquilis comtis, et salutare imperatorem jussit; prætoriumque ei dextra parte statui. Nec multo post extinctus est, inter suprema fratris oscula. Corpus, invito prope exercitu, qui cremari in armis, inter quæ ceciderat, voluisset, a Tiberio primum per centuriones et tribunos militum ad hyberna deportatum est. Inde municipiorum coloniarumque primores exceperunt, suscipientibus scribarum decuriis, et effusa per officium multitudine, rogisque accensis. Sic Romam perlatum, pedibus antecedente Tiberio, nec usquam ab eo, postquam Ticinum advenerat, discedentibus vitrico et matre Livia. Lictores quoque versis ut in luctu fascibus sequebantur.

Dio. Ovid. ad Liv. v. 89. Val. Max. Ovid. ad Liv. v. 167. Dio. Sueton. Claud. 1. Sen. Consol. ad Marc. c. 3. Liv. Epit. Sueton. Tib. 7. Tac. Ann. III. 5.

7. Tum in foro, circumfusis Claudiorum Liviorumque[c] imaginibus, propositum defletumque funus. Tiberius defunctum laudavit pro rostris; Augustus, nec sine lacry-

Senec. Ovid. ad Liv. v. 141. et 177. Tac. Dio. Ovid. ad Liv. v. 209.

[b] *Ducenta passuum millia*] Leucas nostrates plus 66. *Crev.*

[c] *Liviorumque*] In Tacito legitur *Juliorumque*. Sed Lipsius emendat *Liviorumque*, propterea quod Julii nihil ad Drusum pertinerent, qui Augusti tantum privignus erat. Ryckius contendit probam esse vulgatam lectionem: et quia domum imperatricem Drusus per matrem contingebat, Juliorum imagines in funere ejus conspici debuisse sentit: atque in suæ sententiæ confirmationem allegat hæc Valerii Max. l. v. c. 5. de Tiberio et Druso verba, 'fraternum jugum, Claudiæ prius, nunc etiam Juliæ gentis . . . decus.' Judicet lector. Favemus tamen emendationi Lipsianæ, quæ et Mureto prius, et postea Freinshemio placuit. *Crev.*

Digitized by Google

Dio. Sueton. Claud. 1. Ovid. et Sueton. Dio.

mis, in Circo Flaminio: quod nescio quam ob superstitionem[d] ingredi pomœrium fas non esse rebatur. Ea in laudatione precatus dicitur Deos, 'similes Druso Cæsares suos facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent.' Cadaver equitum Romanorum illustrium humeris in Campum perlatum, ibique concrematum est: cineres in Augusti conditorium[e] illati.

Liv. Epit. Dio.

8. Fortior in hujus obitu Livia fuit, quam in Marcello nuper Octavia fuerat; sive quod adhuc alter filiorum supererat, sive aliis causis. Profuisse sibi sapientia Arei monita dicebat, ne nimio luctu mergeretur. Honores deinde cumulatim memoriæ ejus additi; nec per adulationem magis, quam jure merito. Germanici cognomen ipsi posterisque, statuæ, arcus marmoreus cum tropæis via Appia, et ad ipsum Rhenum honorarius tumulus Maguntiaci,[f] adhuc vestigiis ejus monumenti durantibus. Eum exercitus excitavit; decretumque, 'ut circa eum deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent.' Augustus elogium ejus tumulo versibus a se compositis insculpsit, vitæque memoriam prosa oratione consecravit.

Sen. Cons. ad Marc. c. 3. et 4. Liv. Epit. Flor. IV. 12. Sueton. Claud. 1. Ovid. ad Liv. v. 337. Dio. Sueton. Tac. Ann. II. 7. Eutrop. VII. 8. Sueton.

9. Nec dubitari potest, omnibus dignum honoribus humanis fuisse. Ac nescio an quisquam postea Romano-

[d] *Nescio quam ob superstitionem*] Dio causam affert, quæ minime obscura visa est Casaubono in not. ad Suet. Claud. c. 1. quod nempe, cum ad bellum Roma exisset Augustus, fas ei non erat ea prætermittere, quæ post bella confecta in ipso pomœrii introitu de more præstabantur. Nimirum, inquit Casaubonus, præcipua cura Urbem ingredientibus post victoriam partam fuit, Jovi Capitolino aliisque Diis gratias in ipsorum templis agere, quod Augustus, funesta ipsius domo, facere non potuit. Id tamen scrupuli remanet, quod eadem religio et Tiberium Drusi fratrem, itidemque ut Augustum ad bellum Urbe egressum, impedire debebat: qui quidem et intravit Urbem, et Drusum pro rostris laudavit. *Crev.*

[e] *In Augusti conditorium*] Quod Augustus ipse sibi sexto consulatu suo exstruxerat. Suet. Aug. c. 100. *Crev.*

[f] *Honorarius tumulus Maguntiaci*] Si ara, de qua loquitur Tacitus II. Ann. 7. ad illum tumulum fuit, non levis oritur difficultas, quia aram illam, non ad Maguntiacum a Tacito, sed inter Amisiam Luppiamque amnes collocari apparebit, si conferas inter se c. 60. l. I. Ann. et c. 7. l. II. Sed cum Freinshemius adhuc ejus monumenti ad Maguntiacum vestigia durare testetur, qui rem vel per se, vel per idoneos testes cognitam et compertam habere potuit, forsan existimandum est aram Tacito memoratam a tumulo honorario, de quo Suetonius et Eutropius mentionem faciunt, diversam et dissitam fuisse. *Crev.*

Digitized by Google

rum Druso comparari debeat, præter Germanicum, qui huic patri suo virtutibus et gloria, sed et fortunæ fatique similitudine proximus fuit. Ad bellica et civilia negotia pariter promtus, suavis omnibus, sibi amicos æquans benevola æstimatione, quantum ipse erat opibus superior, corporis etiam insigni decore, et commendante omnia flore ætatis: quippe tricesimum agens annum interiit. Manu quoque strenuus, qui sæpe maximo cum discrimine Germanorum duces tota acie sequeretur, opima referendi avidus.

Ovid. ad Liv. v. 14. Vell. II. 97.

Sueton.

10. Nec adipisci tantum victoriam, sed et firmare consilio idoneus, in tutelam provinciarum præsidia passim disposuit, fluviorum maxime opportunitatem secutus. Præcipue Rhenum, communi in Gallos Germanosque tutela, quinquaginta circiter castellis communivit: ex quibus enatas esse plerasque omnes civitates satis constat, quarum splendore hodie Gallica ripa insigniter illustratur. Pontes in eodem amne duos ædificavit, ad Bonnam et Maguntiacum,[s] ut expeditus in Germaniam trajectus esset. Hercynium saltum, inaccessum ad id tempus, frequentibus victoriis percurrens, patefecit. Ejus denique reverentia non pacatæ modo gentes, sed etiam hostilea ferocius agere desierunt: per totum adeo morbi tempus velut tacitis induciis quietæ. Justis Druso redditis ad publica munia reditum, voluptatesque resumtæ.

Flor.

Tac. Ann. IV. 5. Flor.

Senec. Cons. ad Marc. c. 3.

11. Tiberio decretam ex Dalmatico vicinisque bellis ovationem diximus. Hanc ille tanto peregit magnificentius, quod apparatus etiam Drusi causa facti, post mortem hujus in unum omnes cesserant. Equo invectus, stratis in Capitolio et per alias Urbis partes mensis, epulum populo præbuit: mulieribus etiam a Livia ac Julia epulum datum. Liviæ mox, in solatium amissi Drusi, statuæ decretæ, cum jure trium liberorum: et ab hoc exemplo cœpta consuetudo jus istud priscis temporibus ab senatu, mox ab imperatore petendi; quorum indulgentia, quibus natu-

Supra, CXXXIX. 2. Vell. II. 96. Euseb. Chron. Dio.

[s] *Bonnam et Maguntiacum*] Flori exemplaria habent 'Bonnam et Gesoniam cum pontibus junxit.' Pro *Gesoniam cum* Freinshemius post Cluverium emendat *Moguntiacum*. Aliter sentit Cellarius, quem vid. l. II. Geogr. Ant. c. 3. *Crev.*

Digitized by Google

ra tot liberos non concesserat, pœnam orborum vitabant, et præmia multos liberos habentium, præter paucos, consequebantur. Sub idem tempus Herodes Cæsareæ templum Augusti et Romæ dedicavit, cum magnificentissimis utriusque simulacris. Turrim etiam pulcherrimam, in portu positam, memoriæ Drusi causa nominavit Drusionem. Nec unius Herodis hæc adulatio fuit. Alii quoque reges Cæsareas urbes condiderunt: Artavasdes in Armenia,[h] et Juba in Mauritania.

Joseph. de B. Jud. I. 16. et Antiq. XV. 13.

Sueton. Aug. 60. Plin. VI. 9. Eutrop. VII. 5. Strabo XVII. p. 831. Dio.

12. Hoc tempore ferunt ab Augusto constitutum, ne senatus legitimus plus quam bis quot mensibus haberetur, Kalendis et Idibus; ut tamen Idus Martiæ, propter necem Cæsaris, pro damnatis et atris, exciperentur. Numerum senatorum, intra quem senatusconsulta fieri non possent, pro modo negotiorum finiit. Mulctas sine justa causa absentium intendit. Et quia sæpe multitudo delinquentium impunitatem hujusmodi culpis pepererat; quoties hoc contigisset, quintum quemque sorte ductum mulctari voluit. Utque promtius absentium ratio iniretur; album, in quo senatoria semper annotata erant nomina, publice proposuit. Quod si forte ad numerum senatores non fuissent, auctoritas perscribebatur. Quod idem obtinebat, quoties loco aut tempore alieno, aut alias non legitimo edicto patres celeriter essent evocati, aut cum tribunus plebis intercessisset. Hæc auctoritas deinde secundum leges moresque alio senatu confirmata, nomen vimque senatusconsulti accipiebat. Prætoribus inter hæc querentibus, deteriore se loco esse, quam minorem magistratum, tribunos; Augustus decrevit, 'uti prætoribus jus esset dicendæ in senatu sententiæ.'[i] Hæc et alia non tan-

Sueton. Aug. 35. et Cæs. c. 88. Dio.

Liv. IV. 57. Dio.

[h] *Artavasdes in Armenia*] Plinius, l. VI. c. 3. qui locus hic in prima editione allegabatur ad oram libri, de Cappadocia agit. Itaque Cæsarea illa, de qua hoc loco Plinius loquitur, est Cæsarea Cappadociæ, quæ nihil huc pertinet. Idem eodem libro, c. 9. Cæsaream in minore Armenia memorat. Sed neque illam ab Artavasde conditam ait, et Cellarius Geogr. Antiq. l. III. c. 11. ubi de hac Cæsarea tractat, ejus urbis nullam a quoquam alio, præter Plinium, scriptore, mentionem fieri contendit. Idem affirmat doctissimus auctor Dictionarii Geogr. Bruzen de la Martinière. *Crev.*

[i] *Uti prætoribus jus esset dicendæ in senatu sententiæ*] Tantumne prætoribus hoc tempore decesserat juris, ut qui, stante republica, jus cogendi etiam se-

Digitized by Google

quam imperans et cogens constituebat; sed in tabulis perscripta legi sinebat ab ingredientibus curiam, potestate facta monendi si quid melius invenissent.

13. Nec in senatu tantum et adversus nobiles modestus, ne clientibus quidem tristem sese aut superciliosum exhibebat. Evocatus quondam ejus scutarius[k] injuriarum postulatus patronum Augustum desiderabat. Is, cum esset occupatior, quendam ex cohorte amicorum dedit. Tum ira correptus litigator, 'Atqui,' inquit, 'quoties tu auxilio habebas opus, ego locis omnibus affui, meumque corpus pro tua incolumitate periculis objeci.' Lenissimum diceres principem, qui tantam impudentiam impunitam esse pateretur. At ille, sepositis etiam negotiis, in judicium venit, causamque hominis egit; quasi nec rogatus inverecunde, et objurgatus merito foret. Sueton. Aug. 56. Dio.

14. Sed cum Nonius Asprenas propinquitate sibi innexus causam veneficii diceret; consuluit senatum quid officii sui putaret. 'Se enim angi ne aut destitueret amicum, aut eripere nocentem crederetur.' Universis deinde assentientibus per horas aliquot assedit in subselliis rei, sed tacitus, ne translatitia quidem laudatione data. Sic quoque non effugit accusatoris convicia. Nam Cassius Severus, amarissimæ libertatis, idemque non vulgaris fa- Sueton. et Dio. Tac. IV. 21.

natus, absentibus certe consulibus, haberent, iis non jam liceret in senatu sententiam dicere? Hoc nullo modo verisimile est. Aut errat Dio, aut alius ejus verborum sensus est, quem non inani conjectura eruere videmur. Apud eum prætores queruntur ὅτι μηδεμίαν γνώμην. ἐς τὴν βουλὴν ἐσέφερον, id est, quod jus sibi non esset de ulla re ad senatum referendi. Tribuni in vetere republica jus relationis habuerant, etiam præsentibus consulibus, neque illud iis Augustus, qui se religiosum veterum institutorum cultorem haberi cupiebat, ademerat. Prætores vero hoc idem jus olim, absentibus tantum consulibus, videntur habuisse: ac proinde cum tunc consules in Urbe semper essent, nec in provincias, nisi post consulatum, exirent, prætores nunquam ulla de re referre poterant ad senatum. Postulant igitur, ut sibi, quemadmodum et tribunis, jus relationis etiam præsentibus consulibus tribuatur. Jus relationis Augusto quoque et successoribus ejus speciatim concessum fuit. *Crev.*

[k] *Evocatus quondam ejus scutarius*] Scutarius proprium videtur Casaubono nomen, licet ipse testetur in Glossario hæc legi, *scutarius* ἀξίωμα στρατιωτικὸν φέρων, *qui dignitate militari est præditus.* Evocati sunt veterani, quari prudentesque militiæ, qui, expletis stipendiis, sæpe in gratiam consulum et ducum militiam resumebant. De iis vide Lips. de Mil. Rom. l. I. Dial. 8. *Crev.*

Digitized by Google

cundiæ, et ab utroque notissimus, acerbissime questus est, 'ejus adventu reum sibi eripi, cujus una patina centum triginta convivæ interissent.' Id quoque civili animo Cæsar tulit, ne censoriæ quidem potestatis præscriptione hominem ultus, cum ille post paulo propter maleficam vitam deferretur; 'in civitate vitiorum plena necessariam esse sermonis libertatem' dictitans. Circa id tempus etiam quæstores circa maritima Italiæ loca provincias sortiri jussit, Ostiam, Ariminum, Cales.

Plin. xxxv. 12. Dio.

Pigh. Ann. ad an. 488. et Lips. ad Tac. Ann. IV. 27. Dio.

15. Sequente demum anno, C. Marcio C. F. C. N. Censorino, C. Asinio C. F. Gallo consulibus,* Augustus Urbem introiit, quod facere prius propter obitum Drusi distulerat. Et lauream quidem in Feretrii Jovis templum (cum in Capitolium ferri soleret[1]) intulit; sed nulla victoriam Germanicam alia lætitia celebravit; plus damni rempublicam cepisse morte Drusi, quam commodi superatis hostibus, præferens. Consules tamen et alia curarunt prosperis bellis decerni solita; et captivorum multitudinem inter se armis infestis coëgerunt concurrere.

16. Pulcherrimum eo tempore institutum excogitavit Cæsar ambitu reprimendo. Nam et consules, et ceterorum magistratuum plerique largitionibus honorem consecuti ferebantur. Igitur Augustus nec puniri claros viros cupiens, neque convictis sustinens parcere, tota re dissimulata, in posterum a candidatis certam pecuniam pignoris loco depoposcit, quam qui largitionum factarum esset condemnatus, amitteret. Hoc universi multa laude tulerunt. Non idem omnium sensus in eo fuit, quod vetus senatusconsultum, quo de servo in caput domini quæri vetabatur, excogitata fraude circumscripsit; si e republica videretur, actori publico aut Cæsaris mancipari jubens. Hoc alii calliditatem appellabant, quæ legum verba calumniando, jus dominorum iniqua et crudeli simulatione tolleret. Prudentiores necessitatem excusabant, nec aliter iri obviam insidiis potuisse, quas in illum atque magistratus

Tac. Ann. XI. 30. et ibi Lips. Dio.

* A. U. C. 744. A. C. 8.

[1] *Cum in Capitolium ferri soleret*] Dio habet tantummodo *præter morem*. Explicavit Freinshemius, et recte quidem. Triumphantes enim, quod vel pueris notum, curru in Capitolium vehebantur, ac proinde lauream in Capitolium inferebant. *Crev.*

Digitized by Google

multi hac ipsa celandorum consiliorum fiducia frequentius cupidiusque intentassent.

17. Inter hæc cum decennium resumtæ postremo tribunitiæ potestatis exisset,[m] imperium Augustus deponere dixit, satis certus futurum ut recipere illud, nulla interposita mora, cogeretur. Nam et omnia firmamenta reipublicæ sic habebat in manu, ut prorsus non possent extorqueri: et imperio ita per aliquammultos annos præfuerat, ut publice gloria, privatim opulentia populus Romanus cumularetur. Argumento sit hominis libertini testamentum, factum hisdem consulibus, A. D. VI. Kalendas Februarias, quo C. Cæcilius Claudius Isidorus professus est, 'quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum quatuor millia centum sedecim, juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta septem millia; in numerato sestertium sexcenties.'[n] Plin. XXXIII. 10.

18. Ita Cæsar, potestate resumta, Tiberium ad bellum Germanicum misit: ubi interim L. Domitius[o] cum irato, propter interitum Drusi, exercitu, dolorem hunc cladibus hostium ulturus, Albim primus Romanorum armata manu transcenderat. Ab eodem aggeratus secundum Amisiam trames est, vastas inter paludes: 'pontes longi' appellati. Ob hæc et talia triumphales quidem honores Domitio decreti: ceterum Augusto posthac irritari nationes Transalbinas minime placuit. Satis negotii susceptum cum citerioribus sentiebat. Dio. Vell. II. 97. Tac. Ann. IV. 44. Tac. Ann. I. 63. Sueton. Ner. 4. Strabo, VII. p. 291.

19. Idcirco ne Tiberius quidem longius processit, quanquam ejus adventu pleræque nationes inter Albim et Rhenum habitantes, Tiberio permittente, legatos de pace miserant. Sed irritæ horum preces fuere, negante suscepturum Augusto, nisi et Sicambri rogarent; iidemque in Dio et Bucher. Hist. Belg. I. 18.

[m] *Cum decennium resumtæ postremo tribunitiæ potestatis exisset*] Loquitur Dio, non de tribunitia potestate Augusti, sed de principatu. Vid. supra CXXXVI. 86. *Crev.*

[n] *Sestertium sexcenties*] Marcus argenti 234375. *Crev.*

[o] *Ubi interim L. Domitius*] Tempus quo res gestæ sunt a Domitio in Germania, nec Suetonius, nec Tacitus definiunt. Nullum probabilius, quam hoc, assignari potest, sive post mortem Drusi, ante Tiberii adventum, sive sub Tiberio legatus ea, quæ hoc loco memoratur, Domitius gesserit. Etenim Tiberius, teste Suet. in Tib. c. 20. legatis suis ornamenta triumphalia impetravit. *Crev.*

Digitized by Google

satisfaciendo ceteris essent comites, quibus belli suscipiendi auctores extitissent. Hoc cum in Germania percrebuisset, sociorum rogatu profecti ex ea gente multi principum, postquam Augusti jussu per municipia in custodias mittebantur, sibi manus intulerunt. Pace infecta Tiberius, nulla re majori gesta,[p] ex Germania discessit. Hostes haud multo post acceptas clades Romanis ubere vindicta regesserunt. Tiberio tamen, quod sine detrimento magnam Germaniæ partem peragravit, imperatoris cognomentum Augustus addidit, sibique tum etiam recepit; militibus quoque distributa pecunia, non victoriæ causa, quæ nulla insignis parta fuerat; sed propter tirocinium Caii, tum primum profecti in militiam. Tiberio interim alter consulatus cum altero triumpho decernitur.

Vell. II. 97.
Dio.
Vell.

20. Augustus, cum et ipsi triumphus decerneretur, natali suo solennes Circenses ludos maluit. Pomœrium eodem anno prolatum est, quod non nisi augentibus imperium concedebatur. Etiam Pannonios hoc tempore victos ab Sex. Appuleio reperio, cum impatientia quietis post Tiberii discessum ad arma redissent. Tum et Augustum mensem de Sextili factum quidam auctores tradiderunt;[q] qua de re tamen septimo ejus consulatu cautum esse plebiscito annotavimus. Fortean intermissam, ut fit, ap-

Dio.
Tac. XII. 23.
Cassiod. Chron.
Dio.
Sueton. Aug. 31.
Supra, CXXXIV. 103.

[p] *Tiberius, nulla re majori gesta*] Ad hanc Tiberii in Germaniam expeditionem refert scriptor eruditionis et diligentiæ, sed inprimis Christianæ pietatis laude conspicuus, Sebastianus Tillemonius, ea quæ Suetonius memorat in Tib. c. 9. et Aug. c. 21. de quadraginta Germanorum millibus, in Gallicam Rheni ripam a Tiberio traductis. *Crev.*

[q] *Tum et Augustum mensem de Sextili factum quidam auctores tradiderunt*] Id quidem disertis verbis scribunt Censorinus de die Natali, c. 22. et Dio. Idem et ex Suetonio astruitur. Ille enim id factum memorat dum Augustus annum ordinat, a pontificibus per imperitiam turbatum et confusum. Hæc autem anni ordinatio in hunc annum incidit. Siquidem Macrobius l. 1. Saturn. c. 14. docet errorem pontificum sex et triginta annis permansisse ab emendato per Cæsarem dictatorem anno. Primus autem Julianus annus est is quem nos numeramus 708. ab U. C. a quo hic est septimus et tricesimus. Porro error ille pontificum, Macrobio teste, in eo situs erat, quod diem eum qui ex ordinatione Juliana quinto quoque anno incipiente intercalari debet, illi quarto quoque incipiente anno intercalavissent: ita ut cum per sex et triginta annos novem tantum dies intercalari debuissent, intercalati ab illis fuerint duodecim. Cui errori ut mederetur Augustus duodecim annos sine intercalatione transigi jussit. *Crev.*

Digitized by Google

pellationem, et quasi cum antiqua luctantem, hoc anno ab omnibus usurpari, antiqua penitus explosa, placuerit.

21. Inter hæc tam læta ac splendida rursus Augustum infirmitatis humanæ C. Mæcenatis obitus admonuit, viri inter paucos memorabilis. Nam per plurimos annos amicissimus Cæsari, dignusque tanto honore vixerat, utilibus subinde ministeriis majoris amici benevolentiæ vicem reddens. Et publice quidem obitas partes suis plerumque locis retulimus : hic omnino commemoranda libertas est, qua sæpissime Cæsarem ea facere prohibuit, quorum postea pœnitere eum debuisset. Ac merebatur insigni lenitate prudentiaque princeps, ut rarissimum illi fortunæ bonum possideret, benevolum candidumque monitorem. Utriusque maximum experimentum ab uno exemplo capias licet. Dio.

22. Sedebat Augustus pro tribunali, damnaturus multos, ut omnes oculorum gestuumque et vocis notæ, quas diu ante perdidicerat Mæcenas, ei significabant. Igitur, cum per confertam turbam pervadere ad eum nequisset, tabellam in sinum ejus misit, his inscriptam verbis, 'surge, carnifex.' Surrexit ille, nulla in quenquam lata tristiore sententia, tantumque abfuit ab offensa hominis probatissimi libertas, ut potius, cum illa morte Mæcenatis defecisset, serio desideraretur. Certe cum biennio post filiam suam propter adulteria relegasset, atque decedente mox ira, pudore ac pœnitentia corriperetur, sæpe exclamasse fertur : 'Horum nihil mihi accidisset, si aut Agrippa aut Mæcenas vixissent.' Sen. de Benef. VI. 32.

23. Virtutis autem optimique animi perspicuum documentum in Mæcenate fuit, quod in maxima apud principem gratia positus, non invidiam ceterorum, non odia persensit. Scilicet modestia ac comitate fortunam temperans, cum aliis ab Augusto sæpe summos honores impetraret, in equestri loco consenuit. Non mirum igitur, si morte hujus ingentem dolorem concepit Cæsar, etiam ex testamento Mæcenatis perspecto, nihil eum sibi propter Terentiam succensere. Paucis enim nec maximis rebus exceptis, omnia ei reliquit, si quid inde distribuere defuncti amicis vellet, illius in arbitrium conferens. Erat Dio.

Digitized by Google

Sueton. Aug. 66. quippe mos Cæsari, quanquam hæreditatum minime cupido, judicia amicorum pensitare morosius, neque dolorem aut gaudium dissimulare, prout in testamentis neglectum se aut honoratum reperisset.

Pigh. Ann. 24. Post hæc Ti. Claudius Ti. F. secundum iniit consulatum, cum Cn. Calpurnio Cn. F. Pisone, cujus item alter hic consulatus fuisse a quibusdam traditur:* quod argumento est inter superiorum annorum suffectos fuisse. Nam si quis eundem esse putet, qui cum Augusto undecimum consule gessit, illum patrem hujus Pisonis fuisse discat, quod ex probatissimis auctoribus abunde constat.

Dio. 25. Tum igitur Tiberius, Kalendis Januariis senatu in Octaviæ gentis fano extra pomœrium habito, (nam triumphans initurus Urbem erat,) ædem Concordiæ instaurandam sibi sumsit, ut in eo suum et Drusi nomen inscriberet. Acto deinde triumpho, una cum matre Liviæ gentis sacrarium dedicavit, atque ipse senatoribus in Capitolio, mulieribus Livia seorsim epulum præbuit. Idem 'Ti. Claudius Ti. F. Nero, pontifex, consul iterum, ludos votivos pro reditu imperatoris Cæsaris Divi F. Augusti, pontificis maximi, Jovi Optimo Maximo fecit,' ut hodieque basis marmoreæ inscriptio prodit: quanquam, eo Germanicis motibus evocato, C. Cæsar et consul Piso pro eo fecerunt. In Germania tamen nihil ad memoriam insigne gestum.

Pigh. Ann.

Dio.

26. At Romæ Diribitorium[r] eodem anno perfectum est, quod Agrippa inchoaverat. Maximum id ædificium fuisse dicitur eorum, quæ usquam posita sint sub uno tecto: adeoque postquam vetustate collapsum tectum est, instaurari potuisse negant. Sub idem tempus Agrippæ funebres ludi facti, eoque die omnes, ne filiis quidem Cæsaris exceptis, præter ipsum, in pulla veste fuerunt. Spectatum est in Septis, tum in honorem Agrippæ, cujus ibi monumenta visebantur, tum quia multa circa forum ædificia arserant. Incendii culpa in ipsos dominos con-

* A. U. C. 745. A. C. 7.

[r] *Diribitorium*] Vasti hujus ædificii quisnam usus fuerit, definire nobis haud facile est. Quidam ibi stipendia militibus numerata, alii comitiis diribitas euntibus in suffragia civibus tabellas putant. *Crev.*

Digitized by Google

ferebatur, qui ære alieno gravati futurum sperassent, ut misericordia accepti detrimenti onere levarentur. Igitur nemini succursum.

27. Adversus incendia, spatium Urbis in regiones quatuordecim, et has iterum in vicos divisit. Regionibus præesse magistratus annuos, prætores, tribunos plebis, et ædiles sortito jussit. Vicorum magistris, qui antiquitus de plebe constituebantur, præter prætextam, quæ et olim concedebatur, binos lictores addidit, quibus in suo quisque spatio certisque diebus uterentur. Ab his familia publica circa portas et muros disposita, ubi necessum esset, evocabatur: donec post aliquot annos, præfecto vigilum constituto, diligentius etiam ab Augusto provisum est.

Sueton. Aug. 31. et Dio.

Liv. XXXIV. 7. Dio.

Dio, LV. sub Coss. M. Æmil. et L. Arrunt.

28. Adolescebant interim Caius et Lucius Cæsares pari voluptate ac solicitudine principis, qui munimenta domus corroborari lætabatur; insolentiam puerorum suspectabat. Quippe gnari quam ad fortunam educarentur, mores avitos haud curabant usquequaque æmulari. Lucius utique vix undecim natus annos, cum in theatro plausu et acclamationibus populi exceptus magnos spiritus sumsisset, eo progressus est temeritatis, ut Caio fratri, eo quoque adhuc prætextato, petere consulatum auderet. Tum vero non premens iram Cæsar, 'Absit,' inquit, 'a republica, qualis meis temporibus evenit calamitas, ut quenquam annis viginti minorem consulem fieri oporteat!' Sic etiam insistentibus, 'tum satis mature magistratum eum capturum' respondit, 'ubi et semet cohibere a peccando, et populi compescere cupiditates didicisset.'

Dio, LV. sub Coss. D. Lælio et C. Antistio.

29. Interim ut indulgentia præferoces animos retineret, sacerdotium Caio dedit, et designari consulem passus est,[a] ut post quinquennium, anno ætatis vicesimo magistratum iniret. Interim ex ea die deductus in forum, ut interesset consiliis publicis, locoque senatorio spectaret et epula-

Sueton. Aug. 64. Tac. Ann. I. 3. Zonar. Lapis Ancyr.

[a] *Et designari consulem passus est*] Quæ hic et paulo infra dicuntur ad C. Cæsarem pertinentia, illum designatum consulem fuisse, et principem juventutis appellatum, non in hunc annum cadunt, quo D. Lælius et C. Antistius consules erant, sed in proxime sequentem, quo Augustus duodecimum consulatum cepit; ut constat ex Sueton. c. 26. et Zonara. *Crev.*

Digitized by Google

Dio. retur. Hæc honoris Augusti causa senatusconsulto decreta. Equites autem Romani universi principem juventutis Caium hastis argenteis donatum appellaverunt. Hæc aiunt Augustum vix admisisse, cum intime gauderet factis; ne speciem civilis animi amitteret.

Lapis Ancyr.

Tac.

30. Eodem anno, tum enim D. Lælius D. F. Balbus, C. Antistius C. F. Vetus consules erant, Tiberio tribunitiam potestatem Cæsar in quinquennium dedit; Armeniamque deficientem ei demandavit.* At ille inter tot prospera, incertum quibus causis, repente statuit e medio se quam longissime abducere: nec enim studiorum causa Rhodi secessum petisse crediderim, quanquam id prætulisse traditum. Veriorem fuisse stimulum ex intemperantia uxoris putant, quam neque repudiare auderet, neque perferre ultra posset. Certe reliquit eam Romæ, sed cum filio quem sibi Vipsania pepererat. Quidam existimant, et ipse sic videri, sed postea voluit, Agrippæ exemplo, qui Marcello cesserat, abire voluisse, ne præstantia sua et rerum gestarum gloria obstare adolescentibus Augusti liberis videretur. Et quemadmodum in dissidiis principalium domuum, omnes in partes aliquorum velox suspicio est; non deerant, qui offensum judicarent, quod ipse ab Augusto non esset adoptatus. Contra alii ab illo ejectum sibi persuadebant, ut liberorum ejus insidiatorem. Minus absurda opinio est, vitato assiduitatis tædio, auctoritatem absentia tueri voluisse, atque etiam augere, si, quod futurum rebatur, ad subeunda reipublicæ onera, quibus nemo præterea par esset, revocaretur. Ipse nihil horum, sed honorum laborumque parem satietatem, et quietis desiderium obtendit.

Dio.

Vell. II. 99. Sueton. Tib. 10. et Dio in Excerpt. Vales.

Sueton. Tib. c. 7. Vell.

Sueton. Tib. 10. et 12. Dio.

31. Quacumque causa tam pertinaciter certe propositum ursit, ut neque matris precibus, nec querelis Augusti moveretur, cui contumeliosus hic secessus futurus erat: ciboque, postquam se detineri videbat, quatriduo abstineret. Rhodus ei revertenti prius ex Armenia, salubritatis et amœnitatis nomine, maxime placuerat. Huc igitur concedens, modicis ædibus diu ingentes virtutes, nec

Plin. VII. 45. Sueton.

Sueton. Tib. 11.

* A. U. C. 746. A. C. 6.

Digitized by Google

minora vitia abdidit; reliquo etiam cultu, officiorumque cum Græcis pariatione, privato similior. Dio et Sueton.

32. Ceterum præsenti labori meo in his temporibus actisque finem facio, circa quæ Livianam etiam historiam desisse indicio Epitomarum deprehenditur; toto animo versus in majoris et constantioris imperii auctorem dominumque Jesum Christum, quem sub hosce annos (de natali enim ejus haud levibus argumentis inter doctos disputatur) hominem natum suus aspexit potius quam agnovit orbis. Hujus beneficio, si quid utiliter elaboravi, debere me totum profiteor: eumque suppliciter oro, ut porro mentem eam mihi servet, omnia de quibus hic scripsi regna, victorias, triumphos, nullo modo digna reputantem, ob quæ illius sanctissima secta, aut quicquid ea facere ac pati jubet, ulla ex parte negligatur.

Digitized by Google

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

FRAGMENTA

DRAKENBORCHII STUDIO COLLECTA

ET NUNC PASSIM AUCTA.

[Ex Edit. Ruperti.]

I. QUÆ LAUDANTUR CUM INDICIO LIBRORUM UNDE PETITA SUNT.

LIBRI IV.

Privato nos tenuissemus.
V. Priscian. lib. xv. Gramm. p. 1009.

LIBRI XVII.

Pridie Nonas. Pridie Idus.
Priscian. lib. xiv. Gramm. p. 992.

LIBRI XVIII.

Imberbes.
Putsch. in Corpore Vett. Gramm. p. 74. et 2789. et ant. Gramm. ap. Barth. Advers. xxxvii. 14.

LIBRI LVI.

Qui Pompeium morbum excusasse ferunt, ne cum interesset deditioni, animos Numantinorum irritaret.

Priscian. lib. xviii. Gramm. p. 1198. ed. Putsch. ubi male legitur *ex Livio CVII.* et *XXVI.* pro *LVI.* Nota Drak. est ‘ Omnino verba hæc referenda ad Livii lib. lvi. et ad deditum Numantinis Mancinum. Nam P. Furius Philus consul, qui Hispaniam citeriorem nactus Mancinum dediturus erat, Q. Pompeium

Digitized by Google

et Q. Metellum legatos secum illuc ire coëgit. V. Valer. Max. III. 7. 5. Pompeius autem quinquennio antea consul eandem provinciam obtinuerat, et, re male gesta, pacem cum Numantinis inierat, quam postea a se initam esse negavit. V. Appian. Hisp. 79. sq. et Cic. de Fin. II. 17. Ne igitur, cum Furio cos. legatus in Hispaniam profectus, Mancini deditioni interesse deberet, et, præsentia sua nuperæ fraudis ac perfidiæ memoria revocata, animos Numantinorum irritaret, morbum excusare potuit.'

LIBRI XCI.

Tamen insequenti ipso pervigilante eodem loco alia excitata turris prima luce miraculo hostibus fuit, simul et oppidi turris, quæ maximum propugnaculum fuerat, subrutis fundamentis, dehiscere ingentibus rimis, et tu . . . . jus . . um igni cœpit: incendiique simul et ruinæ metu territi Contrebienses de muro trepidi effugerunt; et ut legati mitterentur ad dedendam urbem, ab universa multitudine conclamatum est. Eadem virtus, quæ irritantes oppugnaverat, victorem placabiliorem fecit. Obsidibus acceptis pecuniæ modicam exegit summam, armaque omnia ademit; transfugas liberos vivos ad se adduci jussit et fugitivos, quorum major multitudo erat. Ipsis imperavit, ut interficerent. Jugulatos de muro dejecerunt. Cum magna jactura militum quatuor et quadraginta diebus Contrebia expugnata, relictoque ibi L. Justeio . . ad hybernum flumen copias adduxit. Ibi hybernaculis secundum oppidum, quod Castra Ælia vocatur, ædificatis, ipse in castris manebat; interdiu conventum sociarum civitatium in oppido agebat. Arma ut fierent pro copiis cujusque populi, per totam provinciam edixerat. Quibus inspectis referre cetera arma milites jussit, quæ aut itineribus crebris aut oppu . . . f . . . an . . . . . tione inita, qu . di . culo effici possit.

Itaque omnes simul justa . . m . . . . tur, neque materia artificibus, præparatis ante omnibus . nixo civitium [civitatium vel civium] . . idio, nec suo quisque operi artifex deerat . . . . . quæsque in oppug-

Digitized by Google

nandis urbibus hostium gessisset, exposuit, et ad reliqua belli cohortatus est paucis edoctos, quantum Hispaniæ provinciæ interesset, suas partes superiores esse. Dimisso deinde conventu, jussisque omnibus ibi . . . re suas principio veris M. Perpernam cum viginti millibus peditum, equitibus mille quingentis in Ilurcaonum [Ilernaonum] gentem misit ad tuendam regionis ejus maritimam oram, datis præceptis, quibus itineribus duceret ad defendendas socias urbes, quas Pompeius oppugnaret, quibusque ipsum agmen Pompeii ex insidiis aggrederetur.

Eodem tempore et ad Herennuleium, qui in isdem locis erat, literas misit, et in alteram provinciam ad L. Hertuleium [Hirtuleium] præcipiens, quemadmodum bellum administrare [administrari vel administrare ipsum] vellet, ante omnia ut ita socias civitates tueretur, ne acie cum Metello dimicaret, cui neque auctoritate, neque viribus par esset . . . . m consilium . . . . versum . . . neque in aciem descensurum eum credebat, si traheretur bellum: hosti, cum mare ab tergo provinciasque omnes in potestate haberet, navibus undique commeatus venturos; ipsi autem, consumtis priore æstate, quæ præparata fuissent, omnium rerum inopiam fore.

Perpernam in maritimam regionem sub . . . tum . . . . . à geri, cum ab se oppugnarentur Celtiberi ut . . . . . armis . . . . . æmu . . . . . maritimamne oram, ut Pompeium ab Ilercaonia et Contestania arceat, utraque socia gente, an ad Metellum et Rusitaniam [Lusitaniam] se convertat? Hæc secum agitans Sartorius præter hyberum amnem per pacatos agros quietum exercitum sine ullius noxa duxit. Profectus inde in Bursaonum et Casuantinorum [Cascantinorum] et Graccuritanorum fines, evastatis omnibus proculcatisque segetibus, ad Calagurim Nasicam sociorum urbem benit, [venit] transgressusque amnem propinquum urbi; ponte facto, castra posuit.

Postero die M. Masium quæstorem in Arvacos [Arevacos] et Cerindones [Pelendones] misit ad conscribendos ex iis gentibus milites frumentumque inde Contrebiam [Leucada

Digitized by Google

appellatur] comportandum, præter quam urbem opportunissimus ex Beronibus transitus erat, in quamcumque regionem ducere exercitum statuisset; et C. Instelum [Insteium] præfectum equitum Segoviam et in Vacreorum [Vacæorum s. Vaccæorum] gentem ad equitum conquisitionem misit, jussum cum equitibus Contrebiæ sese opperiri. Dimissis iis ipse profectus, per Umconum [Vasconum] agrum ducto exercitu, in confinio Vironum [Beronum] posuit castra. Postero die cum equitibus prægressus ad itinera exploranda, jusso pedite quadrato agmine sequi, ad Vareiam validissimam regionis ejus urbem venit. Haud inopinantibus . . . advenerat, undique et suæ gentis et Antrig . .
. . . . . .

Hoc est fragmentum illud, quod a se in Biblioth. Vatic. Romæ a. 1773. inventum esse et P. Jac. Bruns et Vit. Mar. Giovenazzi gloriantur. Ab illo editum est Hamb. 1773. ab hoc bis, Romæ et Neap. 1773. cum permultis verbosisque notis cura Franc. Cancellieri; quæ editio repetita est Lips. 1775. cum præf. J. A. Ernesti. Emendationes Giovenazzi Abbatis inserui uncinis inclusas: sed alias adjecit J. Jhre, qui idem fragmentum notis criticis illustravit Upsalæ 1777. Is lin. 1. post 'insequente' excidisse putabat 'nocte,' et deinde alias commendavit lectiones, v. c. 'vetera arma' cet. Cf. Gotting. gel. Anz. a. 1774. p. 11. sq. et a. 1777. Additam. p. 669. sq.

LIBRI XCIV.

Livius in libro XCIV. Inarimem in partibus Mæoniæ esse dicit; ubi per quinquaginta millia terræ igni exustæ sunt. Hoc etiam Homerum significasse vult.

Serv. ad Virg. Æn. IX. 715. Cf. Salmas. ad Solin. p. 68. 6.

LIBRI CIII.

Horrendus magis est, premit qui corpora, carbo.
Urit hic inclusus, vitalia rumpit acerbus.
Hunc veteres quondam variis pepulere medelis.
Tertia namque Tibi simul et centesima Livi
Charta docet, ferro talem candente dolorem

Digitized by Google

Exactum, aut poto raporum semine pulsum;
Infecti dicens vix septem posse diebus
Vitam produci. Tanta est violentia morbi.

Q. Seren. Samon. de Medic. c. 39. v. 725. sq.

LIBRI CXII.

Castra quoque diversis partibus Cassius et Bogud adorti haud multum abfuere, quin opera perrumperent.

Quo tempore firmandi regni Bogudis causa exercitum in Africam velociter trajicere conatus sit.

Cassius gessisset cum Trebonio bellum, si Bogudem trahere in societatem furoris potuisset.

Priscian. Gramm. lib. VI. p. 686. et 687.

LIBRI CXIII.

Et ipse circa Pulpud oram tuebatur.

Priscian. l. l. qui etiam lib. v. p. 643. docet, 'Livium Bogud, Bogudis declinasse in CXIII.' nisi leg. *CXII.*

LIBRI CXVIII.

Adversus interfectores C. Cæsaris ultoribus manum comparans concibat.

Priscian. Gramm. IX. p. 865. ubi male in Mss. legitur *ex Livii libro XIIX.* et *XVIII.* et *XCVIII.* Cf. Barth. Gramm. v. 35. et ad Stat. Theb. IV. 146.

LIBRI CXXVII.

Quoniam inter Augustum et Antonium reliquiæ adhuc erant dissensionis, Cocceius Nerva, proavus Nervæ, qui postea imperavit Romæ, mandavit Augusto, ut mitteret Tarracinam, qui de summa rerum tractarent. Ergo missus est Mæcenas cum Agrippa, qui utrumque exercitum juxta Brundisium in una castra cum magna lætitia coëgerunt, ut ait Livius libro CXXVII. Intelligendum autem, quod, Fonteio misso ab Antonio, Augustus Mæcenatem et ceteros ad eundem locum emiserit.

Acro, Porphyrio, et commentator vetus Cruquii ad Horat. Sat. I. 5. 29. verbis paulum variantibus.

Digitized by Google

LIBRI CXXXVI.

Eodem anno ludos sæculares Cæsar ingenti apparatu fecit; quos centesimo quoque anno (is enim terminus sæculi) fieri mos.

Censorin. de Die Natali c. 17. Horum ludorum mentio facta videtur in deperdita Epit. Liv. libri CXXXVI.

II. QUÆ PROBABILI CONJECTURA AD SUOS LIBROS REFERRI POSSUNT EX EPITOMIS LIB. LIV.

AD LIB. XIII.

Curribus falcatis usos esse majores, et Livius et Sallustius docent.

Serv. ad Virg. Æn. I. 476. Cf. Freinsh. Suppl. XIII. 38.

AD LIB. XIII. AUT XIV.

Ni Pyrrhus unicus pugnandi artifex magisque in prælio, quam bello, bonus.

Serv. ad Virg. Æn. I. 456.

AD LIB. XVI.

Sichæus dictus est Sicharbas; Belus, Didonis pater, Methres; Carthago a Carthada, ut lectum est: quod invenitur in historia Pœnorum et in Livio.

Carthago est lingua Pœnorum nova civitas, ut docet Livius.

Bitias classis Punicæ fuit præfectus, ut docet Livius.

Serv. ad Virg. Æn. I. 343. 366. 738.

AD LIB. XVIII.

Serpentis quoque a Tito Livio curiose pariter ac facunde relatæ fiat mentio. Is enim ait, in Africa apud Bagradam flumen tantæ magnitudinis anguem fuisse, ut Atilii Reguli exercitum usu amnis prohiberet; multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ volu-

Digitized by Google

minibus elisis, cum telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum balistarum tormentis undique petitam, silicum crebris et ponderosis verberibus procubuisse, omnibusque et cohortibus et legionibus ipsa Carthagine visam terribiliorem. Atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque jacentis pestifero afflatu vicina regione polluta, Romana inde summovisse castra. Dicit belluæ etiam corium centum viginti pedes longum in Urbem missum.

Valer. Max. I. 8. ext. 19.

AD LIB. XIX.

Tertii ludi sæculares fuerunt, Antiate Livioque auctoribus, P. Claudio Pulchro et C. Junio Pullo consulibus.

Censorin. de Die Nat. c. 17. Cf. Freinsh. Suppl. XIX. 31.

Est in Livio, quod, cum quidam cupidus belli gerendi a tribuno plebis arceretur, ne iret, pullos jussit afferri. Qui cum missas non ederent fruges, irridens consul augurium ait, *Vel bibant*, et eos in Tiberim præcipitavit. Inde navibus victor revertens ad Africam in mari cum omnibus, quos ducebat, extinctus est.

Serv. ad Virg. Æn. VI. 198. Hoc ad Claudium Pulchrum spectare, sed ab aliis aliter narrari, monet ibi Burm. Cf. intpp. Suet. Tib. 2. et Duker. ad Flor. II. 2. 29. cui totum hoc, quod ex Livio refert Servius, suspectum videbatur, tanquam ex Claudii Pulchri historia fictum, vel male descriptum.

AD LIB. XLIX.

De quartorum ludorum sæcularium anno triplex opinio est. Antias enim et Varro et Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M. (M'.) Manilio consulibus, post Romam conditam a. DCV.

Censorin. de Die Nat. c. 17. Cf. Epit. Liv.

AD LIB. LXXVII.

Sylla nobilissimum contrahit conjugium, Cæcilia ducta, Metelli pontificis maximi filia. Hinc cecinit multa in eum probrose vulgus, multique ex primoribus inviderunt ei,

Digitized by Google

indignum illa fœmina existimantes, ut Titus ait, quem consulatu judicassent dignum.

Plut. in Vita Syllæ p. 455. Cf. Freinsh. Suppl. LXXVII. 2.

Sylla cum primum ad Urbem contra Marium castra movisset, adeo læta exta immolanti fuisse scribit Livius, ut custodiri se Postumius haruspex voluerit, capitis supplicium subiturus, nisi ea, quæ in animo Sylla haberet, Diis juvantibus implevisset.

Augustin. de Civ. Dei II. 24. Cf. Plut. l. l. p. 457.

AD LIB. LXXXIII.

Eversis quippe et incensis omnibus cum oppido (Ilio a Fimbria) simulacris, solum Minervæ simulacrum sub tanta ruina templi illius, ut scribit Livius, integrum stetisse perhibetur.

Augustin. de Civ. Dei III. 7. Cf. Epit. et Freinsh. Suppl. LXXIII. 7. Auctor de Vir. Ill. c. 70. Appian. b. Mithrid. c. 53. et 61. Obseq. de Prod. c. 116.

AD LIB. XCI.

Hoc primum prælium inter Sertorium et Pompeium fuit. Decem millia hominum de Pompeii exercitu amissa et omnia impedimenta, Livius auctor est.

Frontin. Strat. II. 5. 31. Cf. Freinsh. Suppl. XCI. 19.

AD LIB. XCVII.

Triginta quinque millia armatorum (fugitivorum a Crasso devictorum) eo prælio interfecta cum ipsis ducibus, (Casto et Gannico vel Granico,) Livius tradit, receptas quinque Romanorum aquilas, signa sex et viginti, multa spolia, inter quæ quinque fasces cum securibus.

Frontin. Strat. II. 5. 34. Cf. ad Epit. Liv.

AD LIB. XCVIII.

Livius dicit, nunquam Romanos signa cum hostibus contulisse tanto numero inferiores: nam vigesimam vix militum partem, immo minorem, fuisse victoribus.

Digitized by Google

Plut. in Lucullo p. 511. ubi memoratur prælium inter Lucullum et Tigranem ad Tigranocerta. Cf. Epit. et Freinsh. Suppl. XCVIII. 49.

Livius auctor est, priore prælio (ad Tigranocerta) plures fuisse, in hoc (ad Artaxata) nobiliores hostium cæsos et captos.

Plut. l. l. p. 513. Cf. Epit. et Freinsh. Suppl. c. 73.

AD LIB. XCIX.

Creta primo quidem centum habuit civitates; unde Hecatompolis dicta est: post viginti quatuor: inde, ut dicitur, duas, Gnoson et Hierapidnam. Quamvis Livius plures a Metello expugnatas dicat.

Serv. ad Virg. Æn. III. 106. Cf. Epit.

AD LIB. CII.

Quod cum diluisset.

Agrœtius de Orthogr. in Putschii Corp. Gramm. p. 2267. et Gothofred. Auctor. Ling. Lat. p. 1352. qui Livium de morte Mithridatis id dixisse tradunt.

Etenim capta urbe (Hierosolyma a Cn. Pompeio) tertio demum mense, die jejunii, Olympiade CLXXIX., C. Antonio et M. Tullio Cicerone consulibus, cum hostes vi ingressi eos, qui erant in templo, jugularent, nihilo secius rem hi divinam facere perseverabant, neque metu vitæ amittendæ, neque ob multitudinem hominum jam cæsorum in fugam compulsi, et satius esse rati, quicquid pati esset necesse, ad ipsas perferre aras, quam aliquid legibus patriis præceptum negligere. Hæc autem non esse fabulosa, unice ad falsam pietatem prædicandam spectantia, sed vera, testimonio sunt, qui res a Pompeio gestas memoriæ prodiderunt; in his Strabo et Nicolaus, ac præter hos T. Livius, historiæ Rom. scriptor.

Joseph. Ant. Jud. XIV. 4. 3. p. 689.

AD LIB. CV.

Britanniæ licet magnitudinem olim nemo, ut refert Li-

Digitized by Google

vius, circumvectus est, multis tamen data est varia opinio de ea loquendi.

Jornandes de Rebus Get. c. 2.

AD LIB. CVIII.

Septingentesimo conditionis suæ anno, XIV. vicos ejus (Romæ), incertum unde consurgens, flamma consumsit: nec unquam, ut ait Livius, majore incendio vastata est, adeo ut post aliquot annos Cæsar Augustus ad reparationem eorum, quæ tunc exusta erant, magnam vim pecuniæ ex ærario publico largitus sit.

Oros. VI. 14. et VII. 2. coll. Obseq. de Prod. c. 125. ex quibus colligitur, hoc incendium fuisse anno proximo ante bellum civile inter Pompeium et Cæsarem, cujus initium memoratur primis verbis Epit. CIX.

AD LIB. CIX.

Cæsar, Rubicone flumine transmeato, mox ut Ariminum venit, quinque cohortes, quas tunc solas habebat, cum quibus, ut ait Livius, orbem terrarum adortus est, quid facto opus esset, edocuit.

Oros. VI. 15. Idem refert Guilelmus Malmesburiensis Rer. Angl. II. p. 183. forte non ex Livio, sed Orosio.

AD LIB. CXI.

Primus hostem percussit, nuper pilo sumto primo, C. Crastinus.

Schol. vet. Lucani VII. 471. Crastinus, qui anno priore primum pilum duxerat, primus telum emisit in pugna Pharsalica. V. Appian. B. C. II. 82. Plut. Cæs. p. 729. Cæs. B. C. III. 91. 99.

Patavii C. Cornelius, auguralis scientiæ peritus, Livii historici civis et familiaris, sub idem forte tempus operam dabat auspicio. Hic primum, ut Livius tradit, tempus prælii (Pharsalici) cognovit, præsentibusque geri dixit nunc rem, et prælium duces committere. Ubi iterum cepit augurium, conspexitque signa, fanaticus exsiliit clamans,

Digitized by Google

'Vincis, Cæsar.' Obstupescentibus illis, qui aderant, detracta capiti corona, juravit non prius se repositurum eam, quam arti respondisset eventus. Hoc Livius verum esse affirmat.

Plut. in Cæs. p. 730. Cf. Freinsh. Suppl. CXI. 72. Gell. XV. 18. Lucan. VII. 192. Dio et Obseq.

AD LIB. CXII.

Quadringenta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum. Alius laudaverit, sicut Livius, qui elegantiæ regum curæque egregium id opus ait fuisse.

Seneca de Tranq. An. c. 9. Cf. Oros. VI. 15. Dio XLII. 38. Heynii Opusc. Acad. t. I. p. 119. sq.

AD LIB. CXIV.

Hæc de Basso produnt nonnulli; Livius vero, militasse eum Pompeii auspiciis: quo victo privatum egisse Tyri, corruptisque quibusdam legionariis effecisse, ut, interfecto Sexto, ipsum sibi ducem sumerent.

Appian. B. C. III. 77. ubi pro Λίβωνι legendum esse Λιβίῳ recte, opinor, conjecit Schweigh. et jam ante eum Periz. Anim. Dist. c. 4. p. 177.

Optarem mihi contingere, quod T. Livius scribit de Catone: cujus gloriæ neque profuit quisquam laudando, nec vituperando quisquam nocuit, cum utrumque summis præditi fecerint ingeniis. Significat autem M. Ciceronem et C. Cæsarem, quorum alter laudes, alter vituperationes supra dicti scripsit viri.

Hieron. Prol. lib. II. in Hoseam.

AD LIB. CXVI.

Ædibus Cæsaris, ornatus majestatisque causa, ex SCto adjunctum erat fastigium, ut auctor est Livius. Id per quietem Calpurnia collabi imaginata videbatur, sibi lamentari et flere. Itaque, orta luce, rogavit Cæsarem, si

Digitized by Google

qua fieri posset, ne prodiret in publicum, sed in aliud tempus senatum rejiceret.

Plut. Cæs. p. 738. Cf. Suet. Cæs. 81. ibique intpp.

Malum omen est, quoties Ætna, mons Siciliæ, non fumum, sed flammarum egerit globos; et, ut dicit Livius, tanta flamma ante mortem Cæsaris ex Ætna monte defluxit, ut non tantum vicinæ urbes, sed etiam Rhegina civitas, quæ multo spatio ab ea distat, afflaretur.

Serv. ad Virg. Georg. I. 471.

Quod de Cæsare olim majore vulgo dictitatum est, et a T. Livio positum, in incerto esse, utrum illum magis nasci rei publicæ profuerit, an non nasci, dici etiam de ventis potest.

Seneca Nat. Quæst. v. 18.

AD LIB. CXX.

M. Cicero sub adventum triumvirorum cesserat Urbe, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se, quam Cæsari Cassium et Brutum, posse. Primo in Tusculanum fugit, inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Cajeta navim conscensurus, proficiscitur. Unde aliquoties in altum provectum cum modo venti adversi retulissent, modo ipse jactationem navis, cæco volvente fluctu, pati non posset, tædium tandem eum et fugæ et vitæ cepit; regressusque ad superiorem villam, quæ paulo plus mille passibus a mari abest, 'Moriar,' inquit, 'in patria sæpe servata.' Satis constat, servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipsum deponi lecticam et quietos pati, quod fors iniqua cogeret, jussisse. Prominenti ex lectica præbentique immotam cervicem caput præcisum est. Nec satis stolidæ crudelitati militum fuit. Manus quoque, scripsisse in Antonium aliquid exprobrantes, præciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, jussuque ejus inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi sæpe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana vox, cum admiratione elo-

Digitized by Google

quentiæ auditus fuerat. Vix attollentes (præ) lacrymis oculos homines intueri trucidata membra ejus poterant.

Vixit tres et sexaginta annos, ut, si vis abfuisset, ne immatura quidem mors videri possit: ingenium et operibus et præmiis operum felix: ipse fortunæ diu prosperæ, et in longo tenore felicitatis magnis interim ictus vulneribus, exilio, ruina partium pro quibus steterat, filiæ morte, exitu tam tristi atque acerbo. Omnium adversorum nihil, ut viro dignum erat, tulit præter mortem; quæ vere æstimanti minus indigna videri potuit, quod a victore inimico nil crudelius passus erat, quam quod ejusdem fortunæ compos ipse fecisset. Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, et in cujus laudes persequendas Cicerone laudatore opus fuerit.

M. Seneca Suasor. VII. Cf. Gron. Obss. IV. 13. p. 213.

AD LIB. CXXXIII.

Livius refert, Cleopatram, cum ab Augusto capta indulgentius de industria tractaretur, identidem dicere solitam, οὐ θριαμβεύσομαι, non triumphabor.

Acron, Porphyrio, et commentator vetus Cruquii ad Horat. Od. I. 37. 30. Cf. Flor. IV. 11. extr.

III. INCERTA EX QUIBUS LIVII LIBRIS DESUMTA SINT.

Vir ingenii magni magis, quam boni.

Seneca de Ira I. 16.

Profiteor, mirari me, T. Livium, auctorem celeberrimum, in historiarum suarum, quas repetit ab origine Urbis, quodam volumine sic exorsum: Satis jam sibi gloriæ quæsitum, et potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere.

Plin. in Præfat. lib. I. Hist. Nat.

T. Livius ac Nepos Cornelius latitudinis (freti Gaditani) tradiderunt, ubi minimum, septem millia passuum; ubi vero plurimum, decem millia.

Plin. Præfat. lib. III. Hist. Nat.

Digitized by Google

Completis consulibus.

Serv. ad Virg. Georg. III. 1.

Verba sunt, ut habemus in Livio, imperatoris transfugam recipientis in fidem, 'Quisquis es, noster eris.'

Serv. ad Virg. Æn. II. 148.

Impubes libripens esse non potest, neque antestari.

Priscian. lib. VIII. Gramm. p. 792. De sensu horum verborum v. viros doctos ad Caii Institut. I. tit. 6. p. 57. 58. et inpr. Gerard. Meerman. in Diss. de Rebus manicipi et nec mancipi § 268. et 273.

Imperatorem me mater mea, non bellatorem peperit.

Hoc Scipionis dictum ex Livio afferre videtur Guilelmus Malmesburiensis Rer. Angl. lib. II. p. 162.

Dic mihi, cum sæpenumero in Romanis historiis legatur, Livio auctore, sæpissime in hac Urbe exorta pestilentia infinita hominum millia deperiisse, atque eo frequenter ventum, ut vix esset, unde illis bellicosis temporibus exercitus potuisset ascribi, illo tempore Deo tuo Februario minime litabatur? An etiam cultus hic omnino nihil proderat? Illo tempore Lupercalia non celebrabantur? Nec enim dicturus es, hæc sacra adhuc illo tempore non cœpisse, quæ ante Romulum ab Evandro in Italiam perhibentur illata. Lupercalia autem propter quid instituta sint, (quantum ad ipsius superstitionis commenta respectant,) Livius secunda decade loquitur: nec propter morbos inhibendos instituta commemorat, sed propter sterilitatem mulierum, quæ tunc acciderat, exsolvendam.

Ex Gelasii Papæ Epist. adversus Andromachum in Baronii Annal. Eccles. ad a. 496. num. 35.

IV. ALIA QUÆ AN LIVII SINT NOSTRI AUT CERTE EX HISTORIA EJUS DEPROMTA, DUBIUM EST.

Apud nympham Atlantis filiam Calypsonem.

Priscian. lib. VI. Gramm. p. 685.

Et reparando suggressu manu haud magna Allifæ mœnia, quasi palans perveniens, ex oppido bellua instructa arma-

Digitized by Google

mentis erupit, quam consul vi captam, trucidatis qui in ea constiterant, reservat ad pugnam. Sed oppidani, sicut quibus curæ pusillum inerat, in diem alterum umbonibus belluatis paucos fugaces invadunt, elephantemque omine meliori receptant, et Allifas, Rufium quondam vocitatas, ab dextro sequente sinistrum augurio, nomen imponunt accolæ.

Hæc verba Liv. XXII. 18. 5. post illa 'super Allifas loco alto ac munito consedit' inserta legi in cod. Laudino 1. monuit Hearne. Eadem deprehendit Drakenb. in Ms. Recanatiano, sed sic variata:

Et reparando suggressus haud magis Alifæ mœnia cum palans perveniens ex oppido bellua constã a Romanis erupit, quam consul vi captam, trucidatis qui in ea constiterant, reservat ad pugnam. Sed oppidani, sicut queis curæ pusillum inerat in diem altam umbonibus belluatis paucos fugaces invadunt, elephantemque meliorem receptant. Et Alifas Rufrium quondam vocitatas ab dextro sequente sinisteriorum augurio nomen imponunt accolæ.

Fragmentum hoc spurium esse censebant Cuper. de Elephantis in Nummis c. 4. Hearne, Drakenb. Stroth. et alii: sed genuinum Dodwell in singulari dissert. quæ etiam in edit. Livii Drakenb. t. VII. p. 182. sq. reperitur. In ea explicare quidem conatur obscurissima hæc verba; sed multis tentatis, tandem profitetur se vereri, ne operam luserit, et non ipsum forte Livium, sed Æthiopem lavarit.

T. Livius tam iniquus Sallustio fuit, ut hanc ipsam sententiam, *Res secundæ mire sunt vitiis obtentui*, et tanquam translatam, et tanquam corruptam dum transfertur, objiceret Sallustio. Nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum præferat. Laudat, quem non timet, et facilius putat posse a se Sallustium vinci, si ante a Thucydide vincatur.

Seneca Controv. XXIV.

T. Livius de oratoribus, qui verba antiqua et sordida consectantur, et orationis obscuritatem severitatem putant, aiebat, Miltiadem rhetorem eleganter dixisse *Ἐπὶ τῷ πλησίον μαίνονται.*

Seneca Controv. XXV.

Digitized by Google

EPITOMÆ

LIBRORUM LIVII.

LIB. I.

ADVENTUS Æneæ in Italiam, et ejus res gestæ referuntur. Ascanii regnum Albæ, et deinceps Silviorum.[1] Numitoris filia, a Marte compressa, nati Romulus et Remus. Amulius obtruncatus. Urbs a Romulo condita. Senatus lectus. Cum Sabinis bellatum. Opima spolia Jovi Feretrio lata. In curias[2a] populus divisus. Fidenates et Veientes victi. Romulus consecratus. Numa Pompilius ritus sacrorum tradidit; Jano templum constituit; ejusque portam, pacatis omnibus circa populis, primus clausit. Cum Dea Egeria sibi congressus nocturnos esse simulans, feroces populi animos ad religionem perpulit. Tullus Hostilius Albanos bello petiit. Post hæc trigeminórum[3] pugna. Horatius absolutus. Metti Fuffetii[4] supplicium. Alba diruta, Albani in civitatem recepti. Sabinis bellum indictum. Ad postremum fulmine Tullus absumtus.[5] Ancus Marcius

1 *Adventus Æneæ in Italiam et res ab eo gestæ; Ascanii regnum Albæ et Sylvii Æneæ, ac deinceps Sylviorum regum primo libro continentur* lectio est teste Rupert. edd. tantum non omnium; inter quas Gron. Doujat. Crev. Stroth. Sed e Mss. nostram profert Rupert. lectionem, prob. Drak.—2 'Ita ex emend. Sigon. quam firmat Livius I. 13. et probavit Duk. ad Flor. I. 6. 3. *In centurias* male Mss. et vett. edd.' *Rupert.*—3 *Tergeminorum* Gronov. Doujat. Crev.—4 *Suffetii* edd. ante Sigon. Al. *Fufetii*.—5 *Est* add. Gron.

NOTÆ

[2a] *In curias*] Legebatur antea *in centurias*. Sed recte Sigonius emendavit ex ipso Livio cap. 13. hujus libri. Centuriæ quippe cum classibus a Servio Tullio institutæ, cap. 43. non a Romulo.

Digitized by Google

cærimonias, a Numa institutas, renovavit. Latinis victis et ad civitatem ascitis montem Aventinum assignavit. Politorium, urbem Latinorum, bello repetitam, quam prisci Latini occupaverant, diruit. Pontem sublicium in Tiberim fecit. Janiculum collem Urbi addidit. Fines imperii protulit. Ostiam condidit. Regnavit annos viginti quatuor.[6] Eo regnante, Lucumo, Damarati[7] Corinthii filius, a Tarquiniis, Etruriæ civitate, Romam venit; et, in amicitiam Anci receptus, Tarquinii nomen ferre cœpit; et post mortem Anci regnum excepit. Centum additis, patrum numerum auxit. Latinos subegit, circum designavit, ludos edidit. Sabinorum bello petitus equitum centurias ampliavit. Tentandæ scientiæ causa[8] Atti Navii auguris,[a] consuluisse fertur, an id, de quo cogitaret, effici posset: quod cum ille fieri posse respondisset, jussisse eum novacula cotem præcidere; idque protinus ab Atto[9] factum. Sabinos præterea acie vicit, Urbem muro circumdedit, cloacas fecit. Occisus est ab Anci filiis, cum regnasset annos triginta octo.[10] Successit ei Ser. Tullius, natus ex captiva nobili Corniculana; cui puero, adhuc in cunis posito, caput arsisse traditum est. Veientes atque Etruscos prælio fudit. Censum primus[11] egit. Lustrum condidit, quo civium capita[12] censa octoginta millia esse dicuntur. Classes centuriasque descripsit. Pomœrium protulit. Colles Urbi, Quirinalem, Viminalem, Esquilinumque adjecit. Templum Dianæ cum Latinis in Aventino fecit. Interfectus est a L. Tarquinio, Prisci filio, consilio filiæ suæ Tulliæ, cum

[a] *Ad experiendam auguris Attii Nævii peritiam.*

Doujat. Crev. Stroth.—6 *Triginta tres* Gron. Crev. Ante Sigon. passim edebatur *Ostiam condidit. Tarquinius Priscus in Anci amicitiam receptus. Centum additis.*—7 *Demarathi* Crev.—8 Vett. libb. apud Sigon. præponunt *tentandæ* verbum *hic.*—9 Tà *ab Atto* absunt ab edd. ante Sigon. et apud Gron. Doujat. Crev. legitur *ab Attio.*—10 Ante Sigon. edebatur *Cloacas fecit. Servius Tullius natus ex captiva Corniculana, cui puero in cunis posito caput arsisse traditum est. Veientes, &c.* Verbo *Veientes* præponunt *is* Crev. et Stroth. —11 *Omnium* add. Gronov. Doujat. Crev.—12 *Civium capita* del. eæd. Omnia verba inter *condidit* et *classes* delentur etiam in edd. ante Sigon.—

Digitized by Google

regnasset annos quadraginta[13] quatuor. Post hunc L. Tarquinius Superbus, neque patrum, neque populi jussu, regnum invasit: quo die scelerata Tullia per patris jacentis corpus carpentum egit. Armatos circa se ad custodiam corporis sui habuit. Turnum Herdonium fraude interemit. Bellum cum Volscis gessit; et ex eorum præda templum Jovi in Capitolio fecit. Terminus et Juventas non addixere: quorum aræ moveri non potuerunt. Filii Sex. Tarquinii[14] [b] dolo Gabios in potestatem suam redigit.[15] Hujus filiis Delphos profectis, et consulentibus, quis eorum regnaturus esset Romæ, dictum est, eum regnaturum, qui primus[16] matrem osculatus esset. Quod responsum cum ipsi aliter interpretarentur, Junius Brutus, qui cum iis profectus erat, prolapsum se simulavit, et terram osculatus est. Idque factum ejus eventus rei comprobavit. Nam cum, impotenter se gerendo, Tarquinius Superbus omnes in odium sui adduxisset; ad ultimum, propter expugnatam nocturna vi a Sexto filio ejus Lucretiæ pudicitiam (quæ, vocato patre ad se Tricipitino et viro Collatino, obtestata, ne inulta mors ejus esset, cultro se interemit) Bruti opera maxime expulsus est, cum regnasset annos viginti quinque. Tunc consules primum creati sunt L. Junius Brutus et L. Tarquinius Collatinus.

13 *Triginta* Gronov. Crev. Ante Sigon. vulgo edebatur *in Aventino fecit. Lucius Tarquinius Superbus, occiso Servio socero suo, invasit regnum. Quo die, &c.*—14 *Filius Sext. Tarquinius dolo* edd. ante Sigon.—15 *Redegit* Doujat. Crev. Stroth.—16 *Primum* Gronov. Doujat. Crev.

NOTÆ

[b] *Sex.* [*S.*] *Tarquinii*] Ita mavult Sigonius, cum in plerisque codicibus sit *Sextus Tarquinius*. Utrumvis scribas, parum refert. Nam et Tarquinius pater, Sexti filii opera, Gabios subegit: et Sextus filius non modo summam apud Gabinos potentiam artibus suis est adeptus, ut Noster l. 1. cap. 54. memorat; sed et illis postea rex a patre datus est, Dionysio teste. Verum hoc postremum Livius omisit: unde videtur ad ejus mentem magis accedere Sigoniana emendatio.

Digitized by Google

LIB. II.

Brutus jurejurando populum astrinxit, neminem regnare Romæ passuros.[1] Tarquinium Collatinum, collegam suum, propter affinitatem Tarquiniorum suspectum, coëgit consulatu se abdicare, et civitate cedere. Bona regum diripi jussit: agrum Marti consecravit, qui Campus Martius nominatus est. Adolescentes nobiles, in quibus suos quoque et sororis filios,[2] [c] quia conjuraverant de recipiendis regibus, securi percussit. Servo indici, cui Vindicio[3] nomen fuit, libertatem dedit: ex cujus nomine vindicta est appellata. Cum adversus reges, qui, contractis Veientium et Tarquiniensium[4] copiis, bellum intulerant, exercitum duxisset, in acie cum Arunte, filio Superbi, commortuus est: eumque matronæ annum luxerunt. P. Valerius consul legem de provocatione ad populum tulit. Capitolium dedicatum est. Porsena, rex Clusinorum, bello pro Tarquiniis suscepto, cum ad Janiculum venisset, ne Tiberim transiret, virtute Coclitis Horatii prohibitus est; qui, dum alii pontem sublicium rescindunt, solus Etruscos sustinuit; et, ponte rupto, armatus se in flumen misit, et ad suos tranavit. Alterum accessit virtutis exemplum a Mucio; qui, cum ad feriendum Porsenam castra hostium intrasset, occiso scriba, quem regem esse putabat, comprehensus, impositam altaribus manum, in quibus sacrificatum erat, exuri passus est; dixitque, tales trecentos esse conjuratos in mortem ipsius regis. Quorum admiratione coactus Porsena pacis conditiones ferre, bellum omisit, acceptis obsidibus. Ex quibus virgo una Clœlia, deceptis

1 *Passurum* Gron. Doujat. Crev. Stroth.—2 Ita ex emend. Crev. pro *et fratris filios*, quod apud Crev. legitur. Drak. suspicatur e cod. Voss. legendum esse *suos quoque fratres et filios*.—3 *Vindicius* Gron. Doujat. Crev.—4 *Tarqui-*

NOTÆ

[c] *Et sororis filios*] In plerisque codicibus legitur *fratris filios*. Sed nec M. Junium L. Bruti fratrem, qui a Tarquinio Superbo cæsus, liberos post se reliquisse; nec Bruto ullos sororis filios fuisse invenio. Uxoris duntaxat fratres inter conjuratos occurrunt, de quibus l. II. c. 4.

Digitized by Google

custodibus, per Tiberim ad suos tranavit: et, cum reddita esset, a Porsena honorifice[6] remissa, equestri statua donata est. Ap. Claudius ex Sabinis Romam transfugit: ob hoc Claudia tribus adjecta est. Numerus tribuum ampliatus est, ut essent viginti una.[7] Adversus Tarquinium Superbum, cum Latinorum exercitu bellum inferentem, A. Postumius dictator prospere pugnavit apud lacum Regillum. Plebs, cum propter nexos ob æs alienum in Sacrum montem[8] secessisset, consilio Menenii Agrippæ a seditione revocata est. Idem Agrippa, cum decessisset, propter paupertatem publico impendio elatus est. Tribuni plebis quinque creati sunt. Oppidum Volscorum Corioli captum est virtute et opera C. Marcii,[9] qui ob hoc Coriolanus vocatus est. Ti. Atinius,[10] vir de plebe, cum in visu admonitus esset, ut de quibusdam religionibus ad senatum perferret, et neglexisset, amisso filio, debilis factus, postquam, delatus ad senatum lectica, eadem illa indicaverat, usu pedum recepto, domum reversus est. Cum C. Marcius Coriolanus, qui in exilium erat pulsus, dux Volscorum factus, exercitum hostium urbi Romæ[11] admovisset, et missi ad eum primum legati, postea sacerdotes frustra deprecati essent, ne bellum patriæ inferret; Veturia mater et Volumnia uxor impetraverunt ab eo, ut recederet. Lex agraria primum lata est. Sp. Cassius consularis regni crimine damnatus est necatusque. Oppia, virgo Vestalis, ob incestum viva defossa est. Cum vicini hostes Veientes incommodi magis, quam graves, essent, familia Fabiorum id bellum gerendum depoposcit; misitque in id trecentos

niorum edd. ante Sigon.—6 *Esset Porsenæ; honorifice* Gron. Doujat. Crev. ex emend. Sigon.; et mox *equestrique* habent eæd.—7 '*Ap. Claudius ex Sabinis .... viginti una*, hæc in omnibus Mss. et priscis edd. leguntur post extrema periodi seq. verba *apud lacum Regillum*. Aldus ea transposuit, quia hic est ordo rerum in Livio. Eundem sæpe ab auctore harum Epitomarum fuisse turbatum, sed ubivis, si ultima verba Epit. CIII. excipiantur, restitutum ab editoribus, Drak. ad h. l. et passim monuit. Nos id semel monuisse sufficiat.' *Rupert*. Pro *viginti* habent *triginta* edd. ante Sigon.—8 *Sacrum in montem* Gron. Doujat. Crev. Stroth.—9 *Cn. Martii* edd. ante Sigon.—10 *T. Latinus* edd. ante Sigon. et *T. Latinius* vet. lib. apud eund. *Tib. Atinius* Gron. Doujat.—11 In edd. ante Sigon. *primo* pro *Romæ* legebatur, et sup.

Digitized by Google

sex armatos, qui ad Cremeram [12] ad unum ab hostibus cæsi sunt, uno impubere domi relicto. Ap. Claudius consul, cum adversus Volscos contumacia exercitus male pugnatum esset, decimum quemque militum [13] fuste percussit. Res præterea adversum Volscos et Æquos et Veientes, et seditiones inter patres plebemque continet.

omittebatur τὸ *erat* ante *pulsus*.—12 *Flumen* add. cod. Boend. et pro *ad unum* legitur in 8. Mss. *præter unum*.—13 *Militem* duo Mss. ut ap. Front. teste Rupert.

LIB. III.

Seditiones de agrariis legibus factæ. Capitolium, ab exulibus et servis occupatum, cæsis iis receptum est. Census bis actus est.[14] Priore lustro censa sunt civium capita centum quatuor millia [15] ducenta quatuordecim, præter orbos orbasque. Sequenti, centum septemdecim millia ducenta novemdecim.[16] Cum adversos Æquos res male gesta esset, L. Quintius Cincinnatus dictator factus, cum rure intentus rustico operi esset, ad id [17] bellum gerendum arcessitus est. Is victos hostes sub jugum misit. Tribunorum plebis numerus ampliatus est, ut essent decem, trigesimo sexto anno a primis tribunis plebis. Petitis per legatos, et allatis Atticis legibus, ad constituendas eas proponendasque decemviri pro consulibus sine ullis aliis magistratibus creati, altero et trecentesimo anno, quam Roma condita erat: et, ut a regibus ad consules, ita a consulibus ad decemviros translatum imperium. Hi, decem [18] tabulis legum positis, cum modeste se in eo honore gessissent, et ob id in alterum quoque annum eundem esse magistratum placuisset, duabus tabulis ad decem adjectis,[19] cum com-

14 *Est* del. Gron. Doujat. Crev. et mox *sunt*.—15 *Quatuor et viginti millia* Gron. Doujat. Crev.—16 '*CXVII. millia CCCXIX.* ap. Eutrop. I. 16. (in tribus Mss. et in Pæonii metaphr.) et ap. Liv. III. 24. extr. ubi libri tamen admodum variant, ut et h. l.' *Rupert. Centum triginta duo millia quadringenta novem* Gron. Doujat. Crev.—17 Carent edd. ante Sigon. τῷ *id*.—18 *Ii decem* Gron. Doujat. Crev. Mox *in honore* legitur in edd. ante Sigon.—19 Verba

Digitized by Google

plura impotenter fecissent, magistratum noluerunt deponere, et in tertium annum retinuerunt;[20] donec inviso eorum imperio[d] finem attulit libido Ap. Claudii. Qui, cum in amorem virginis incidisset, summisso, qui eam in servitutem peteret,[e] necessitatem patri ejus Virginio imposuit, rapto ex taberna proxima cultro, ut filiam interimeret;[1] cum aliter eam tueri non posset, ne in potestatem stuprum illaturi veniret. Hoc tam magnæ luxuriæ[2] exemplo plebs incitata montem Aventinum occupavit, coëgitque decemviros abdicare se magistratu. Ex quibus Appius et unus collegarum,[3] qui præcipue pœnam meruerant, in carcerem conjecti; ceteri in exilium acti. Res præterea contra Sabinos et Volscos et Æquos prospere gestas continet, et parum honestum populi Romani judicium. Qui, judex inter Ardeates et Aricinos sumtus, agrum, de quo ambigebatur, sibi adjudicavit.

intermedia *duabus tabulis ad decem adjectis* desiderantur in edd. ante Sigon.—20 *Detinuerunt* edd. ante Sigon. Mox pro *inviso* 'habent *invito* Mss. *invicto* edd. antt. (cum Gron. Doujat. Crev.) quod Doujat. exponit pertinaci; et Gron. coll. VI. 16. quod sine provocatione erat. Hic tamen et Mur. malebat *injusto*. Mox *in amorem Virginiæ* et *Virginiæ virginis* quidam Mss.' *Rupert.* —1 'In plerisque Mss. *imposuit. rapto enim ex taberna proxima cultro filiam occidit;* prob. Drak. modo ante *necessitatem* inseratur *miserum*, vel *extremam*, vel *ultimam*.' Rupert.—2 Drak. legendum forte ex quibusd. Mss. putat *magnæ injuriæ*.—3 '*Et unus collegarum:* hæc verba in nullo Ms. extant, et a primis editoribus ex Liv. III. 57. 58. adjecta videntur. *Appius, qui . . . . meruerat, in c. conjectus est* Mss. Mox verba *et Æquos* primus addidit Aldus, forte ex Liv. III. 60.' *Rupert.*

NOTÆ

[d] *Inviso* [*invicto*] *eorum imperio*] Legendum Gronovius ait *injusto*, quale revera erat tertio anno decemvirorum imperium; non *invicto*, nisi forte ita dicatur, quod sine provocatione esset. 'Invictum' tamen nonnunquam pro pertinaci accipitur; potestque imperium figurate dici pro imperantibus: decemviri autem se vinci non patiebantur, ut imperium deponerent.

[e] *Summisso, qui eam in servitutem peteret*] Dicitur *summissus* pro subornato, clam inducto calumniatore. *Ayant suscité un homme qui demandoit qu'elle lui fut adjugée comme son esclave.* Dicitur etiam summitti deprecator, pro clam mitti; ut apud Satiricum: 'Et a trepido Thymele summissa Latino.'

Digitized by Google

LIB. IV.

Lex de connubio patrum et plebis a tribunis plebis[4] contentione magna, patribus repugnantibus, perlata est. Tribuni militares. Aliquot annis res populi Romani domi militiæque per hoc genus magistratus administratæ sunt.[5] Item censores tunc primum creati sunt. Ager Ardeatibus[a] populi Romani judicio ablatus, missis in eum colonis, restitutus est. Cum fame populus Romanus laboraret, Sp. Mælius,[6] eques Romanus, frumentum populo sua impensa largitus est: et, ob id factum conciliata sibi plebe, regnum affectans a C. Servilio Ahala, magistro equitum, jussu Quintii Cincinnati dictatoris occisus est. L. Minucius index bove aurata donatus est. Legatis Romanis a Fidenatibus occisis, quoniam ob rem publicam occubuerant, statuæ in rostris positæ sunt. Cossus Cornelius[7] tribunus militum, occiso Tolumnio rege Veientium, opima spolia secunda[8] retulit. Mam. Æmilius dictator, censuræ honore, qui antea per quinquennium gerebatur, anni et sex mensium spatio finito, ob eam rem a censoribus notatus est. Fidenæ in potestatem redactæ, eoque coloni missi sunt. Quibus occisis, Fidenates, cum defecissent, a Mam.[9] Æmilio dictatore victi sunt, et Fidenæ captæ. Conjuratio servorum oppressa est.[10] Postumius, tribunus militum, propter crudelitatem ab exercitu occisus est. Stipendium ex ærario tum primum militibus datum est. Res præ-

4 Deerant ante Sigon. verba *a tribunis plebis* ante *contentione;* sed legebatur inf. *perlata est a tribunis plebis aliquot annis res populi Romani d. m. p. h. g. m. adm. sunt.* Vett. libb. apud Sigon. exhibent *perlata est. Tribuni aliquot annos.* Ei autem videtur locus mancus.—5 *Sunt* h. l. et inf. del. Gron. Doujat. Crev. Mox *Ardeatinus* Gron. Crev.—6 *Melius* edd. ante Sigon. et inf. *Hala* pro *Ahala.*—7 *Cornelius Cossus* Gron. Doujat. Crev.—8 *Feretrio* add. Gron. Doujat. Crev. Stroth.—9 *Cum defecissent a populo Romano; a Mamerco,*

NOTÆ

[a] *Ager Ardeatibus* [*Ardeatinis*] Sic habent vetustiores editiones, melius quam posteriores, in quibus est *Ardeatinus.* Est enim ager qui Ardeatinis, sive Ardeatibus, ablatus fuerat, eisdem nunc restitutus.

Digitized by Google

terea gestas adversus[11] Volscos, et Fidenates, et Faliscos, continet.

***

&c. Gron. Doujat. Crev.—10 *Est* del. Gron. Doujat. Crev.—11 *Adversum* habent eæd. et cum Stroth. scribunt *Volscos et Veientes, Fidenates.*

LIB. V.

In obsidione Veiorum hybernacula militibus facta sunt. Ea res cum esset nova, indignationem tribunorum plebis movit, querentium non dari plebi nec per hyemem militiæ requiem. Equites tum primum equis suis merere cœperunt. Cum inundatio ex lacu[12] Albano facta esset, vates, qui eam rem interpretaretur, de hostibus[13] captus est. Furius Camillus dictator decem annos obsessos Veios cepit: simulacrum Junonis Romam transtulit: decimam partem prædæ Delphos Apollini misit. Idem tribunus militum, cum Faliscos obsideret, proditos hostium filios parentibus remisit: statimque deditione facta, Faliscorum victoriam justitia consecutus est. Cum alter ex censoribus C.[14] Julius decessisset, in locum ejus M. Cornelius suffectus est. Nec id postea factum est; quoniam eo lustro a Gallis Roma capta est. Furius Camillus, cum ei dies a L. Appuleio[15] tribuno plebis dicta esset, in exilium abiit. Cum Senones Galli Clusium obsiderent, et legati, a senatu missi ad componendam inter eos et Clusinos pacem, pugnantes contra Gallos in acie Clusinorum stetissent; hoc facto eorum concitati Senones Urbem infesto exercitu petierunt, fusisque ad Alliam flumen Romanis, cepere Urbem præter Capitolium, in quod se juventus contulerat:[16] majores natu, cum insignibus honorum, quos quisque gesserat, in vestibulis ædium sedentes, occiderunt. Et cum per aversam partem Capitolii jam in summum evasissent, proditi clangore anserum, M. Manlii præcipue opera dejecti sunt.

***

12 *In lacu* edd. ante Sigon.—13 'Alii Mss. *ex*, et plerique perperam *ab hostibus*.' Rupert.—14 Deerat ante Sigon. prænomen *C.*—15 *Apuleo* edd.

Digitized by Google

Coactis deinde propter famem Romanis descendere,[17] ut[b] mille pondo auri darent, et hoc pretio finem obsidionis emerent; Furius Camillus, dictator absens creatus, inter pendendum aurum[18] cum exercitu venit, et Gallos post sextum mensem Urbe expulit ceciditque. Ædes Aio Locutio[19] facta, quo loco ante Urbem captam vox audita erat, 'adventare Gallos.' Dictum est, ad Veios migrandum esse propter incensam et dirutam Urbem, quod consilium Camillo auctore discussum est. Movit populum vocis quoque omen ex centurione auditæ, qui, cum in forum venisset, manipulariis suis dixerat, 'Sta miles; hic optime manebimus.'

ante Sigon.—16 *Juvenes contulerant* edd. ante Sigon.—17 Al. *despondere:* legendum vult Gron. *eo descendere.*—18 Pro *inter pendendum aurum* habet vet. lib. apud Sigon. *inter ipsum colloquium, quo de pacis conditionibus agebatur.* —19 Liviani libri veteres teste, Sigon. habent *Allocutio.*

NOTÆ

[b] *Coactis deinde propter famem Romanis descendere, ut*] Supple eo descendere, aut huc descendere, ut mille pondo auri darent. Gallice, *contraints d'en venir là;* aut *reduits à ce point.* Dicuntur aliquo descendere, qui necessitate adducti gravem aliquam conditionem subeunt: quod Gronovius exemplis probat, parum opinor necessariis.

LIB. VI.

Res adversus Volscos et Æquos et Prænestinos[1] prospere gestas continet. Quatuor tribus additæ sunt, Stellatina, Sabatina, Tromentina, Arniensis.[2] M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat, cum obstrictos ære alieno liberaret, nexos exsolveret, crimine affectati regni damnatus, de saxo Tarpeio dejectus est: in cujus notam senatus[3] consultum factum est, ne cui de Manlia gente Marco cogno-

1 *Hetruscos* edd. ante Sigon.—2 *Sabbatina, Promentina, Arniensis* edd. ante Sigon.—3 'Vel vitiosa est hæc periodus et del. τὸ *senatus*, vel defecta est, ac tum verba SCti aliave exciderunt. Jac. Gron. Potius auctorem hujus Epit. ipsum errasse puto, quem a Livio sæpe diversa tradidisse, ad Epit. l. XLV. videbimus.' *Drak.*—4 'Perspicue mendosum *Marco cognomen.* Potius scriben-

Digitized by Google

men[4] esset.[c] C. Licinius et L. Sextius tribuni plebis legem promulgarunt, ut consules etiam[5] ex plebe fierent, qui ex patribus creabantur. Eamque[6] legem cum magna contentione, repugnantibus patribus, cum iidem tribuni plebis per quinquennium soli magistratus fuissent, pertulerunt; et primus[7] ex plebe consul L. Sextius creatus est. Lata est et altera lex, ne cui[8] plus quingentis jugeribus agri liceret possidere

dum esset *prænomen.*' Sigon.—5 Vett. libb. teste Sigon. non habent *etiam.*—6 Deerat ante Sigon. *τὸ que.*—7 Add. vocem *omnium* edd. ante Sigon.—8 *Cuiquam* edd. ante Sigon.

NOTÆ

[c] *Marco cognomen esset*] Immo *prænomen:* ut apud Quintil. lib. III. 'Marci Manlii prænomen e familia in posterum exemtum est.' Sigonius tamen putat scriptum fuisse *Marco nomen;* librarii errore ultimam prioris vocabuli syllabam *co* repetitam fuisse initio sequentis vocis, ut sæpe fit. Nam Plut. ὄνομα Μάρκου. Etenim nomen et genus est et species; genus, ut cum dicimus 'apud Romanos tria fuisse nomina:' species, ut si dicamus, 'unum præcipue fuisse nomen gentilitium,' qualia Julius, Tullius; alterum prænomen, quod nomini gentilitio præponebatur, Caius, Marcus: tertium cognomen, gentilitio superadditum, ad diversarum ejusdem gentis familiarum distinctionem; veluti Cæsar, Scipio, Cicero. Quin et quarto quasi nomine, quod agnomen dicebant, quidam designabantur, cujusmodi in Scipionum familia Africanus, Asiaticus, Nasica. Neque his obest quod ab Robortello adducitur ex Valer. Maxim. c. 4. lib. III. 'In Servio autem Tullio fortuna præcipue suas vires ostendit .... Statuæ ipsius titulus abunde testatur, Servili cognomine, et regia appellatione perplexus:' unde concludi videtur cognomen idem esse ac nomen. Verum id et Robortellus ipse satis diluit, cum fatetur a Valerio scriptum fuisse *in Tullio Servio;* sic enim Servius revera cognomen est: et Sigon. vocem quoque cognominis ad prænomen accommodari posse contendit, quatenus distinguendi causa inditum.

LIB. VII.

Duo novi magistratus adjecti sunt, prætura et curulis ædilitas.[9] Pestilentia civitas laboravit, eamque insignem fecit mors Furii Camilli. Cujus remedium et fines cum per novas religiones quæreretur, ludi scenici tunc primum

9 *Ædilitas curulis* Gron. Doujat. Crev. Paulo sup. vox *novi* deerat ante

Digitized by Google

facti sunt. Cum dies L. Manlio dicta esset a M. Pomponio[10] tribuno plebis propter delectum acerbe actum, et T. Manlium filium rus[11] relegatum sine ullo crimine; adolescens ipse, cujus relegatio patri objiciebatur, venit in cubiculum tribuni, strictoque gladio coëgit eum in verba sua jurare, non perseveraturum se in accusatione. Cum telluris hiatu tota ad ultimum territa patria[12] foret, tunc omnia pretiosa missa sunt[a] in præaltam voraginem Urbis Romanæ. In eam Curtius armatus, sedens equo, se præcipitavit, eaque expleta est. T.[13] Manlius adolescens, qui patrem a tribunicia vexatione vindicaverat, contra Gallum, provocantem aliquem ex militibus Romanis, in singulare certamen descendit, eique occiso torquem aureum detraxit; quem ipse postea tulit, et ex eo Torquatus est nuncupatus. Duæ tribus additæ, Pomptina et Publilia. Licinius Stolo

Sigon.—10 *M. Pompeio* edd. ante Sigon. et mox *factum* pro *actum*.—11 *Rus* del. Gron. Doujat.—12 *Patria territa* Gron. Crev. In Doujat. omnia desunt verba *cum telluris hiatu tota ad ultimum patria territa foret*. Vid. Not. Delph. inf. et mox apud illam legitur, ut in edd. ante Sigon. *Tunc omnia perniciosa omissa sunt. In patentem ver. U. Romæ Curtius armatus equo, &c. Patentem* pro *præaltam* habent Gron. et Crev.—13 Deerat olim prænomen *T.*

NOTÆ

[a] *Tunc omnia pretiosa missa sunt* [*perniciosa omissa sunt*] Religio fuit veterem lectionem mutare: quamvis Gruterus, et ex membranaceo codice Gronovius, sic malnerint: *Non perseveraturum se in accusatione. Cum telluris hiatu tota ad ultimum territa patria foret: tunc omnia pretiosa missa sunt in præaltam voraginem urbis Romanæ. In eam Curtius armatus sedens equo se præcipitavit, et expleta est.* Mihi vero hic suspecta est primo *tota ad ultimum territa patria.* Quid enim *tota patria* pro civitate universa? Quid *ad ultimum*, cum de eo agatur, cujus nulla antea mentio? Nec displicet *equo se præcipitavit*, pro *in equo:* denique vetusta lectio minus laciniosa, et brevitate sua mihi probabilis magis. Sed negotium facessit illud, *Tunc omnia perniciosa omissa sunt.* Si tamen propius res spectetur, facile expedietur hic nodus. Voluit auctor omissa esse a Pomponio tum consilia accusandi Manlii, non modo ex capite malæ tractationis in filium; sed ex capite crudeliter habiti delectus, quæ accusatio Manlio patri perniciosa futura videbatur: tum etiam omissam querelam adversus T. Manlium filium, quod tribunum plebis, cujus dignitas sacratis legibus sancita esset, vi domi ipsius, et præsenti mortis metu illato atrociter violasset: quod ipsum non poterat non perniciosum esse auctori. Hoc ita explicat Livius in fine cap. 5. 'Itaque non patri modo remissa causæ dictio est; sed ipsi etiam adolescenti ea res honori fuit.'

Digitized by Google

lege ab ipso lata damnatus est, quod plus quingentis jugeribus agri possideret.[14] [b] M. Valerius tribunus militum Gallum, a quo provocatus erat, insidente galeæ corvo, et unguibus rostroque hostem infestante, occidit,[15] et ex eo Corvi nomen accepit; consulque proximo anno, cum annos viginti tres haberet, ob virtutem creatus est. Amicitia cum Carthaginiensibus juncta. Campani, cum urgerentur a Samnitibus bello, auxilio adversus eos a senatu petito, cum id non impetrarent, urbem atque agros populo Romano dediderunt. Ob quam causam ea, quæ populi Romani facta essent, defendi bello adversus Samnites placuit. Cum ab A. Cornelio consule exercitus in iniquum locum deductus in magno discrimine esset, P. Decii Muris[16] tribuni militum opera servatus est. Qui, occupato colle super id jugum, in quo Samnites consederant,[17] occasionem consuli in æquiorem locum evadendi dedit: ipse ab hostibus circumsessus erupit. Cum milites Romani, qui Capuæ in præsidio erant relicti, de ea occupanda[18] urbe conspirassent, et, detecto consilio, metu supplicii a populo Romano defecissent; per M. Valerium Corvum[19] dictatorem, qui consilio suo eos a furore revocaverat, patriæ restituti sunt.[20] Res præterea contra Hernicos, et Gallos et Tiburtes et Privernates et Tarquinienses et Samnites et Volscos prospere gestas continet.

—14 Vid. Not. Delph. inf.—15 *Interemit* Gron. Doujat. Crev. Mox habent eæd. *consulque proximo anno creatus est ob virtutem, cum vigesimum tertium ageret annum.*—16 In edd. ante Sigon. deerat nomen *Muris.*—17 *Sederant* edd. ante Sigon.—18 *Milites Romani .... relicti, cum de ea occupanda* Gron. Doujat. Crev.—19 *Corvinum* edd. ante Sigon. et sup. *Corvini* pro *Corvi.*—20 Ab edd. ante Sigon. absunt omnia verba post *restituti sunt.*

NOTÆ

[b] *Plus quingentis jugeribus* [*quingentorum jugerum* [*agri possideret*] Sigonius legi vult aut *plus quingenta jugera*, aut *plus quingentis jugeribus.* Quid si *plus quingentorum jugerum agrum possideret?*

Digitized by Google

LIB. VIII.

Latini cum Campanis defecerunt, et, missis legatis ad senatum, conditionem tulerunt, ut, si pacem habere vellent, alterum ex Latinis consulem facerent. Qua legatione perlata, prætor eorum Annius de Capitolio ita prolapsus est, ut exanimaretur. T. Manlius consul filium, quod contra edictum adversus[1] Latinos, quamvis prospere, pugnasset, securi percussit. Laborantibus in acie Romanis, P. Decius, tunc consul[2] cum Manlio, devovit se pro exercitu; et, concitato equo cum in medios hostes se intulisset, interfectus morte sua Romanis victoriam restituit. Latini in deditionem venerunt. T. Manlio in Urbem reverso nemo ex juventute obviam processit. Minucia virgo Vestalis incesti damnata est. Ausonibus victis, in oppidum ex iis captum Cales[3] colonia deducta est.[c] Item Fregellæ colonia deductæ sunt. Veneficium complurium matronarum deprehensum est,[4] quarum plurimæ statim epotis medicaminibus perierunt. Lex de veneficio tunc primum constituta est. Privernatibus, cum rebellassent, victis, civitas data est. Palæpolitani, bello et obsidione victi, in deditionem venerunt. Q. Publilio, qui eos obsederat, primo et imperium prolatum, et pro consule decretus triumphus.[5] Plebs nexu liberata est propter L. Papirii creditoris libidinem, qui C. Publilio[6] debitori suo stuprum inferre voluerat. Cum L. Papirius dictator reversus in Urbem ab exercitu esset propter auspicia repetenda, Q.

1 *Adversum* Gron. Doujat. Crev.—2 Ab edd. ante Sigon. abest vox *consul;* et vet. lib. ap. Sigon. habet tantum *P. Decius devovit se.*—3 *In oppidum Cales* edd. ante Sigon. Mox 'IV. Mss. *coloniæ deductæ sunt*, male, (v. Drak.) nisi potius verba *colonia deducta est* delenda sunt.' *Rupert.*—4 *Est* del. Gron. Doujat. Crev. et inf. post *constituta* del. eæd.—5 *Q. Publio, qui eos obsed. primum imper. prolatum, et per consules ei decr. triumphus* edd. ante Sigon. Apud Stroth. et Doer. legitur *P. Publilio.*—6 *C. Publio* edd. ante Sigon.—

NOTÆ

[c] *Colonia deducta est*] Hæc dele cum Gron. tanquam ab interprete addita.

Digitized by Google

Fabius magister equitum, occasione rei bene gerendæ invitatus, contra edictum ejus prospere adversus Samnites pugnavit.[7] Ob eam causam cum dictator de magistro equitum supplicium sumturus videretur, Fabius Romam profugit: et, cum causa parum proficeret, populi precibus donatus est. Res præterea contra Samnites prospere gestas continet.

7 *Contra edict. ejus prœliatus est, qui prospere adversus Samnites pugnavit* edd. ante Sigon.

LIB. IX.

T. Veturius et Sp. Postumius apud Caudinas Furcas, deducto in locum arctum[8 a] exercitu, cum nulla spes evadendi esset, fœdere cum Samnitibus facto, et sexcentis equitibus Romanis obsidibus datis, ita exercitum abduxerunt, ut omnes sub jugum mitterentur. Iidemque, auctore Sp. Postumio consule, (qui in senatu suaserat, ut eorum deditione, quorum culpa tam deforme fœdus ictum erat, publica fides liberaretur,) cum duobus tribunis plebis, et omnibus, qui fœdus[9] spoponderant, dediti Samnitibus, non sunt recepti. Nec multo post, fusis a Papirio Cursore Samnitibus et sub jugum missis, receptisque sexcentis equitibus Romanis, qui obsides dati erant, pudor prioris flagitii abolitus est.[10] Tribus duæ adjectæ sunt, Ufentina et Falerina. Suessa et Pontiæ coloniæ deductæ sunt.[11] Ap. Claudius censor aquam[12] perduxit: viam stravit, quæ Appia vocata est: libertinorum filios in senatum[13] legit.

8 Habet Doujat. ut plerique Mss. *in locum iniquum;* non improbante Duk.—9 *Qui per fœdus* edd. ante Sigon. et inf. *nec etiam multo post.*—10 *Est* del. Gron. Doujat. Crev.—11 In Doujat. ed. prim. desunt omnia verba *Ufentina et Falerina. Suessa et Pontiæ coloniæ deductæ sunt.* Gron. Crev. et Doujat. ed. secund. habent *Pontia.*—12 Add. *Claudiam* Gron. Doujat. Crev.—

NOTÆ

[a] *Deducto in locum arctum* [*iniquum*] Nihil abludente sententia. *exercitu*] Cod. Barb. *in locum arctum.*

Digitized by Google

Ideoque, quoniam is ordo videbatur inquinatus indignis, sequentis anni consules in senatu legendo observaverunt, quemadmodum ante per proximos censores observatum fuerat. Res præterea contra Apulos, Etruscos, Umbros, Marsos, Pelignos, Æquos et Samnites, quibus fœdus erat restitutum, prospere gestas continet. Flavius scriba, libertino patre natus, ædilis curulis fuit per forensem factionem creatus; quæ cum comitia et campum turbaret, et in iis propter nimias vires dominaretur, a Q. Fabio censore in quatuor tribus redacta est, quas urbanas appellavit.[14 b] Eaque res Fabio Maximo nomen dedit. In hoc libro mentio Alexandri Magni, qui temporibus his fuit; et, æstimatis populi Romani viribus, quæ tunc erant, colligitur,[15] si Alexander in Italiam trajecisset, non tam facilem ei victoriam de populo Romano fore, quam de iis gentibus, quas ad Orientem imperio suo subjecerat.

13 *In senatu* edd. ante Sigon.—14 In edd. ante Gron. desunt verba *quas urbanas appellavit.* Mox habet vet. lib. apud Sigon. *Maximi.*—15 *Colligit* Gron. Doujat. Crev.

NOTÆ

[b] *Quas urbanas appellavit*] Hæc a Gronovio adjecta ex Ms. auctiore.

LIB. X.

Coloniæ deductæ sunt Sora, et Alba, et Carseoli. Marsi in deditionem accepti sunt.[16] Collegium augurum ampliatum est, ut essent novem, cum antea quaterni fuissent. Lex de provocatione ad populum a Valerio consule tunc tertium[17] lata est. Duæ tribus adjectæ sunt, Aniensis et Terentina.[18] Samnitibus bellum indictum, et adversus eos sæpe prospere pugnatum est. Cum adversus Etruscos, Umbros, Samnites, Gallos, P. Decio et Q. Fabio ducibus,[19] pugnaretur, Romanusque exercitus in maximo esset dis-

16 *Ac Alba. Carseoli Marsi* Gron. Doujat. *ac Alba, Carseoli. Marsi* Crev. et *sunt* post *accepti* del. Gron. Doujat. Crev.—17 *Tunc primum* edd. ante Sigon.—18 *Terentiana* edd. ante Sigon. Mox *est* post *pugnatum* del. Gron. Doujat. Crev.—19 Vet. lib. apud Sigon. *Q. Fabio consulibus ducibus.*—

Digitized by Google

crimine, P. Decius, secutus exemplum patris, devovit se pro exercitu, et morte sua victoriam ejus pugnæ populo Romano dedit. Papirius Cursor Samnitium exercitum, qui jurejurando obstrictus, quo majore constantia virtutis pugnaret, in aciem descenderat,[20] fudit. Census actus est. Lustrum conditum. Censa sunt civium capita ducenta sexaginta duo millia et trecenta viginti duo.[1]

20 *Astrictus fuerat, quo maj. const. virtutis in aciem descenderet* edd. ante Sigon.—1 'Ex Mss. leg. *c. d. septuaginta duo m. et t. viginti.* Numerus ab Aldo mutatus ex Liv. x. 47.' *Rupert.*

LIB. XI.

Cum Fabius Gurges consul male adversus[2] Samnites pugnasset, et senatus de removendo eo ab exercitu ageret, Fabius Maximus pater, deprecatus hanc filii[3] ignominiam, eo maxime senatum movit, quod iterum se filio legatum pollicitus est, idque præstitit. Ejus[4] consiliis et opera filius consul adjutus, cæsis Samnitibus, triumphavit. C. Pontium, imperatorem Samnitium, ductum in triumpho securi percussit. Cum civitas pestilentia laboraret, missi legati,[5] ut Æsculapii signum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui se in navem eorum contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportavere: eoque in insulam Tiberis egresso, eodem loco ædes[6] Æsculapio consecrata est. L. Postumius consularis, quoniam, cum exercitui præesset, opera militum in agro suo usus erat, damnatus est. Cum Samnitibus pacem petentibus fœdus quarto renovatum est. Curius Dentatus consul, Samnitibus cæsis, et Sabinis, qui rebellaverant, victis, et in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphavit. Coloniæ deductæ sunt, Castrum, Sena, Hadria. Triumviri capita-

2 *Adversum* Gron. Donjat. Crev.—3 *Sibi* pro *filii* habent eæd.—4 *Præstitit. Atque ejus* Crev. *Præstitit, atque ejus* Doujat.—5 *Missis legatis* Gron. Doujat. Crev.—6 *Sedes* eæd. Mox *Æsculapio constituta est* Doujat. Crev.

Digitized by Google

les tunc primum creati sunt. Censu acto, lustrum conditum est.[7] Censa sunt civium capita ducenta septuaginta duo millia. Plebs propter æs alienum, post graves [8] et longas seditiones, ad ultimum secessit in Janiculum, unde a Q. Hortensio dictatore deducta est,[9] isque in ipso magistratu decessit. Res præterea contra Volsinienses gestas continet: item adversus Lucanos, contra quos auxilium Thurinis [10] ferre placuerat.

Æsculapti constituta est edd. ante Sigon.—7 *Census actus est; lustrum conditum* Donjat. Crev. Mox *tria* pro *duo* habent eæd. cum Gron.—8 *Et graves* edd. ante Sigon.—9 Conj. J. F. Gron. *reducta est.*—10 *Tyrrhenis* olim legebatur.

LIB. XII.

Cum legati Romanorum a Gallis Senonibus interfecti essent, bello ob id Gallis indicto, L. Cæcilius prætor [a] cum legionibus ab iis cæsus est. Cum a Tarentinis classis Romana direpta esset, duumviro, qui præerat [11] classi, occiso,[b] legati, ad eos a senatu, ut de iis injuriis querentur, missi, pulsati sunt. Ob id bellum iis indictum est. Samnites defecerunt. Adversus eos, et Lucanos, et Bruttios,[12] et Etruscos aliquot prœliis a compluribus ducibus bene pugnatum est. Pyrrhus Epirotarum rex, ut auxilium ferret Tarentinis, in Italiam venit. Cum in præsidium Rheginorum [13] legio Campana cum præfecto Decio Jubellio missa esset, occisis Rheginis, Rhegium occupavit.

11 *Duce, qui præerat* edd. ante Sigon.—12 *Brutios* Donjat.—13 Duo Mss. teste Rupert. *Reginorum.*

NOTÆ

[a] *L. Cæcilius prætor*] In ejus occisi locum suffectum fuisse M. Curium testatur Polybius.

[b] *Duumviro, qui præerat classi, occiso*] Veteres libri, teste Sigon. habent *duumviro qui præerat classi*, notatque duumviros navales creari cœptos A. U. C. 440.

Digitized by Google

LIB. XIII.

Valerius Lævinus[14] consul parum prospere adversus Pyrrhum pugnavit, elephantorum maxime inusitata facie territis militibus. Post id[15] prælium cum corpora Romanorum, qui in acie ceciderant, Pyrrhus inspiceret, omnia versa in hostem invenit, populabundusque ad urbem Romam processit. C. Fabricius, missus ad eum a senatu,[16] ut de redimendis captivis ageret, frustra, ut patriam desereret, a rege tentatus est. Captivi sine pretio remissi sunt. Cineas, legatus a Pyrrho ad senatum missus, petiit, ut componendæ pacis causa rex in Urbem reciperetur. De qua re cum ad frequentiorem senatum referri placuisset, Ap. Claudius, qui propter valetudinem[17] oculorum jam diu consiliis publicis se abstinuerat,[18] venit in curiam, et sententia sua tenuit, ut id Pyrrho negaretur. Cn. Domitius[19] censor primus ex plebe lustrum condidit.[c] Censa sunt civium capita ducenta septuaginta octo millia, ducenta viginti duo. Iterum adversus Pyrrhum dubio eventu pugnatum est. Cum Carthaginiensibus quartum[20] fœdus renovatum[d] est. Cum C. Fabricio consuli is, qui ad eum a Pyrrho transfugerat,[e] polliceretur, se regi venenum daturum, cum indicio ad regem remissus est. Res præterea contra Etruscos, Lucanos, Bruttios, et Samnites prospere gestas continet.

14 *Levinus* edd. ante Sigon. Mox *invisitata* pro *inusitata* conj. Rupert.—15 *Id* del. Gron.—16 Verba *a senatu* desunt in edd. ante Sigon. et in Doujat.—17 *Invalitudinem* Doujat. Crev.—18 *A consiliis publicis abstinuerat* Doujat. cum edd. ante Sigon.—19 *P. Domitius* edd. ante Sigon.—20 *Quarto* Gron. Doujat. Crev.

NOTÆ

[c] *Cn. Domitius censor primus ex plebe lustrum condidit*] Non fuit primus ex plebe censor Cn. Domitius (sic enim vett. libb. vocant) etenim C. Martius Rutilus, auctore Livio, primus ex plebe censor fuerat. Sed Domitius primus e plebe lustrum condidit.

[d] *Cum Carthaginiensibus quartum fœdus renovatum*] Adversus Pyrrhum, ut Polyb. III. testatur.

[e] *Is, qui ad eum a Pyrrho transfugerat*] Hunc Timocharem Ambraciensem vocat Valerius Antius: Quadrigarius autem Niciam apud Gell. l. III. c. 8. quem vide.

Digitized by Google

LIB. XIV.

Pyrrhus in Siciliam trajecit. Cum inter alia prodigia fulmine dejectum esset in Capitolio Jovis signum, caput ejus per haruspices inventum est. Curius Dentatus, cum delectum haberet, ejus, qui citatus non responderat, bona primus [1] vendidit.[a] Pyrrhum iterum [2] ex Sicilia in Italiam reversum vicit, et Italia expulit. Fabricius censor P. Cornelium Rufinum consularem senatu movit, quod is decem pondo argenti [3] facti haberet. Lustro a censoribus condito, censa sunt capita civium ducenta septuaginta unum millia,[4] ducenta viginti quatuor. Cum Ptolemæo Ægypti rege societas juncta est. Sextilia virgo Vestalis, damnata incesti, viva defossa est. Coloniæ deductæ sunt Posidonia et Cosa.[5][b] Carthaginiensium classis auxilio Tarentinis[6] venit. Quo facto ab iis fœdus violatum est. Res præterea contra Lucanos, Samnites, et Bruttios feliciter gestas, et Pyrrhi regis [7] mortem continet.

1 Abest ab edd. ante Sigon. τὸ *primus*.—2 Vet. lib. apud Sigon. prob. *Iterum Pyrrhum*.—3 *Argenti pondo* Gron. Doujat. Crev.—4 Legendum putat Sigon. *ducenta octoginta unum millia*.—5 *Cossa* Gron. Doujat. Crev. Antea *Consa* legebatur ab aliis.—6 *Mamertinis* Doujat. cum edd. ante Sigon.—7 Deerat olim τὸ *regis*.

NOTÆ

[a] *Ejus, qui citatus non responderat, bona primus vendidit*] Val. l. VI. c. 30. non tantum bona, sed et ipsum, qui citatus erat, veniisse a Curio scribit.

[b] *Posidonia et Cosa* [*Consa*] Posidonia est Pæstum in Lucania. At pro *Consa* legendum *Cossa* ex Vell. quæ urbs fuit Etruriæ, ex cujus ruinis crevit Ansedonia: fuit in ora Senensis agri prope ostia Pescim.

LIB. XV.

Victis Tarentinis pax et libertas data est. Legio Campana, quæ Rhegium occupaverat, obsessa, deditione facta, securi percussa est. Cum legatos Apolloniatium ad senatum missos quidam juvenes pulsassent, dediti sunt Apol-

Digitized by Google

loniatibus. Picentibus victis pax data est.[8] Coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio. Tunc primum populus Romanus argento uti cœpit. Umbri et Sallentini[9] victi in deditionem accepti sunt. Quæstorum numerus ampliatus est,[c] ut essent octo.[10]

8 *Est* del. Gron. Doujat. Crev.—9 *Salentini* Doujat.—10 Desideratur in edd. ante Sigon. numerus *octo*.

NOTÆ

[c] *Quæstorum numerus ampliatus est*] Ut octo essent, quod colligitur ex Tacito lib. II. Annal. ubi vide Lipsium.

LIB. XVI.

Origo Carthaginiensium et primordia urbis eorum[11] referuntur; contra quos et Hieronem regem Syracusanorum auxilium Mamertinis ferendum censuit senatus, cum de ea re inter suadentes, ut id fieret, dissuadentesque contentio fuisset. Transgressis[12] tum primum mare equitibus Romanis, adversus Hieronem sæpius bene pugnatum. Petenti pax data est. Lustrum a censoribus conditum est.[13] Censa sunt civium capita ducenta octoginta[14] duo millia, ducenta triginta quatuor. D. Junius Brutus[15] munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidit primus. Colonia Æsernia[16] deducta est. Res præterea contra Pœnos et Vulsinios[17] prospere gestas continet.

11 *Eorum* del. Gron. Doujat. Crev.—12 *Fuisset*, *transgressisque* Gron. Crev.—13 *Est* del. Gron. Doujat. Crev.—14 *Septuaginta* edd. ante Sigon. et *nonaginta* Gron. Doujat. Crev. et mox habent eædd. *viginti* pro *triginta*.—15 *M. et D. Junius Brutus* legendum putat Duk.—16 *Esernia* Doujat. cum edd. ante Sigon.—17 *Volscos* Doujat. cum edd. ante Sigon.

LIB. XVII.

Cn. Cornelius[18] consul, a classe Punica circumventus et per fraudem velut in colloquium evocatus, captus est. C.

Digitized by Google

Duilius consul adversus classem Pœnorum prospere pugnavit, primusque omnium Romanorum ducum navalis victoriæ duxit triumphum. Ob quam causam ei perpetuus honos habitus est, ut revertenti a cœna, tibicine canente, funale præferretur.[19] L. Cornelius consul in Sardinia et Corsica contra Sardos et Corsos et Hannonem Pœnorum ducem feliciter pugnavit. Atilius Calatinus consul, cum in locum iniquum, a Pœnis circumsessum, temere duxisset exercitum, M. Calpurnii tribuni militum [d] virtute et opera evasit; qui, cum trecentis militibus eruptione facta, hostes in se converterat.[20] Hannibal dux Pœnorum victa classe, cui præfuerat, a militibus suis in crucem sublatus est. Atilius Regulus consul, victis navali prælio Pœnis, in Africam trajecit.[1]

18 *Marcum Cornelium* vocat App. in Lib.—19 *Tibicines canerent, et fun. præf.* Doujat. cum edd. ante Sigon.—20 *Convertit* Doujat.—1 Omnia verba post *sublatus est* referunt Gron. et Crev. ad Epit. XVIII. pr.

NOTÆ

[d] *M. Calpurnii tribuni militum*] Livius Calpurnium Flammam nominat lib. XXI. Cato Q. Cæditium, alii Laberium appellarunt ex Gell. III. 7.

LIB. XVIII.

Atilius Regulus [2] in Africa serpentem portentosæ magnitudinis cum magna [3] militum clade occidit, et, cum aliquot prœliis bene adversus Carthaginienses [4] pugnasset, successorque ei a senatu prospere bellum gerenti non mitteretur, id ipsum per literas ad senatum missas questus est.[5] In quibus inter causas petendi successoris erat, quod agellus ejus a mercenariis desertus esset.[6] Quærente deinde fortuna, ut magnum utriusque casus exemplum in Regulo proderetur, arcessito a Carthaginiensibus Xan-

2 *Cos.* add. Doujat. *Atilius Regulus cos. ... trajecit.* (vid. ad Epit. XVII.) *et ibi serpentem* Gron. Crev.—3 *Maxima* Douj. Crev.—4 *Prœliis adversum Carthaginenses* Doujat. *Adversum* etiam habent Gron. Crev—5 *Conquestus est* Doujat. Crev. Mox *erat* del. Gron.—6 *A mercenariis devastaretur* add. ante Si-

Digitized by Google

thippo Lacedæmoniorum duce, victus prælio et captus est. Res deinde a ducibus Romanis omnibus terra marique prospere gestas deformaverunt naufragia classium. Ti. Coruncanius[7] primus ex plebe pontifex maximus creatus est. P. Sempronius Sophus,[8] M'. Valerius Maximus censores, cum senatum legerent, tredecim senatu moverunt. Lustrum condiderunt, quo censa sunt civium capita ducenta nonaginta septem millia, septingenta nonaginta septem.[9] Regulus missus a Carthaginiensibus ad senatum, ut de pace, et, si eam non posset impetrare,[10] de captivis commutandis ageret, et jurejurando astrictus, rediturum[11] se Carthaginem, si commutari captivos non placuisset; utrumque negandi auctor senatui fuit: et, cum fide custodita reversus esset, supplicio a Carthaginiensibus de eo sumto, periit.

gon. *Esset desertus* Doujat. Crev.—7 *T. Coruncanus* edd. ante Sigon. Mox *est* del. Gron.—8 *Sophus* del. Doujat. *M. Semp. Soph. Valer. Max.* edd. ante Sigon.—9 Capita *CCCXVI. millia CCXVII.* edd. ante Sigon.—10 *Et si ea minime impetraret* edd. ante Sigon.—11 *Jurejurando astrictus est red.* deleto *et*, Gron. Doujat.

LIB. XIX.

Cæcilius Metellus, rebus adversus Pœnos prospere gestis, speciosum[12] egit triumphum, tredecim ducibus hostium et centum viginti elephantis in eo ductis. Claudius Pulcher consul, contra auspicia profectus, jussis mergi pullis,[13] qui cibari nolebant, infeliciter adversus Carthaginienses classe pugnavit; et, revocatus a senatu, jussusque dictatorem dicere, Claudium Gliciam[14 a] dixit, sortis ultimæ hominem: qui, coactus abdicare se magistratu, postea

12 *Speciosissimum* Gron. Doujat. Crev.—13 *Qui contra aus. prof. jussit immergi pullos* Doujat. *Immergi* habent etiam Gron. Crev.—14 *C. Glauciam*

NOTÆ

[a] *Claudium Gliciam* [*C. Glauciam*]. Lege *Cl. Glician* ex Capitolinis marmoribus.

Digitized by Google

ludos prætextatus spectavit. Atilius Calatinus primus dictator extra Italiam exercitum duxit. Cum Pœnis captivorum commutatio facta est. Coloniæ deductæ sunt Fregenæ,[15 b] in agro Sallentino Brundisium. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta unum millia, ducenta viginti duo. Claudia, soror P. Claudii, qui, contemtis auspiciis, male pugnaverat, a ludis revertens,[16] cum turba premeretur, dixit, 'Utinam frater meus viveret, iterumque classem duceret;' ob eam causam mulcta ei dicta est.[17] Duo prætores tum primum creati sunt. Cæcilius Metellus pontifex maximus A. Postumium consulem, quoniam idem et flamen Martialis erat, cum is ad bellum gerendum proficisci vellet, in Urbe tenuit, nec passus est a sacris recedere. Rebus adversus Pœnos a pluribus ducibus prospere gestis,[18] summam victoriæ C. Lutatius consul, victa ad Ægates insulas classe Pœnorum, imposuit. Petentibus Carthaginiensibus pax data est. Cum templum Vestæ arderet, Cæcilius Metellus pontifex maximus ex incendio sacra rapuit. Duæ tribus adjectæ sunt, Velina et Quirina.[19] Falisci cum rebellassent, sexto die perdomiti, in deditionem venerunt.

Doujat. cum edd. ante Sigon.—15 *Fregellæ* Doujat. *Fregena* Gron.—16 *Divertens* edd. ante Sigon. Sup. prænomen *P.* omittitur in Doujat.—17 *Mulctata est* edd. ante Sigon.—18 *Pœnos prospere pluribus gestis* Doujat. *Pœnos pluribus ducibus gestis* edd. ante Sigon.—19 *Exquilina* al. *Sapinia* conj. Gruch. de Comit. II. 1.

NOTÆ

[b] *Coloniæ deductæ sunt Fregenæ* [*Fregellæ*] Sigon. ex veteri libro legit Fregenas, quod Fregellas colonia deducta esset A. U. C. 327. Fregenarum autem maritimæ coloniæ meminit Livius lib. XXXI. Sita fuit inter Alsium, et Ostia Tiberina in Etruriæ Latiique confinio, ad ortum oppidi maritimi, quod hodie *Palo*.

LIB. XX.

Spoletium[1] colonia deducta est. Adversus Ligures tunc

1 *Spoletum* Gron. Crev. *Ppoletium* edd. ante Sigon. Mox *est* del. Gron.—

Digitized by Google

primum exercitus promotus est. Sardi et Corsi, cum rebellassent, subacti sunt. Tuccia[2] virgo Vestalis incesti damnata est. Bellum Illyriis, propter unum ex legatis, qui ad eos missi erant, occisum, indictum est: subactique in deditionem venerunt. Prætorum numerus ampliatus est, ut essent quatuor. Galli Transalpini, qui in Italiam irruperant,[3] cæsi sunt. Eo bello populus Romanus sui Latinique nominis[4] trecenta millia armatorum habuisse[c] dicitur. Exercitibus Romanis tum primum trans Padum ductis, Galli Insubres, aliquot prœliis fusi, in deditionem venerunt. M. Claudius Marcellus consul, occiso Insubrium Gallorum duce Virdomaro,[5][d] opima spolia retulit. Istri subacti sunt. Item Illyrii, cum rebellassent, domiti in deditionem venerunt. Lustrum a censoribus conditum est, quo censa sunt civium capita ducenta septuaginta millia, ducenta tredecim. Libertini in quatuor tribus redacti sunt, cum antea dispersi per omnes[6] fuissent; Esquilinam, Palatinam, Suburranam, Collinam. C. Flaminius censor viam Flaminiam munivit,[7] et circum Flaminium exstruxit. Coloniæ deductæ in agro de Gallis capto, Placentia et Cremona.[8]

2 In Mss. et edd. antt. *Lucia*, *Luceia*, *Tutia*, *Tucia*.—3 *Eruperant* edd. ante Sigon.—4 *Sociorum Latinique nominis* edd. ante Sigon. apud quem vet. lib. habet *ad trecenta millia*.—5 *Viridomaro* Gron. Doujat. Crev. et Lapis Capitolin. *Virdumaro*. Mox *iterum* pro *item* legebatur ante Sigon.—6 Absunt verba *per omnes* ab ed. Doujat. et edd. ante Sigon.—7 Ante Sigon. edebatur *Suburranam Collinam* * *munivit*, *&c.*—8 Gronovio videntur duo vocabula sequentis Epit. *in Italia* (ut apud al. legitur) ad hanc revocanda, et addenda post *Cremona*.

NOTÆ

[c] *Trecenta millia armatorum habuisse*] Notat Sigon. eandem summam colligi ex Polybii II. ubi quot pedites, quot equites socii quique dederint, exponit: in ipsa tamen summa errorem intervenisse; ait enim pedites omnino ultra quindecim myriades, cum legendum sit quinquaginta, et equites sexies mille, cum fuerint sexaginta millia.

[d] *Duce Virdomaro*] *Virdumarum* vocant non tantum Propertius, qui metri causa breviare potuit, sed lapides quoque Capitolini.

Digitized by Google

LIB. XXI.

In Italiam belli Punici secundi ortus narratur,[9] et Hannibalis Pœnorum ducis contra fœdus per Iberum amnem transitus, a quo Saguntum, sociorum populi Romani civitas, obsessa[10] octavo mense capta est. De quibus injuriis missi legati ad Carthaginienses, qui quererentur. Cum satisfacere nollent, bellum iis indictum est. Hannibal, superato Pyreneeo[11] saltu, per Gallias, fusis Volscis, qui obsistere conati erant, ad Alpes venit; et laborioso per eas transitu (cum montanos quoque Gallos obvios aliquot prœliis repulisset) descendit in Italiam, et ad Ticinum amnem Romanos equestri prœlio fudit: in quo vulneratum P. Cornelium Scipionem protexit filius, qui Africani postea nomen accepit. Iterumque exercitu Romano ad flumen Trebiam fuso, Hannibal Apenninum quoque, per magnam[12] militum vexationem propter vim tempestatum, transiit. Cn. Cornelius Scipio in Hispania contra Pœnos prospere pugnavit, duce hostium Magone capto.

9 *In Italia .... acta narrantur* Doujat. ' *In Italia* Ms. Boend. et ed. Mogunt. prob. Gron. si duo hæc vocab. ad finem Epit. præc. revocentur.' *Rupert.*—10 *Obsessa* del. Gron. Doujat. Crev.—11 *Pyreneo* edd. ante Sigon. Mox deerat olim verbum *Volscis.*—12 *Maximam* Gron. Doujat. Crev.

NOTÆ

[a] *In Italiam belli Punici secundi ortus narratur* [*In Italia b. P. s. acta narrantur*] Non video, cur Gronovio probandum magis videatur, quod ait in Barberino codice scriptum esse, *ortus narratur*; et quod in editionibus quibusdam legitur *in Italiam belli P. a. n.* Nam neque ortum est in Italia hoc bellum, sed in Hispania: et licet ab Hannibale translatum in Italiam sit bellum, et contra Italiam suscepta expeditio; non tamen facile cuiquam probabitur, opinor, *belli in Italiam ortus.* Certe quod bellum Punicum secundum totis decem libris, non hoc solo describitur, nihil ad rem. Quinimmo vel hoc ipso retinenda lectio vulgata, ut hæc ejus belli pars a reliquis distinguatur: quandoquidem hoc libro agitur de bello intra Italiam tantum gesto; sequentes bellum præterea continent in Hispania, Sicilia, Africa, Sardinia gestum.

Digitized by Google

LIB. XXII.

Hannibal, per continuas vigilias in paludibus oculo amisso, venit in Etruriam; per quas paludes quatriduo et tribus noctibus sine ulla requie iter fecit. C. Flaminius consul, homo temerarius, contra auspicia profectus, signis militaribus effossis, quæ tolli non poterant, et ab equo, quem conscenderat, per caput devolutus, insidiis ab Hannibale circumventus, ad Trasimenum lacum cum exercitu cæsus est. Sex millia, quæ eruperant, fide ab Maharbale data, perfidia Hannibalis vincta sunt. Cum ad nuntium cladis Romæ luctus esset, duæ matres, ex[13] insperato receptis filiis, gaudio mortuæ sunt. Ob hanc cladem ex Sibyllinis libris ver sacrum votum. Cum deinde Q. Fabius Maximus dictator, adversus Hannibalem missus, nollet acie cum eo confligere, ne, contra ferocem tot victoriis hostem, territum adversis prælliis militem pugnæ committeret, et, opponendo se tantummodo, conatus Hannibalis impediret; M. Minucius magister equitum, ferox et temerarius, criminando dictatorem tanquam segnem et timidum, effecit, ut populi jussu æquaretur ei cum dictatore imperium;[14] divisoque exercitu, cum iniquo loco conflixisset, et in maximo discrimine legiones ejus essent, superveniente cum exercitu Fabio Maximo discrimine liberatus est. Quo beneficio victus castra cum eo junxit, et patrem eum salutavit; idemque facere milites jussit.[15] Hannibal, vastata Campania, inter Casilinum oppidum et Calliculam montem a Fabio clausus, sarmentis ad cornua boum alligatis[16] et incensis, præsidium Romanorum, quod Calliculam insidebat, fugavit, et sic transgressus est saltum: idemque Q.[17] Fabii Maximi dictatoris, cum circumposita ureret, agro pepercit, ut illum tanquam proditorem su-

13 *Ex* del. Gron. Doujat. Crev.—14 *Ei imperium cum dictatore æquaretur* eæd. Mox *in iniquo* Gron. Doujat.—15 *Idemque milites facere commilitonibus jussit* edd. ante Sigon.—16 *Ligatis* Gron. Doujat. Crev.—17 Q. del. eæd.

Digitized by Google

spectum faceret. Æmilio deinde Paullo et Terentio Varrone consulibus et ducibus, cum maxima clade adversus Hannibalem ad Cannas pugnatum est: cæsaque eo prælio Romanorum quadraginta quinque millia, cum Paullo consule et senatoribus octoginta, consularibus atque prætoriis aut ædilitiis triginta. Post quam cladem cum a nobilibus adolescentibus propter desperationem consilium de relinquenda Italia iniretur; P. Cornelius Scipio tribunus militum, qui postea Africanus nuncupatus est, stricto super capita deliberantium ferro, juravit, se pro hoste habiturum eum, qui in verba sua non jurasset; effecitque, ut omnes minime relictum iri[18] a se Italiam jurejurando astringerentur. Præterea trepidationem Urbis et luctum,[19] et res in Hispania meliore eventu gestas continet. Opimia et Floronia, Vestales virgines, incesti damnatæ sunt.[20] Propter paucitatem vero militum servorum octo millia armata sunt. Captivi, cum potestas esset redimendi, redemti non sunt. Varroni obviam itum est, et gratiæ actæ, quod de re publica non desperasset.

—18 Vet. lib. apud Sigon. *non relictum iri.*—19 *Lustrum* Crev.—20 *Sunt* del. Gron. Doujat. Crev.

LIB. XXIII.

Campani ad Hannibalem defecerunt. Nuntius Cannensis victoriæ Mago Carthaginem missus annulos aureos, a digitis occisorum Romanorum detractos, in vestibulo curiæ effudit: quos excessisse modii mensuram traditur. Post quem nuntium Hanno, vir[1] ex Pœnis nobilissimus, suadebat senatui Carthaginiensium, ut pacem a populo Romano peterent: nec tenuit, obstrepente Barcina factione. Claudius Marcellus, prætor, ad Nolam, eruptione adversus Hannibalem ex oppido facta, prospere pugnavit. Exercitus Hannibalis per hyberna Capuæ ita luxuriatus est, ut corporum viribus atque animorum enervaretur. Casilinum, a Pœnis obsessum, ita fame vexatum est, ut lora et pelles

Digitized by Google

scutis detractas, item mures, essent; et nucibus, per Vulturnum amnem a Romanis missis, vixerint. Senatus ex equestri ordine hominibus centum nonaginta septem suppletus est. L. Postumius prætor a Gallis cum exercitu cæsus est. Cn. et P. Scipiones in Hispania Hasdrubalem vicerunt, et Hispaniam suam fecerunt. Reliquiæ Cannensis exercitus in Siciliam relegatæ sunt; ne recederent inde, nisi finito bello. Inter Philippum Macedonum regem et Hannibalem societas juncta est. Sempronius Gracchus consul Campanos cecidit. Præterea in Sardinia feliciter a T. Manlio prætore adversus Pœnos Sardosque res gestas continet, a quo Hasdrubal dux et Mago et Hanno capti. Claudius Marcellus prætor[2] Hannibalis exercitum ad Nolam prælio fudit et vicit: primusque tot cladibus fessis Romanis meliorem spem belli dedit.[3]

1 *Vir* del. Gron. Doujat. Crev.—2 Potius *consul* judicat Rupert.—3 '*Inter Philippum . . . dedit.* Hæc verba in Mss. longe alio ordine leguntur, quem mutavit Aldus.' *Rupert.*

LIB. XXIV.

Hieronymus, Syracusanorum rex, cujus avus Hiero amicus populi Romani[4] fuerat, ad Carthaginienses defecit; et propter crudelitatem superbiamque a suis interfectus est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul prospere adversus Pœnos et Hannonem ducem ad Beneventum pugnavit, servorum maxime opera, quos liberos esse jussit. Claudius Marcellus consul in Sicilia, quæ prope tota ad Pœnos defecerat, Syracusas obsedit. Philippo Macedonum regi bellum indictum est; qui, ad Apolloniam nocturno prælio oppressus fugatusque, in Macedoniam cum prope inermi exercitu perfugit. Ad id bellum gerendum Valerius prætor missus est.[5] Res præterea in Hispania a P. et Cn. Scipionibus adversus Carthaginienses gestas continet. Syphax, rex Numidarum, in amicitiam ascitus, et a Masinissa, rege

Digitized by Google

Massylorum, pro Carthaginiensibus pugnante, victus,[6] in Maurusios cum magna manu transiit[7] contra Gades,[a] ubi angusto freto Africa et Hispania dirimuntur. Celtiberi quoque in amicitiam recepti sunt;[8] quorum auxiliis ascitis, tunc primum mercenarium militem Romana castra habuerunt.

[a] *Transit in Maurusiorum regionem obversam Gadibus.*

4 *Populo Romano* Gron. Doujat. Crev.—5 *Est* del. eæd.—6 *Ascitus contra Massanisam regem Masæsylorum pro Carthag. pugnans victus* edd. ante Sigon. *Massyliorum* habent Gron. Doujat. Crev.—7 *Maxima .... transit* Gron. Doujat. Crev.—8 *Sunt* del. eæd.

LIB. XXV.

P. Cornelius Scipio, postea Africanus, ante[9] annos ædilis factus est. Hannibal urbem Tarentum, præter arcem, in quam præsidium Romanorum fugerat,[10] per Tarentinos juvenes, qui se noctu venatum ire simulaverant, cepit. Ludi Apollinares ex Marcii carminibus, quibus Cannensis clades prædicta fuerat, instituti sunt. A Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus adversus Hannonem Pœnorum ducem prospere pugnatum est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul, ab hospite suo Lucano in insidias deductus, a Magone interfectus[11] est. Centenius Penula, qui centurio militaverat, cum petisset a senatu ut sibi exercitus daretur, pollicitusque esset, si hoc impetrasset, de Hannibale victoriam, octo millibus acceptis, militum dux factus, conflixit acie cum Hannibale, et cum exercitu cæsus est.[12] Cn. Fulvius prætor male adversus Hannibalem pugnavit. In quo prælio hominum sexdecim millia ceciderunt:[13] ipse cum equitibus ducentis effugit. Capua obsessa est a Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus. Claudius Marcellus Syracusas

9 Add. *legitimos* Crev. cum edd. antt.—10 *In quam præsidium Romanorum fugerat* del. Gron. Doujat.—11 *Interemtus* Gron. Doujat. Crev.—12 *Cum Hannibale, qui cum exercitu eum cecidit* edd. ante Sigon.—13 'Ita Aldus substituit ex Liv. XXV. 21. pro XX. *millia* quod in Mss. legitur.' *Rupert.*—14

Digitized by Google

expugnavit anno tertio, et ingentem se virum gessit. In eo tumultu urbis captæ Archimedes, intentus formis, quas in pulvere descripserat, interfectus est. P. et Cn. Scipiones in Hispania tot tantarumque rerum feliciter gestarum tristem exitum tulerunt; prope cum totis exercitibus cæsi anno octavo, quam in Hispaniam iverant. Amissaque ejus[14] provinciæ possessio foret, nisi L. Marcii equitis Romani virtute et industria, contractis exercituum reliquiis, ejusdem hortatu, bina castra hostium expugnata essent. Ad triginta septem millia cæsa, ad mille octingentos triginta capti, præda ingens parta.[15] Dux Marcius appellatus est.

Ejus del. Gron. Doujat. Crev.—15 *Ad triginta sept. millia cæsa ex mille octingentis. præda ingens capta* edd. ante Sigon. *Cæsi* in Gron. Doujat. Crev. legitur.

LIB. XXVI.

Hannibal ad tertium ab urbe Roma lapidem super Anienem castra posuit. Ipse vero cum duobus millibus equitum usque ad ipsam Capenam portam,[16] ut Urbis situm exploraret, obequitavit:[17] et cum per triduum in aciem utrimque exercitus omnis descendisset, certamen tempestas diremit; nam[18] cum in castra rediissent, statim serenitas erat. Capua capta est a Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus. Principes Campanorum veneno sibi consciverunt mortem. Cum senatus Campanorum deligatus esset ad palos, ut securi feriretur; literas a senatu missas[19] Q.

16 'Id factum dicit Val. Max. III. 7. 10. 'Capenam portam armis Hannibale pulsante.' Vix tamen credibile est, Pœnum præter castra Fulvii et Esquilinam portam pergere potuisse ad Capenam, nec id Livius concedit; adeo ut, si Epitomator quoque innuere voluerit, eum ab Aniene versus Romam propius accessisse, haud dubie etiam scripserit *Collinam portam*, ut Livius c. 10. Plin. XV. 20. et Serv. ad Virg. Æn. VIII. 110.' *Jac. Perizon.*— 17 *Adequitavit* conj. Drak. Mox mavult Rupert. cum Periz. *per biduum* ex Liv. c. 11.—18 'Τὸ *nam* minime h. l. convenit, et vel *at* aut simile quid legendum videtur, vel, quod Crev. suspicabatur, aliquid intercidit, quale reperimus ap. Liv. c. 11. 'In religionem ea res apud Pœnos versa est: nam,' &c.' *Rupert.*—19 'Ex Liv. c. 15. *literas a prætore missas* conj. Delrius. An

Digitized by Google

Fulvius consul, quibus jubebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit, et lege agi jussit, et supplicium peregit. Cum in comitiis apud populum quæreretur, cui mandaretur Hispaniarum imperium; nullo id volente suscipere, P. Scipio, P. filius, qui in Hispania ceciderat, professus est se iturum; et, suffragio populi consensuque omnium missus, Novam Carthaginem uno die expugnavit, cum ageret vigesimum quartum annum, videreturque divina stirpe creatus; quoniam et ipse, postquam [20] togam acceperat, quotidie in Capitolio erat, et in cubiculo matris ejus anguis sæpenumero videbatur. Res præterea in Sicilia gestas continet, et amicitiam cum Ætolis junctam, bellumque gestum adversus [1] Acarnanas et Philippum Macedoniæ regem.

leg. *literas cum SCto.*' Rupert.—20 *Posteaquam* Gron. Donjat. Crev.—1 *Adversum* eæd.

LIB. XXVII.

Cn. Fulvius proconsul cum exercitu ab Hannibale ad Herdoneam [2] cæsus est. Meliore eventu a Claudio Marcello consule adversus eundem ad Numistronem pugnatum est. Inde Hannibal noctu recessit. Marcellus insecutus est, et subinde cedentem pressit, donec confligeret.[3] Priore pugna Hannibal superior fuit, Marcellus insequenti. Fabius Maximus pater consul Tarentinos per proditionem recepit.[4] In Hispania ad Bæculam Scipio cum Hasdrubale Hamilcaris conflixit, et vicit. Inter alia captum puerum regalem eximiæ formæ ad avunculum Masinissam cum donis dimisit. Claudius Marcellus, T. Quintius Crispinus consules, speculandi causa progressi [5] e castris, insidiis ab Hannibale circumventi sunt. Marcellus occisus fuit, Crispinus fugit. Res præterea a P. Sulpicio prætore adversus Philippum et Achæos gestas continet. Lustrum a censoribus

2 Tà *ad Herdoneam* desunt in edd. ante Sigon.—3 *Effugeret* edd. ante Sigon.—4 *Pater consulis Tarentinos per deditionem accepit* legebatur ante Sigon.

Digitized by Google

conditum est: cæsa sunt civium capita centum triginta septem millia centum et octo: ex quo numero apparuit, quantum hominum tot præliorum adversa fortuna populo Romano abstulisset. Hasdrubal, qui cum exercitu novo transcenderat Alpes, ut se Hannibali conjungeret, cum millibus hominum quinquaginta sex cæsus est,[6] M. Livii consulis ductu, sed non minore opera Claudii Neronis consulis. Qui, cum Hannibali oppositus esset, relictis castris, ita ut hostem falleret, cum electa[7] manu profectus, Hasdrubalem circumvenit.

—5 *Egressi* Gron. Doujat. Crev.—6 Quidam Mss. teste Rupert. addunt *capta V millia et CCCC.*—7 *Ita ut inimicum falleret, electa* edd. ante Sigon. *Cum* etiam del. Gron. Doujat. *delecta* habet Ms. Boend. probb. Duk. Crev. et Drak.

LIB. XXVIII.

Res in Hispania prospere gestæ a Silano, Scipionis legato,[8] et ab L. Scipione fratre adversus Pœnos, a Sulpicio proconsule et ab Attalo rege Asiæ adversus Philippum regem Macedonum, pro Ætolis, referuntur. Cum M. Livio et Claudio Neroni consulibus triumphus decretus esset, Livius, qui in provincia sua rem gesserat, quadrigis invectus est; Nero, qui in collegæ provinciam, ut victoriam ejus adjuvaret, venerat, equo est secutus, et in hoc habitu[9] plus gloriæ reverentiæque habuit: nam et plus in bello, quam collega, fecerat. Ignis in æde Vestæ negligentia virginis, quæ non custodierat, extinctus est: virgo cæsa est flagro. P. Scipio in Hispania cum Pœnis debellavit quarto decimo anno[10] ejus belli, quinto post anno, quam ierat; exclusisque in totum possessione ejus hostibus, Hispaniam recepit. Et a Tarracone in Africam ad Syphacem regem Numida-

---

8 'Verba *Scipionis legato* post *Scipione fratre* ponenda esse, putabant Roëll. et Drak. cf. Liv. XXVIII. 28. extr.' *Rupert.*—9 Vet. lib. apud Sigon. *et in hoc actu.*—10 '*Cum Pœnis debellavit XIV. anno* omnes Mss. et edd. ante ultimam Gruteri. In *XV. anno* reposuit, sed Crev. *XIII. anno.*' Rupert.

Digitized by Google

rum [11] duobus navigiis transvectus, fœdus junxit. Hasdrubal Gisgonis ibi cum eo in eodem lecto cœnavit.[12] Munus gladiatorium in honorem patris patruique Carthagini Novæ[13] edidit, non ex gladiatoribus, sed ex iis, qui aut in honorem ducis, aut ex provocatione in certamen descendebant: in quo reguli fratres de regno ferro contenderunt. Cum Astapa urbs ab Romanis oppugnaretur, oppidani liberos et conjuges rogo exstructo occiderunt, et[14] se insuper præcipitaverunt. Ipse Scipio, dum gravi morbo implicitus est,[15] seditionem, in parte exercitus motam, confirmatus discussit, rebellantesque Hispaniæ populos coëgit in deditionem venire; et, amicitia facta[16] cum Masinissa rege Numidarum, qui illi auxilium, si in Africam trajecisset, pollicebatur, cum Gaditanis quoque post discessum inde Magonis, cui ex Carthagine scriptum erat, ut in Italiam trajiceret, Romam reversus consulque creatus. Africam provinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data est; permissumque, in Africam[17] trajiceret, si ex re publica esse censeret. Mago, Hamilcaris filius, a minore Baliari insula, ubi hyemarat, in Italiam trajecit.

Mox *anno quinto postquam ierat* Gron. Doujat. Crev.—11 'In 5 Mss. *regem Massiliorum:* unde *Massesylorum* emend. Delrius et Drak.' *Rupert.*—12 '*In eodem lecto cœnavit* ex 5 Mss. et edd. antt. recepi. Aldus dedit *accubavit*, et Curio *accubuit*, quod plerique ediderunt. [ut Gron. Doujat. Crev. Kreyssig. &c.]' *Rupert.*—13 '*Carthagini nova* omnes fere Mss. et edd. ante Sigon. et Gron. qum substituerunt *Carthagine nova*. Forte leg. *Carthagini nova.*' Drak. Mox '*Astapa* Mogunt. edidere ex Liv. XXVIII. 22. In Mss. et edd. antt. *Oisiana, Gigia, Gisia, Gythia, Gytthia.*' Rupert.—14 *Et* del. edd. antt.—15 *Esset* Gron. Doujat. Crev.—16 *Est* add. Gron. Doujat.—17 *Ut in Africam* Crev.

LIB. XXIX.

Ex Sicilia C. Lælius in Africam a Scipione missus ingentem prædam reportavit, et mandata Masinissæ Scipioni exposuit, conquerentis, quod nondum[18] exercitum in Africam trajecisset. Bellum in Hispania finitum, victore Ro-

18 *Non* pro *nondum* legebatur ante Sigon. Supra *exponit* pro *exposuit*

Digitized by Google

mano, quod Indibilis excitaverat; ipse in acie occisus, Mandonius exposcentibus Romanis a suis deditus est. Magoni, qui in Gallia et Liguribus erat,[19 a] ex Africa et militum ampla manus missa, et pecuniæ, quibus auxilia conduceret; præceptumque, ut se Hannibali jungeret. Scipio a Syracusis in Bruttios trajecit, et Locros, pulso Punico præsidio fugatoque Hannibale, recepit. Pax cum Philippo facta est. Idæa mater deportata est Romam a Pessinunte oppido Phrygiæ, carmine in libris Sibyllinis invento, 'pelli Italia alienigenam hostem posse, si mater Idæa deportata Romam esset.' Tradita autem est Romanis per Attalum regem Asiæ. Lapis erat, quem matrem Deum incolæ dicebant. Excepit[b] P. Scipio Nasica, Cn. filius, ejus, qui in Hispania perierat, vir optimus a senatu judicatus, adolescens nondum quæstorius,[c] quoniam ita responsum jubebat:[20] 'ut numen id ab optimo viro reciperetur consecrareturque.' Locrenses legatos Romam miserunt, qui de impotentia Q. Pleminii legati quererentur, quod pecuniam Proserpinæ abstulerat, et liberos eorum ac conjuges stupraverat. Pleminius, in catenis Romam perductus, in carcere mortuus est. Cum falsus rumor de P. Scipione proconsule, qui in Sicilia erat, in Urbem perlatus esset, tanquam is luxuriaretur; missis ob hoc legatis a senatu, qui explorarent, an ea vera essent, purgatus infamia Scipio in Africam trajecit, senatus permissu. Syphax, accepta in matrimonium filia Hasdrubalis Gisgonis, amicitiæ, quam cum Scipione ipse junxerat, renuntiavit. Masinissa, rex Massyliorum,[1 d] dum pro Carthaginiensibus in His-

legitur in Gron. Doujat.—19 *In Galliam et Liguriam ierat* edd. ante Sigon.—20 *Habebat* Gron. Doujat. Crev.—1 *Massæsulorum* edd. ante Sigon. Mox

NOTÆ

[a] *Qui in Gallia et Liguribus erat*] Vulgo *qui in Galliam et Liguriam ierat*.

[b] *Excepit*] Cybeles nimirum statuam domi suæ.

[c] *Nondum quæstorius*] Significat opinor Nasicam nondum fuisse ejus ætatis, qua per leges quæsturam gerere posset; id est, annorum 27.

[d] *Masinissa, rex Massyliorum*] Alias *Massæsulorum*; male: horum enim rex Syphax erat.

Digitized by Google

pania militat, amisso patre Gala, de regno exciderat. Quo per bellum sæpe repetito, aliquot prœliis a Syphace rege Numidarum victus, in totum privatus est: et cum ducentis equitibus exul Scipioni se junxit; et cum eo primo statim bello Hannonem Hamilcaris filium cum ampla manu interemit. Scipio, adventu Hasdrubalis et Syphacis, qui prope cum centum millibus armatorum venerant, ab obsidione Uticæ depulsus, hyberna communivit. Sempronius consul in agro Crotoniensi prospere adversus Hannibalem pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quatuordecim[2] millia. Inter censores, M. Livium et Claudium Neronem, notabilis discordia fuit. Nam et Claudius Livio collegæ equum ademit, quod a populo damnatus actusque in exilium fuerat; et Livius Claudio, quod falsum in se testimonium dixisset, et quod non[3] bona fide secum in gratiam redisset. Idem omnes tribus, extra unam, ærarias reliquit, quod et innocentem se damnassent, et postea consulem censoremque fecissent.

ead. habent *pro Carthagine*.—2 *Quindecim* Gron. Donjat. Crev. In vet. lib. apud Sigon. legitur *sexaginta quinque*.—3 *Minime* pro *non* Gron. Donjat. Crev.

LIB. XXX.

In Africa Scipio Carthaginienses et eundem Syphacem Numidarum regem Hasdrubalemque pluribus prœliis vicit, adjuvante Masinissa, binaque hostium castra expugnavit; in quibus quadraginta millia hominum ferro ignique consumta sunt. Syphacem per C. Lælium et Masinissam cepit. Masinissa Sophonisbam, uxorem Syphacis, filiam Hasdrubalis, captam statim adamavit,[4] et, nuptiis factis, uxorem habuit. Castigatus[5] a Scipione venenum ei misit: quo hausto illa decessit. Effectumque est multis Scipionis vic-

4 *Adamat* Gronov. Donjat.—5 *Castigatusque* Gronov. Donjat. Crev. Mox

Digitized by Google

toriis, ut Carthaginienses, in desperationem acti, in auxilium publicæ salutis Hannibalem ex Italia revocarent. Isque, anno decimo sexto[6] Italia decedens, in Africam trajecit, tentavitque per colloquium pacem cum Scipione componere: et, cum de conditionibus pacis non convenisset, acie victus est. Pax Carthaginiensibus data est petentibus. Hannibal Gisgonem, pacem dissuadentem, manu sua detraxit: excusata deinde temeritate facti, ipse pacem suasit. Mago, qui bello in agro[7] Insubrium cum Romanis conflixerat, vulneratus, dum in Africam per legatos revocatus revertitur, ex vulnere mortuus est. Masinissæ regnum restitutum est.[8] Reversus in Urbem Scipio amplissimum nobilissimumque egit triumphum, quem Q. Terentius Culleo senator pileatus secutus est. Scipio Africanus (incertum militari prius favore, an populari aura ita[9] cognominatus) primus certe hic imperator victæ a se nomine gentis nobilitatus est.

[a] *Pileo caput opertus, quasi in libertatem vindicatus a Scipione.*

venen. ei transmisit, quo quidem hausto edd. ante Sigon.—6 *Sexto decimo* Kreyssig.—7 *Mago bello, quo in agro* edd. ante Sigon.—8 Ex vett. libb. apud Sigon. Antea deerant verba *Masinissæ regnum restitutum est.* Sup. *revertereturr* pro *revertitur* Gron. Doujat. Crev.—9 'Forte del. *ita*, et sic distinguendum: *Scipio Africanus, incertum .... aura, cognominatus: primus certe cet.*' Duker.

LIB. XXXI.

Belli adversus Philippum Macedoniæ regem, quod intermissum erat, repetiti causæ referuntur[10] hæ. Tempore Initiorum[b] duo juvenes Acarnanes, qui non initiati erant, Athenas venerunt, et in sacrarium Cereris cum aliis popularibus suis[11] intraverunt. Ob hoc, tanquam nefas sum-

[b] *Tempore quo celebrabantur arcana Cereris sacra.*

10 *Feruntur* Gron. Doujat.—11 '*Popularibus suis* ex emend. Sigon. *pluribus* Mss. Crev. et edd. vett. *cum aliis pluribus* vel *cum aliis* conj. Periz. *cum cetera*

Digitized by Google

mum commisissent, ab Atheniensibus cæsi sunt. Acarnanes, mortibus suorum commoti, ad vindicandos[12] illos auxilium a Philippo petierunt. Paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam, quingentesimo quinquagesimo[13 a] anno ab Urbe condita, cum Atheniensium, qui obsidebantur a Philippo, legati auxilium a senatu petissent, et senatus id censuisset ferendum, plebe, quod tot bellorum continuus labor gravis erat, dissentiente, tenuit auctoritas patrum,[e] ut sociæ civitati ferri opem populus quoque[14] juberet. Bellum id P. Sulpicio consuli mandatum est, qui, exercitu in Macedoniam ducto, equestribus prœliis cum Philippo prospere pugnavit. Abydeni a Philippo obsessi, ad exemplum Saguntinorum, suos seque occiderunt. L. Furius prætor Gallos Insubres rebellantes et Hamilcarem Pœnum, bellum in ea parte molientem, acie vicit. Hamilcar eo bello occisus est, et millia hominum triginta sex.[15] Præterea expeditiones Philippi regis et Sulpicii consulis expugnationesque urbium ab utroque factas continet. Sulpicius consul, adjuvantibus rege Attalo et Rhodiis, bellum gerebat. Triumphavit de Gallis L. Furius prætor.

[e] *Valuit senatus auctoritas.*

turba dixit Livius c. 14.' *Rupert.*—12 *Ad vindicandum* edd. ante Sigon.—13 *Quadragesimo* Crev. cum edd. ante Sigon.—14 *Quoque* del. Gron. Doujat. Crev.—15 *Triginta quinque* eæd.

NOTÆ

[a] *Quingentesimo quinquagesimo*] Alias perperam legebatur *quingentesimo quadragesimo.* Correxit Sigonius ex Livii calculo. Si tamen Fastos Capitolinos sequamur cum eodem, annus erit quingentesimus quinquagesimus secundus.

LIB. XXXII.

Complura prodigia ex diversis regionibus nuntiata referuntur; inter quæ, in Macedonia in puppi longæ navis lauream esse natam.[16] T. Quintius Flamininus consul adversus Philippum feliciter pugnavit in faucibus Epiri, fuga-

Digitized by Google

tumque coëgit in regnum reverti. Ipse Thessaliam, quæ est vicina Macedoniæ, sociis Ætolis et Athamanibus, vexavit. L. Quintius Flamininus, consulis frater,[17] Attalo rege et Rhodiis adjuvantibus, in Euboeam et maritimam oram trajectus, Eretriam expugnavit.[18 b] Achæi in amicitiam recepti sunt. Conjuratio servorum, facta de solvendis Carthaginiensium [19] obsidibus, oppressa est; duo millia necati sunt.[20] Prætorum numerus ampliatus est, ut seni crearentur. Cornelius Cethegus consul Gallos Insubres prælio fudit. Cum Lacedæmoniis et tyranno eorum Nabide amicitia juncta est. Præterea expugnationes urbium in Macedonia referuntur.

16 *Euatam* conj. Dnk. et Drak.—17 *Navali prælio* add. Gron. Doujat. *navali bello* Crev.—18 *Eubœam et maritimam oram cepit* Gron. Doujat. Crev.—19 *Carthaginiensibus* eæd.—20 *Duo millia necati sunt* del. eæd.

NOTÆ

[b] *In Eubœam et maritimam oram trajectus, Eretriam expugnavit* [*et maritimam oram cepit*] Plenius Gudii alter codex teste Gron. *in Eubœam et maritimam oram trajectus Eretriam expugnavit.*

LIB. XXXIII.

T. Quintius Flamininus proconsul cum Philippo ad Cynoscephalas in Thessalia acie victo debellavit. L. Quintius Flamininus, frater proconsulis, Acarnanes,[1] Leucade urbe, quod caput est Acarnanum, expugnata, in deditionem accepit. C. Sempronius Tuditanus prætor a Celtiberis cum exercitu cæsus est. Attalus, a Thebis ob subitam valetudinem Pergamum [2] translatus, decessit. Pax petenti Philippo, Græciæ libertas data est. L. Furius Purpureo [3] et Claudius Marcellus consules Boios et Insubres Gallos subegerunt. Marcellus triumphavit. Hannibal, frustra in Africa bellum molitus, et ob hoc Romanis per epistolas

1 *Acarnanas* malit Drak. Mox del. *est* Gron. Doujat. Crev.—2 Τὸ *Pergamum* abest ab edd. ante Sigon.—3 *L. Furius*, abjecto *Purpureo*, edd. ante Sigon. et *M. Claudius* Crev.

Digitized by Google

adversæ factionis principum delatus, propter metum Romanorum, qui legatos ad Carthaginiensium senatum de eo miserant, profugus ad Antiochum regem Syriæ se contulit, bellum contra Romanos parantem.

LIB. XXXIV.

Lex Oppia, quam C. Oppius tribunus plebis bello Punico[4] de finiendis matronarum cultibus[5 c] tulerat, cum magna[6] contentione abrogata est, cum Porcius Cato auctor fuisset, ne ea lex aboleretur. Is, in Hispaniam profectus, bello, quod Emporiis orsus est, citeriorem Hispaniam pacavit. T. Quintius Flamininus bellum adversus Lacedæmonios et tyrannum eorum Nabidem prospere gestum, data iis pace, qualem ipse voluit, liberatisque Argis, qui sub ditione tyranni erant, finivit. Senatus tunc primum secretus a populo ludos spectavit: ut id fieret, Sex. Ælius Pætus et C. Cornelius[7] Cethegus censores intervenerunt, cum indignatione plebis. Coloniæ pleræque[8] deductæ[d] sunt. M. Porcius Cato de Hispania triumphavit. Res præterea in Hispania, et[9] adversus Boios et Insubres Gallos feliciter

4 'Obscurus et mutilus locus. Supplemus nos, nota numeri quæ exciderat interjecta, *bello Punico II.*' Jac. Gron.—5 *Stringendis* et *fingendis* al. *Cultibus matronarum* Gron. Doujat. Crev.—6 *Cum maxima* Gron. Doujat. Mox *M. Porcius* legitur in Kreyssig.—7 *L. Cornelius* edd. ante Sigon.—8 Al.

NOTÆ

c *De finiendis matronarum cultibus* [*de stringendis cultibus matronarum*] Sigon. ex veteri libro correxerat *de fingendis*, quam scripturam Gronovius adjuvandam ait una litera, mutato scilicet *g* in *i*, ut sit *de finiendis*. Et sane finire cultum matronarum est modum finemque cultui et luxui statuere; qua ratione paulo post dicitur, 'si ista lex ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem:' et *finire* pro eodem valet ac definire seu præfinire. Sed vulgatam lectionem stare nihil prohibet, et *de stringendis* eundem efficit sensum ac *de finiendis:* simplex enim verbum *stringere* sumi potest pro composito astringere, aut constringere, seu quod idem est, arctare, comprimere: ita recte dicitur infra cap. 3. 'quibus omnibus' (juribus) 'constrictas vix tamen continere potestis:' et lib. XXXV. cap. 7. 'mulctis fœnebribus constricta avaritia.'

d *Coloniæ pleræque deductæ*] Vulgo *coloniæ plures.*

Digitized by Google

gestæ referuntur. T. Quinctius Flamininus, qui Philippum Macedonum regem et Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum vicerat, Græciamque omnem liberaverat, ob hanc rerum gestarum multitudinem triduo triumphavit. Legati Carthaginiensium nuntiaverunt, Hannibalem, qui ad Antiochum confugerat, bellum cum eo moliri. Tentaverat autem Hannibal [10] per Aristonem Tyrium, sine literis Carthaginem missum, ad rebellandum Pœnos concitare.

plures.—9 Carent edd. ante Sigon. verbis *in Hispania, et.*—10 Deerat vox *Hannibal* ante Sigon.

LIB. XXXV.

P. Scipio Africanus legatus ad Antiochum Ephesi cum Hannibale, qui se Antiocho junxerat, collocutus est; ut, si fieri posset, metum ei, quem ex populo Romano conceperat, eximeret. Inter alia cum quæreret, quem fuisse maximum imperatorem Hannibal crederet, respondit; 'Alexandrum Macedonum regem, quod parva manu innumerabiles exercitus fudisset, quodque ultimas oras,[a] quas visere supra spem humanam esset, peragrasset.' Quærenti deinde, quem secundum poneret, 'Pyrrhum,' inquit, 'castra metari primum docuisse. Ad hoc neminem elegantius loca cepisse, præsidia disposuisse.' Exequenti, quem tertium diceret,[11] 'semet ipsum' dixit. Ridens Scipio, 'Quidnam tu diceres, si me,' inquit, 'vicisses?' 'Tunc vero,' inquit, 'me et ante Alexandrum, et ante Pyrrhum, et ante alios posuissem.' Inter cetera prodigia, quæ plurima fuisse traduntur, bovem Cn. Domitii consulis locutum, 'Roma cave tibi,' refertur. Apparant in Antiochum bellum Romani. Nabis Lacedæmoniorum tyrannus, incitatus ab Ætolis, qui

11 'Puto *duceret*, ut in Liv. c. 14, a quo *crederet* et *poneret* sumsit, quibus

NOTÆ

[a] *Ultimas oras*] Versus orientem, nimirum Indicas regiones.

Digitized by Google

et Philippum et Antiochum ad inferendum bellum populo Romano solicitabant, a populo Romano descivit; et, bello adversus Philopœmenem Achæorum prætorem gesto, ab Ætolis et ab Alexameno duce eorum [12] interfectus est. Ætoli quoque ab amicitia populi Romani defecerunt. Cum quibus societate juncta, Antiochus Syriæ rex, cum bellum Græciæ intulisset, complures urbes occupavit, inter quas Chalcidem, et totam Euboeam. Res præterea in Liguribus gestas et apparatum belli ab Antiocho continet.

aptius jungitur *duceret* quam *diceret*.' Duk.—12 *Et ab Alexameno duce eorum* del. Gron. Doujat. *ab* del. etiam Crev.

LIB. XXXVI.

Man. Acilius Glabrio consul Antiochum, apud Thermopylas, Philippo rege adjuvante, victum, Græcia expulit, idemque Ætolos subegit.[13] P. Cornelius Scipio Nasica consul ædem matris Deum, quam ipse in Palatium intulerat, vir optimus a senatu judicatus, dedicavit; idemque Boios Gallos victos in deditionem accepit, et de iis triumphavit. Præterea navalia certamina prospera adversus præfectos Antiochi regis referuntur.

13 '*Antiochum ap. Th. victum Græcia expulit, idemque Philippo rege adjuvante Ætolos subegit* conj. Periz. Anim. Hist. c. 9. p. 376.' *Rupert.*

LIB. XXXVII.

L. Cornelius Scipio consul, legato P. Scipione Africano, (qui se legatum fratris futurum dixerat, si ei Græcia [14] provincia decerneretur, cum C. Lælio, qui multum in senatu poterat, ea provincia dari videretur) profectus ad bellum

14 *Et Asia* add. Gron. Doujat. Crev.—15 Vox *Antiochi* videtur Dukero

Digitized by Google

adversus Antiochum gerendum, in Asiam primus omnium Romanorum ducum trajecit. Æmilius Regillus adversus regiam classem Antiochi [15] feliciter pugnavit ad Myonnesum, Rhodiis adjuvantibus. Filius Africani ab Antiocho captus, patri remissus est. M'. Acilius Glabrio de Antiocho, quem Græcia expulerat, et de Ætolis triumphavit. Victo deinde Antiocho a L. Cornelio Scipione, adjuvante Eumene rege Pergami, Attali filio,[16] pax data est ea conditione, ut omnibus provinciis citra Taurum montem cederet. Eumeni, quo juvante Antiochus victus erat, regnum ampliatum. Rhodiis quoque, qui et ipsi juverant, quædam civitates concessæ. Colonia deducta est Bononia. Æmilius Regillus, qui præfectos Antiochi navali certamine vicerat, navalem triumphum duxit. L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho debellaverat,[17] cognomine fratri exæquatus,[18] Asiaticus appellatus est.

glossa.—16 *Rege Attali Pergameni filio* Gron. Donjat. Crev. Mox habent eæd. *pax data ea*, omisso *est*.—17 *Bellaverat* edd. ante Sigon.—18 *Coæquatus* Gron. Donjat. Crev.

LIB. XXXVIII.

M. Fulvius consul in Epiro Ambracienses obsessos in [19] deditionem accepit, Cephalleniam subegit, Ætolis perdomitis pacem dedit. Cn. Manlius consul, collega ejus, Gallogræcos, Tolistoboios et Tectosagos [20] et Trocmos, qui Brenno duce in Asiam transierant, cum soli citra [1] Taurum montem non parerent, vicit. Eorum origo, et quemadmodum ea loca, quæ tenent, occupaverint, refertur. Exemplum quoque virtutis et pudicitiæ in fœmina traditur. Nam cum Ortiagontis,[2] regis Gallogræcorum, uxor captiva esset, centurionem custodem, qui ei vim intulerat, occidit.

19 *Per* pro *in* scribunt Gron. Donjat. Crev.—20 *Tholistobogios*, *Tectosages* Gron. Donjat.—1 *Circa* Crev. In Crev. min. *citra* legitur.—2 Ita ex emend. Sigon. pro *Orgiagontis*, quod legitur in Gron. Donjat. Supr. *et cum ea loca, quæ tenent occupaverantque referuntur* edd. ante Sigon.—3 [1] Forte *et CCCXVIII.*

Digitized by Google

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta octo millia et trecenta viginti octo.[3] Cum Ariarathe, rege Cappadociæ, amicitia juncta est. Cn. Manlius, contradicentibus decem legatis, ex quorum consilio fœdus cum Antiocho conscripserat, de Gallogræcis, acta pro se[4] causa in senatu, triumphavit. Scipio Africanus, die ei dicta, ut quidam aiunt, a Q. Petillio tribuno plebis,[5] ut quidam, a Nævio, quod præda ex[6] Antiocho capta ærarium fraudasset, postquam is dies venit, evocatus[7] in Rostra, 'Hac die,' inquit, 'Quirites, Carthaginem vici:' et, prosequente populo, Capitolium ascendit. Inde, ne amplius tribuniciis injuriis vexaretur, in voluntarium exilium Liternum concessit: incertum ibi, an Romæ, defunctus. Nam ejus monumentum utrobique fuit. L.[8] Scipio Asiaticus, frater Africani, eodem peculatus crimine accusatus damnatusque, cum in vincula et carcerem duceretur, Ti. Sempronius Gracchus, tribunus plebis, qui antea Scipionibus inimicus fuerat,[9] intercessit; et ob id beneficium Africani filiam duxit. Cum quæstores[10] in bona ejus publice possidenda missi essent,[11] non modo in iis ullum[12] vestigium pecuniæ regiæ apparuit, sed nequaquam tantum redactum, quantæ summæ erat damnatus. Collatam a cognatis et amicis innumerabilem pecuniam accipere noluit; quæ necessaria ei erant ad cultum, redemta.[13]

quem numerum ap. Liv. XXXVIII. 36. extr. ex cod. Mog. restituit Drak. Ibi tamen et h. l. numerus variat in Mss. et edd. antt. neque etiam semper consentiunt Livius et auctor Epit.' *Rupert.*—4 *Per se* edd. ante Sigon.—5 *A. Petilio Acteo trib. pl.* eæd.—6 Carent eæd. *τῷ ex.*—7 Vet. lib. apud Sigon. *postquam dies venit, is evocatus.*—8 *L.* del. Gron. Doujat. Crev.—9 *Erat* Gron. Doujat.—10 *Prætor* add. eæd. et *populus* edd. ante Sigon.—11 *Misisset* Gron. Doujat.—12 *Nullum* Crev. Mox *in ærarium* post *tantum* additur in edd. ante Sigon.—13 *Quæ necessitati ei erat ad cultum retenta* edd. ante Sigon.

LIB. XXXIX.

M.[14] Æmilius consul, Liguribus subactis, viam a Pla-

14 *M.* del. Gron. Doujat. Crev.—15 Voss. et ambo Gud. teste J.F. Gron.

Digitized by Google

centia usque Ariminum perductam Flaminiæ junxit. Initia luxuriæ, introducta ab exercitu Asiatico, referuntur. Ligures, quicumque citra Apenninum erant, subacti sunt. Bacchanalia, sacrum Græcum et [quidem][15] nocturnum, scelerum omnium seminarium, cum ad ingentis turbæ conjurationem pervenisset, a consule investigatum, et multorum pœna sublatum est. A censoribus L. Valerio Flacco et M. Porcio Catone, et belli et pacis artibus maximo,[16] [b] motus est senatu L. Quintius [c] Flamininus, T. Quintii frater, eo quod, cum Galliam provinciam consul obtinuerat, rogatus in convivio[17] a Philippo Pœno, quem amabat, scorto nobili, Gallum quendam sua manu occiderat; sive, ut quidam tradiderunt, unum ex damnatis[18] securi percusserat, rogatus a meretrice Placentina, cujus amore deperibat. Extat in eum M. Catonis oratio. Scipio Literni decessit: et tanquam jungente fortuna circa idem tempus duo funera maximorum virorum, Hannibal, a Prusia Bithyniæ rege, ad quem, victo Antiocho, confugerat, cum dederetur Romanis, qui ad exposcendum illum T. Quintium Flamininum miserant, veneno sibi mortem conscivit. Philopœmen quoque, dux Achæorum, vir maximus, a Messeniis interemtus veneno, cum ab iis bello captus esset. Coloniæ Potentia[19] et Pisaurum et Mutina et Parma deductæ sunt. Præterea res adversus[20] Celtiberos prospere gestas, et

nesciunt τὸ *quidem;* non est autem uncinis inclusum apud Gron. Doujat. Crev. Doer. Kreyssig. &c.—16 *Catone, vir et belli et pacis artibus maximus, &c.* edd. ante Sigon. *Catone, viro et belli* Gron. Doujat. Crev.—17 *In convivio* del. Gron. Doujat. Crev.—18 *Unum damnatorum* Gron. Doujat. Crev.—19 *Pollentia* Crev.—20 *Adversum* Gron. Doujat. Crev. Mox *venit* pro *fluxit* edd. ante Sigon.

NOTÆ

[b] [*Viro*] *et belli et pacis artibus maximo*] Sic emendat Sigon. ut referat ad Catonem, cujus laudes prosequitur Livius hoc loco: antea legebatur *vir et belli et pacis maximus*, et referendum erat ad L. Quintium, cui minus conveniebat.

[c] *Motus est senatu L. Quintius*] Gron. ex Gudiano minori codice et aliis veteribus, totum hunc locum sic legit: *septem moti fuerunt senatu, ex quibus fuit L. Quintius Flaminius consularis et insignis nobilitate et honoribus, Q. Flaminini frater, eo quod, cum Galliam provinciam consul teneret, rogatus in convivio a P. Œnio Philippo scorto nobilissimo, quem amabat, Gallum quendam sua manu occiderat; sive, ut Valer. Antias tradidit, quod unum e damnatis securi percusserat.*

Digitized by Google

initia causasque belli Macedonici continet; cujus origo inde fluxit, quod Philippus ægre ferebat, regnum suum imminui a Romanis, et quod cogeretur a Thracibus aliisque locis præsidia deducere.

LIB. XL.

Cum Philippus liberos eorum, quos occiderat,[1] [d] conquiri obsides jussisset, Theoxena, pro liberis suis et sororis admodum pueris verita regis libidinem, prolatis in medium gladiis et poculo, in quo erat venenum, suasit iis, ut[2] imminens ludibrium morte effugerent. Quod cum persuasisset, ipsa se cum viro e navi in mare præcipitavit.[3] [e] Certamina inter Philippi Macedoniæ regis liberos Persen[4] et Demetrium[f] referuntur; et ut fraude fratris sui Demetrius confictis criminibus, inter quæ accusatione parricidii et affectati regni, primum petitus, ad ultimum, quoniam populi Romani amicus erat, veneno necatus est; regnumque Macedoniæ mortuo Philippo ad Persen devenit.[5] Item res in Liguribus et in[6] Hispania contra Celtiberos a compluribus feliciter gestas continet. Libri Numæ Pompilii in agro L. Petillii scribæ sub Janiculo a cultoribus

1 '*Liberos eorum, quos occiderat* c. Leid. et ita Liv. XL. 3. et Polyb. XXIV. 8. nisi ex iis lectio depromta est: nam in reliquis libris [ut in Gron. Doujat. Crev.] pro *occiderat* legitur *in vinculis nobilissimorum hominum habebat*, et rectius *liberos eorum, quos in vinculis tenebat* vel *habebat, nobilium hominum*. Cf. Periz. Anim. Hist. c. 9. p. 376.' *Rupert.* Mox *conquiri ad mortem jussisset* Gron. Doujat. Crev.—2 ' Locutio non ferenda videtur, et leg. *Theoxena liberis suis et s. a. pueris, verita . . . venenum, suasit ut cet.*' Drak. Mox *Et* pro *Quod* legitur in Gron. Doujat. Crev.—3 *Ipsa etiam se interemit* edd. ante Gron. Verba *e navi* del. Gron. Doujat. Crev.—4 *Perseum* h. l. et paulo inf. eæd.—5 ' Latinæ linguæ vel mediocriter periti dicerent *necatus fuerit* et *devenerit*.' Duk.—6 *In* del. Gron. Doujat. Crev.—7 ' Sc. *erant;* quod in

NOTÆ

[d] *Quos occiderat* [*quos in vinculis nobilissimorum hominum*] Refer *nobilissimorum hominum* ad *liberos*.

[e] *Ipsa se cum viro e navi in mare præcipitavit*] Ita Gron. ex codice Barberino: antea legebatur *ipsa etiam se interemit*.

[f] *Persen et Demetrium*] Pro Perseo sæpe scribitur Perses.

Digitized by Google

agri, in arca lapidea clausi, et Græci et Latini, inventi sunt. In quibus cum plura, quæ dissolvendarum religionum,[7] prætor, ad quem delati erant, legisset,[8] juravit senatui, contra rem publicam esse, ut legerentur servarenturque: et ex senatus consulto in Comitio exusti sunt. Colonia Aquileia deducta est. Philippus, ægritudine animi confectus, quod Demetrium filium, falsis Persei[9] alterius filii delationibus impulsus, veneno sustulisset,[10] de pœna Persei cogitavit, voluitque Antigonum potius amicum suum successorem regni sui relinquere. Sed in hac cogitatione morte raptus est. Regnum Perseus excepit.[11] [s]

quibusd. edd. sed in nullo Ms. additur.' *Rupert.* *Erant* add. Crev.—8 *Erant, cum legisset* Gron. Donjat. Crev.—9 *Persei* del. eæd. Mox *in eundem* post *filii* add. eæd.—10 ' Delevi τὸ *et*, quod ante *de* legitur in omnibus Mss. præter Leid. [in omnibus etiam edd.] et e fine vocis præc. repetitum videbatur etiam Duk.' *Rupert.*—11 *Accepit* edd. ante Sigon.

NOTÆ

[s] *Regnum Perseus excepit*] Vulgata lectio *accepit*: illa altera ex veteribus libris.

LIB. XLI.

Ignis in æde Vestæ extinctus est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit, monumentumque operum suorum, Gracchurim oppidum in Hispania constituit.[a] Et a Postumio Albino[12] proconsule Vaccæi ac Lusitani subacti sunt. Uterque[13] triumphavit.[b] Antiochus, Antiochi filius, obses Romanis

12 *A. Post. Alb.* edd. ante Sigon.—13 *De utrisque* eæd.—14 *Ab Urbe* del.

NOTÆ

[a] *Gracchurim oppidum in Hispania constituit*] Antea Illurcis nominabatur, ut scribit Festus Pompeius. Verum in honorem Tib. Sempronii Gracchi, qui eam vel instauravit, vel amplificavit, dicta est Gracchuris; hoc est, ni fallor, Gracchi urbs. Sita fuit in Vasconibus, non procul læva Iberi ripa.

[b] *Uterque triumphavit*] Ita melius quam ut vulgo, *de utrisque triumphavit*; nam Gracchus de Celtiberis, Postumius Albinus de Lusitanis revera triumpharunt.

Digitized by Google

a patre datus, mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto successerat, in regnum Syriæ ab Urbe [14] dimissus; qui præter religionem, qua multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis Jovis Olympii, et Antiochiæ Capitolini, vilissimum regem egit.[15] [c] Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta sexaginta tria millia ducenta nonaginta [16] quatuor. Q. Voconius [17] Saxa tribunus plebis legem tulit, ne quis hæredem mulierem institueret.[d] Suasit legem M. Cato. Extat oratio ejus. Præterea res contra Ligures, Istros, Sardos et Celtiberos, a

Gron. Doujat.—15 ' *Præter religionem, qua multa . . . regem egit.* Hæc verba a Ms. Leid. et Gud. min. absunt, in ceteris codd. et omnibus fere edd. sunt extrema hujus Epit. Nos ea cum Cler. et Crev. h. l. inseruimus auctore Gron. cujus nota est: ' Ergo, cum hæc epitome fieret, jam mutilum erat cap. 20. hujus libri. In eodem enim turpi errore versatur, qui tenuit aliquamdiu viros doctos, quæ illic narrantur, ad Persen Macedonem pertinere. Verba hæc videntur primogenio aliquo in exemplari scriptoris vitio prætermissa, in marginem deinde conjecta fuisse. Itaque sequentium alios eadem dissimulasse, alios ad finem allevisse suspicor.' *qua* ex ejusdem Gron. emend. *quam* plerique Mss. *quod quam* ceteri et edd. tantum non omnes.' *Rupert.*— 16 *Ducenta septuaginta . . . quadraginta* Gron. Doujat. Crev.—17 Ex emend. Sigon. pro Q. *Volumnius* in edd. priorr.

NOTÆ

[c] *Qui præter religionem . . . . regem egit*] Hæc recte Gron. subtexit post verbum *dimissus*, [cum antea in fin. Epitom. post *solicitabat* edita fuerint,] ut hæ templorum ædificationes non ad Perseum referantur, sed ad Antiochum Epiphanem Magni Antiochi filium, cui debentur ex Polybio apud Athenæum lib. v. ac Diodoro, quibuscum omnino congruit Livii narratio cap. 20.

[d] *Q. Voconius Saxa . . . legem tulit, ne quis hæredem mulierem institueret*] Non abscisse ademtum mulieribus lege Voconia fuerat jus capiendæ hæreditatis quorumvis civium; sed locupletiorum. Censi enim et classici proprie, sive κατ' ἐξοχὴν, dicebantur Voconii ævo, non omnes qui in classibus erant, sed primæ tantum classis homines, qui CXXV. millia æris ampliusve censi erant. Infra classem autem appellabantur, secundæ classis ceterarumque omnium classium, quæ minore summa æris, quam supra dixi, censebantur, ut notavit A. Gellius Noct. Attic. lib. VII. cap. 13. Asconius vero Pedianus ad I. Orat. in Verrem hæc eo loco Ciceronis verba ' Neque census esset,' sic interpretatur: ' neque centum millia sestertium possideret.' Nam more veterum, inquit, censi dicebantur qui centum millia professione detulissent. Sed ne totam quidem classicorum hæreditatem mulieribus indistincte ablatam Cicero indicat lib. II. de Finib. Agens enim de P. Sextilio Rufo, hærede Q. Fabii Galli, cujus testamento rogatus fuerat, ut omnis hæreditas ad filiam ipsius perveniret; ait virorum amplissimorum,

Digitized by Google

compluribus ducibus prospere gestas, et initia belli Mace-

NOTÆ

quos hæres in consilium advocaverat, neminem censuisse 'plus filiæ dandum quam posset ad eam lege Voconia pervenire.' Hinc sane patet pervenire ad eam aliquid lege Voconia potuisse.

Verum quæ ea quantitas fuerit, minus expedita res est. Dionis quippe locus, ex quo ejus rei definitio peti solet, ambiguitate non caret. Is lib. LVI. narrat Augustum mulieribus quibusdam legis Voconiæ veniam fecisse. Eam autem legem ita explicat, *καθ' ὃν οὐδεμίᾳ αὐτῶν οὐδενὸς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας οὐσίας κληρονομεῖν ἐξῆν*: quod est, *per quam* (legem) *nulli earum* (mulierum) *licebat, cujusquam hæreditatem capere, supra substantiam duarum myriadum ac dimidiæ.* Ibi duo sunt quæ afferunt dubitationem. Primo quo referantur *τὸ supra substantiam duarum myriadum ac dimidiæ*, an ad totam testatoris hæreditatem, ut scilicet fœminæ succedere vetarentur iis civibus qui possiderent supra 25000. (id enim significant duæ myriades cum dimidia); an vero intelligi hæc verba debeant de quantitate bonorum, supra quam succedere mulieres non possent. Licet enim *οὐσία* Græcis, cum de bonis dicitur, accipiatur utplurimum de omnibus facultatibus; videtur tamen pro certa earum parte aliquando sumi. Ambigi deinde potest cujus rei, sive cujus pecuniæ myriades in æstimatione Dionis intelligantur; denariorum an sestertiorum: ut, si denarii sint, pertineant ad universum patrisfamilias classici (hoc est valde locupletis,) patrimonium: si sestertii dicantur, partem designent, ex qua hæres scribi a classico mulier possit. Priorem sententiam asseveranter, quasi ex usu Græcorum perpetuo, qui per drachmas computant, denariis fere Romanis respondentes, Gronovius tuetur lib. III. de Pecun. Vetere, cap. 16. Posteriorem amplexi sententiam, de numero *sestertiorum* mulieri relinquendo, Dionem intellexere Cujacius in notis prioribus ad Instit. Justin. § 1. de Lege Falcid. et cum eo Dionys. Gothofredus ad Theophilum, Eod. Tit. Ant. Augustinus lib. de Legib. Lipsius in Plinii Panegyricum: atque his omnibus, quantum ad æstimationem summæ, præiverat Paul. Manutius in suo de Legib. volumine, nisi quod ex Asconio cautum scripserat nominatim, ne quis filiam hæredem relinqueret supra HS. viginti quinque millium summam. Hotom. in l. de Re Nummaria, Dionem arguit, quasi is vim legis Voconiæ non perceperit, cum pro quadrante hæreditatis, qui incertus, et modo major, modo minor est, (quemadmodum ipsa hæreditas,) certam summam posuit. Ipse vero ex cujuslibet hæreditate decerpi potuisse putat quartam partem, qua fœminam paterfamilias donaret. Id igitur inter hos auctores controversum manet, utrum in quadrantem hæreditatis generaliter mulieres admitterentur; an vero ex quantacumque hæreditate, quinque et viginti duntaxat millia sestertium caperent. Pighius in Annalibus Magistratuum Roman. A. U. C. 584. ita legem Voconiam concipit: 'Ne quis census, (hoc est, qui centum millia æris professione detulisset,) hæredem relinqueret mulierem supra viginti quinque millia sestertium.' His ille verbis ponit, ætate Voconii amplius quid fuisse centum millia æris, quam XXV. millia sestertium. Constat tamen ex Plinio jam tum auctum ad sexdecim asses fuisse denarii pretium; et ex consequenti sestertium, in quo semper quarta de-

Digitized by Google

donici continet, quod Perseus, Philippi filius, moliebatur.

NOTÆ

narii pars fuit, quaternis assibus valuisse: unde XXV. sestertium millia pretium æquabant centum millium assium ejus temporis. Distinguit ergo Pighius millia æris, tanquam longe majorem summam, a millibus assium, velut minori summa: ut videatur, æris nomine, priscos asses librales intelligere, quorum partem duntaxat quartam et vicesimam imminuti ætate Voconii asses reddebant. Cum itaque sestertio inesset assium hujusmodi quaternorum pretium, in centum æris illius antiqui millibus continebatur sexies pretium quinque et viginti millium sestertiorum. Sexcupla enim proportio est inter quatuor et viginti quatuor. Quod ego commentum ad alias quoque explicandas difficultates neutiquam improbaverim. Bachovius, ad Instit. Tit. de Fidei commissariis Hæreditatibus, putat Voconium ac Dionem locutos esse de minimo censu, quartæ scilicet classis, qui fuerit XXV. millium assium, ex instituto Servii Tullii; et eatenus mulieres vult esse hæredes potuisse ejus qui census esset: censos quippe generaliter cives intelligit, æque infimi ac summi census. Sed hæc præter aliorum fere omnium mentem.

Mihi vero, etsi explorati nihil in hisce rebus me allaturum confido, aliud auspicandi occasionem vetusti auctores præbent. Horum primo nullus quartæ partis in mulierem conferendæ meminit. Sane vero quinque et viginti sestertium millia, quartam partem faciunt viginti quinque millium drachmarum sive denariorum; aut, quod idem est, centum millium sestertium. Sed hic minimus erat census primæ classis: eorum autem, qui in hac classe censi, multos fuisse nemo ignorat, quorum non solum duplo, triplo, quadruplo major census, sed qui decies, vicies, immo pluries hunc censum superarent. Unde apparet, si locupletior paulo esset hæreditas, contingere facile potuisse, ut in viginti quinque sestertium millibus, ne quadragesima quidem pars hæreditatis inveniretur; veluti si testator ultra decies centena millia possideret. Deinde, ut recte observat Gronovius, antiqui scriptores, apud quos Voconiæ legis vestigia supersunt, negant in universum, mulieribus partem hæreditatis ullam esse a Voconio servatam. Ejus mentio extat inprimis apud M. Tullium non semel. Is in Orat. pro Cornelio Balbo aliud nihil dicit, quam Voconium 'legem tulisse de mulierum hæreditatibus;' Verrina autem I. ne quis, in posterum, qui, post eos censores, census esset, 'hæredem virginem mulieremve faceret.' Epitomator etiam Livii testatur latam a Voconio Saxa legem 'ne quis mulierem hæredem institueret.' A. Gellius l. XX. c. 1. rem non satis perspicue exponit: plebiscitum tantum Voconium dicit 'de coërcendis mulierum hæreditatibus.' D. Augustinus lib. III. de Civit. Dei, cap. 21. latum fuisse scribit, 'ne quis hæredem fœminam faceret, vel unicam filiam:' quod et Asconius affirmat. Existimo igitur ita se rem habuisse, ut absolute ab hæreditate ditiorum fœminæ generatim arcerentur; adeo ut nec testamento patris filia hæredis titulo quicquam acciperet. Negari tamen non potest, quin legare ei aliquid, aut per fideicommissum relinquere licuerit. Quamvis enim, certo et communi jure, receptum ante Augusti tempora non fuisse fideicommissorum usum tradat Justinianus in Institution. liquet nihilominus ex iis, quæ de Fabio Gallo narrat Cicero Verrina I. non ignotum prorsus fuisse priori sæculo

Digitized by Google

Miserat enim ad Carthaginienses legationem, et ab iis

NOTÆ

jus illud: ita tamen ut, ante Augustum, bona tantum fide hæredis instituti niteretur. Etenim si pater extraneum hæredem scripsisset, ut is filiæ testatoris restitueret hæreditatem, dandum ab hærede filiæ quod ad eam lege Voconia pervenire poterat prudentes censebant. Partem eam, fatendum omnino est, saltem fuisse, quæ ad filiæ dotem sufficeret, jure quodammodo naturæ a parentibus debitam: ejus vero quantitatem olim decies centena sestertium millia non facile exsuperasse conjiciunt, non abs re, Cujacius aliique, ex illo Satirici, 'ritu decies centena dabuntur antiquo:' quæ summa vix decem librarum Francicarum millia excedebat: quanta regum quondam nostrorum filias nupsisse legimus. Quod si quis partem illam filiæ assignatam, hæreditatis quadrante æstimandam senserit ex sententia tot doctissimorum jurisconsultorum, tantundem mulieribus generaliter attribuentium; duobus argumentis ad eam firmandam conjecturam poterit uti. Alterum suppeditabunt lex Falcidia, Senatusconsultum Pegasianum (quod Justinianus in Trebellianum transfudit), Legitimæ ratio, et rescriptum Antonini Pii: quorum jurium priora duo hæredi, tertiam filiis, quartum impuberi arrogato, bonorum patrisf. partem quartam servarunt. Quapropter non omnino improbabile videri potest, simile quid lege Voconia fuisse constitutum, quod ad alias non abhorrentes hypotheses porrexerint posteri. Altera ratio magis ad ipsum Voconii plebiscitum refertur. Peti ea potest ex Quintiliani Declamat. 264. qui frandem legis Voconiæ vocat, mulieri plusquam dimidiam partem bonorum dare. Ex quo confici posset ea lege ad semissem usque bonorum permissum fuisse filiæ relinquere, aut etiam mulieri alteri: si forte legum scitis accurate inhærere soliti essent declamatores. Verum rem aliter se habere, in hac hypothesi ostendit quod apud Dionem Augustus, Livia uxore ex triente instituta, impetravit a senatu, ut id sibi præter legem liceret. Illud tamen ex his videtur elici posse, aliquam hæreditatis partem per legem Voconiam relinqui fœminæ potuisse, ac præsertim filiæ.

Sed et aliud præterea fuit legis Voconiæ caput: quo cavebatur, ne quis census plus cuiquam legaret, quam ad hæredem perveniret: cujus rei auctor est, non modo Theophilus, sed etiam M. Tullius actio III. in Verrem: idque, ne legatis adeo exhauriretur hæreditas, ut scripti hæredes ab ea (utpote nullo aut exiguo emolumento) adeunda deterrerentur. Addit Cujacius, quasi ex Paulo J. C. tradit lib. IV. Sentent. tit. 8. Caput legis tertium *ne fœminæ*, ultra consanguineas (sorores scilicet eodem patre genitas) ab *intestato* succederent. Verum id nequaquam eo loco tradit Paulus. Ejus hæc sunt verba: 'Fœminæ ad *hæreditates* legitimas ultra consanguineas successiones non admittuntur: *idque jure* civili, vel Voconia narratione videtur effectum.' Ubi Cujacius agnoscit in quibusdam *codicibus* scriptum esse, 'jure civili Voconiana ratione:' quod sane recte se habet. *Nec* video cur maluerit vir eruditus legere, 'jure civili Voconiana rogatione,' quasi esset ex lege *Voconia*. *Ego* vero nihil mutandum puto. Juris quippe civilis non me stricte *ac proprie* dictum de prudentum interpretatione accipi solet, lib. II. § 5. in fine Dig. de Orig. ex qua *sine dubio*

Digitized by Google

nocte audita erat; sed et alias Græciæ civitates solicitabat.

NOTÆ

receptum moribus est, ut non ultra sorores consanguineas fœminæ ad hæreditatem agnationis jure ab intestato vocarentur: idque 'Voconiana ratione,' id est, ob eandem rationem, ob quam per legem Voconiam excludebantur fœminæ ab hæreditatibus testamentariis: nimirum, ut ipse Cujacius observat, ne nimium ditescerent, ac proinde elatæ æquarent se viris.—*Doujatii nota sub fine lib.* XLIII. *antea inventa.*

LIB. XLII.

Q. Fulvius Flaccus censor templum Junonis Laciniæ tegulis marmoreis spoliavit, ut ædem, quam dedicabat,[18] tegeret. Tegulæ ex senatus consulto reportatæ. Eumenes, Asiæ rex, in senatu de Perseo, Macedoniæ rege, questus est: cujus injuriæ in populum Romanum referuntur. Ob quas bello ei indicto, P. Licinius Crassus consul, cui id mandatum erat,[19] in Macedoniam transiit,[a] levibusque expeditionibus, equestribus prœliis, in Thessalia cum Perseo parum felici eventu pugnavit. Inter Masinissam et Carthaginienses de agro fuit arbiter ad disceptandum a senatu datus.[20 b] Legati missi ad civitates socias et reges rogandos, ut in fide[1] permanerent,[c] dubitantibus Rhodiis. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta septem[2] millia ducenta triginta

18 *Dedicaverat* Gron. Donjat. Crev.—19 *Cui Macedonia decreta erat* Gron. Doujat.—20 'Ita Ms. Barber. et Leid. *dies* quidam pro *arbiter*; non male, si *dictus* legatur pro *datus*. Livius c. 24. nec *arbitri dati*, nec *diei dicti* meminit: sed auctor Epitomarum sæpe ab eo diversa tradit.' *Drak.*—1 *An in fide* Gron. Donjat. Crev.—2 *Ducenta quadraginta septem* Leid. et Berg. teste Rupert.

NOTÆ

[a] *Cui id mandatum erat*, [*Macedonia decreta erat*,] *in Macedoniam transiit*] Membr. *cui mandatum erat:* quibus adductus Gron. scribi jubet, *P. Licinius Crassus cos. cui id mandatum erat, in Macedoniam transiit.*

[b] *De agro fuit arbiter* [*dies*] *ad disceptandum a senatu datus*] Loco nominis *dies*, legit idem Gronov. ex membrana Barberina, *arbiter.*

[c] *Et reges rogandos, ut* [*an*] *in fide permanerent*] Mavult idem ex ejusdem libri auctoritate, *ut in fide permanerent.*

Digitized by Google

unum. Res præterea adversus Corsos et Ligures prospere gestas continet.

LIB. XLIII.

Prætores aliquot,[3] eo quod avare et crudeliter provincias administrassent, damnati sunt. P. Licinius Crassus proconsul[4] complures in Græcia urbes expugnavit et crudeliter diripuit. Ob id captivi, qui ab eo sub corona[5] venierant, ex senatus consulto postea restituti sunt. Item[6] a præfectis classium Romanarum multa impotenter in socios facta. Res præterea a Perseo rege in Thracia prospere gestas continet, victis Dardanis et Illyrico, cujus rex erat Gentius. Motus, qui in Hispania ab Olonico[7] factus erat,[d] ipso interemto consedit. M. Æmilius Lepidus a censoribus princeps in senatu[8] lectus.

3 *Nonnulli* Gron. Doujat. Crev.—4 'Sigon. emend. *consul*, quia *crudeliter avareque in Græcia bellatum ab consule Licinio* legatur XLIII. 4. et prorogatio imperii in P. Licinio non fuerit necessaria, cum A. Hostilius consul hoc anno in Macedoniam cum imperio venerit atque ibi hoc tempore esset.' *Rupert.*—5 *Sub corona* deerant in edd. ante Sigon.—6 Carent edd. ante Sigon. τῷ *item*.—7 'In Mss. *Olonico*, *Olontico*, *Holonico*, *Helenico*, *Elenico*, *bello Punico*. Sigon. emend. *in Pæonia ab Elonico*, at Gron. *in Hispania ab Salondico* ex Floro II. 17. ad cujus narrationem refert illa Liv. XLIII. 4. 'culpamque in duorum amentiam conferentibus, qui se ultro ad pœnam ipsi obtulissent.' Quæ conjectura non propterea displicere debet, quod *consulem* vocat Florus, qui Livio *prætor* est. Cf. Hearne.' *Rupert.*—8 Verba *in senatu* absunt a VII. Mss. et ed. Camp. teste Rupert.

NOTÆ

[d] *Motus, qui in Hispania ab Olonico factus erat*] Veteres libri, teste Sigonio, habent *ab Elonico*, quem vult eundem esse qui extremo libro XL. *Clondicus* dicitur dux Bastarnarum, qui a Philippo exciti in Dardaniam venerant, ibique manserant: idcirco pro *in Hispania*, legit *in Pæonia*, quæ Dardaniæ continens ex Livio l. XLV. Vult itaque, cum in ea regione bellum excitaret, interfectum fuisse a Perseo. Pighius tuetur antiquam lectionem, refertque ad id quod ab injuria ævi superest cap. 4. hujus libri: suspicatur autem in Hispanorum rebellium exercitu, ex seditione ventum ad arma, et ante prælium cum Romanis, Olonicum et alios belli incentores ab iis, quibus pax cordi erat, occisos: eorumque capita ostentata a reversis in castra, pavorem ceteris intulisse. At Gron. huc refert quod Flor. lib. II. cap. 17. scribit de Salondico, qui argenteam hastam quatiens, velut cœlo missam, et vaticinanti similis, Celtiberos ad ar-

Digitized by Google

LIB. XLIV.

Q. Marcius Philippus per invios[9] saltus penetravit in Macedoniam, compluresque urbes occupavit. Rhodii misere legatos Romam, minantes, se Perseo auxilio futuros,[10 a] nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam jungeret. Indigne id latum. Cum id bellum[11] L. Æmilio Paullo, sequentis anni consuli iterum, mandatum esset, Paullus, in concione precatus,[12 b] ut, quicquid diri populo Romano immineret, in[13] domum suam converteretur, et in Macedoniam profectus, vicit Persen, totamque[14] Macedoniam in potestatem redegit. Antequam confligeret, C. Sulpicius Gallus[c] tribunus militum prædixit exercitui, ne[15] miraretur, quod luna nocte proxima defectura esset: Gentius quoque rex Illyriorum, cum rebellasset, ab Anicio prætore victus, venit in deditionem, et[16] cum uxore et

9 Aberat ab edd. ante Sigon. vox *invios*.—10 *Ut Perseo essent auxilio* Gron. Doujat. 'Annotaverat Muretus hanc Epitom. valde sibi suspectam esse. Credo ob hunc ipsum locum, quem tamen sic tentat, *legatos Romam, ut Perseo essent auxilio, minantes populo Romano, nisi cum eo*.' J. F. Gron. Mox *conjungeret* Gron. Doujat.—11 Gnd. maj. *cum id belli*.—12 Vid. Nott. Varr. *Est* add. Gron. Doujat. post *precatus*.—13 *Supra* pro *in* Gron. Doujat.—14 *Universamque* eæd. cum Crev.—15 *Antequam confligeret, dixit exercitui, ne, &c.* edd. ante Sigon. et apud eum habent vett. libb. *quod luna defectura erat*.—16 Τὸ *et* omittunt Gron. Doujat. post *missus* delent *est* cum Crev. et cum

NOTÆ

ma concitavit: sed cum castra consulis adisset, pilo vigilis exceptus, finem bello ab ipsis initiis fecit. Hinc scribendum conjicit, *motus qui in Hispania ab Salondico*.

[a] *Minantes, se Perseo auxilio futuros* [*ut Perseo essent auxilio*] Lege ex Gudiano codice, quem Gronov. citat, *minantes se Perseo auxilio futuros, nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam jungeret*.

[b] *Paullus, in concione precatus*] Ea precatione Paullus in concione usus non est, priusquam in Macedoniam proficisceretur; sed, ut recte advertit Sigon. ejusmodi preces Paullus, victo Perseo rege, se concepisse narrat in concione habita post reditum, quæ habetur lib. proxime sequentis cap. 41. Qua de re vide Valer. Max. lib. v. cap. 10.

[c] *Antequam confligeret, C. Sulpicius Gallus, &c.*] Recte quoque hujus Sulpicii tribuni nomen inserit hoc loco Sigon. Hic enim C. Sulpicius eclipsin lunæ militibus prædixit, non Paullus; ut præter Livium, scribit etiam Valer. antea laudatus lib. VIII. cap. 11.

Digitized by Google

liberis et propinquis Romam missus est. Alexandria legati a Cleopatra et Ptolemæo regibus venerunt, querentes de Antiocho rege Syriæ, quod his [17] bellum inferret. Perses, solicitatis in auxilium Eumene rege Pergami et Gentio rege Illyriorum, quia his pecuniam, quam promiserat, non dabat, ab iis relictus est.

Crev. legunt *Ab Alexandria*.—17 *Eis* pro *his* Gron. Doujat. Crev. h. l. et inf. *Quod is bellum* edd. ante Sigon.

LIB. XLV.

Perseus ab Æmilio Paullo in Samothrace [18] captus est. Cum Antiochus, Syriæ rex, Ptolemæum et Cleopatram, Ægypti reges, obsideret, et missis ad eum a senatu legatis, qui juberent, ab obsidione socii regis absisteret,[19] editisque mandatis consideraturum se ille, quid faciendum esset, respondisset; unus ex legatis Popillius virga regem circumscripsit, jussitque, antequam circulo excederet, responsum daret.[20] [a] Qua asperitate effecit, ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium populorum ac regum in senatum admissæ. Rhodiorum, quia eo bello contra populum Romanum faverant,[1] exclusa. Postero die, cum de eo quæreretur, ut iis bellum indiceretur, causam in senatu patriæ suæ legati egerunt. Nec tanquam hostes, nec tanquam socii dimissi. Macedonia in provinciæ formam

18 *Samothracia* Gron. Doujat. Crev.—19 *Absistere* eæd.—20 Vid. not. Delph. inf.—1 'Quidam Mss. *fuerunt* et *fuerant* pro *faverant*; et *exclusæ*: sed unam tantum hoc tempore Rhodiorum legationem Romæ fuisse, licet constantem ex pluribus legatis, ex Liv. XLV. 25. patet.' *Drak.* *Fuerant* Gron.

NOTÆ

[a] *Jussitque, antequam circulo excederet, responsum daret*] Gron. ait, immo *dare*: sed tamen sine exemplo non est *daret*, quod vulgo editur: est enim idem ac jussit ut daret. Qua ratione apud Plaut. Menæch. act. v. sc. 2. 'Apello mihi ex oraculo imperat ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus.'

Digitized by Google

redacta est.[a b] Æmilius Paullus, repugnantibus militibus ejus[3] propter minorem prædam, et contradicente Ser. Sulpicio Galba, triumphavit, et Persen cum tribus filiis ante currum duxit. Cujus triumphi lætitia ne solida ei contingeret, duorum filiorum funeribus insignita est; quorum alterius mors patris triumphum præcessit, alterius secuta est. Lustrum conditum est a censoribus. Censa sunt civium capita trecenta duodecim millia octingenta quinque.[4] Prusias, Bithyniæ rex, Romam, ut senatui gratularetur ob victoriam ex Macedonia partam, venit, et Nicomedem filium senatui commendavit. Rex, plenus adulationis, libertum se populi Romani dicebat.

Doujat. Crev.—2 *Est* add. eæd.—3 *Suis* eæd.—4 Quidam Mss. *CCCXII. m. DCCCCV.* et *DCCCXCV.* ' De numero nunc nihil in Livio legitur: sed in eo hand dubie scribarum error est: certe mihi non apparet causa, cur nunc multo major fuerit, quam et superioribus et sequentibus lustris. Cf. XLII. 10. pr. et Epit. lib. XLI. XLVI. XLVII. XLVIII.' *Duk.*

NOTÆ

[b] *Macedonia in provinciæ formam redacta est*] Observat idem id non tunc contigisse, sed post victum Pseudo-Philippum, de quo in Epit libb. XLIX. et L.

LIB. XLVI.

Eumenes rex Romam venit:[5] qui quia Macedonico bello medium egerat, ne aut hostis[6] judicatus videretur, si exclusus esset, aut liberatus crimine, si admitteretur; in commune lex lata est,[7] ne cui regi Romam venire liceret. Claudius Marcellus consul Alpinos[8] Gallos, C. Sulpicius Gallus consul Ligures subegit. Legati Prusiæ regis conquesti sunt de Eumene, quod fines suos popularetur;[9]

5 ' Non venit Romam; sed cum Brundisium venisset, quæstor ad eum missus est cum SCto, quod, cum fama esset, eum Romam adventare, factum fuerat, quodque mox perperam *lex* dicitur.' *Duk.* Mox ' *Quia Maced. bello medium egerat;* ita Mss. Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. ut in Epit. LII. ap. Liv. v. Drak. qui etiam monet in aliis Mss. legi *se medium egerat;* [quod Gron. Doujat. Crev.]' *Rupert.*—6 *Inimicus* edd. ante Sigon.—7 *Lex in comitio lata est* edd. ante Sigon.—8 ' Barberinæ membranæ *consul Cisalpinos.* Forte *Inalpinos.*' J. F. Gron. Mox verbum *consul* post *Gallus* abest ab edd. ante

Digitized by Google

dixeruntque, eum conspirasse cum Antiocho contra populum Romanum. Societas cum Rhodiis deprecantibus juncta est. Lustrum a censoribus conditum est. Censa [10] sunt civium capita trecenta viginti septem millia viginti duo. Princeps senatus lectus M. Æmilius Lepidus. Ptolemæus Ægypti [11] rex, pulsus regno a minore fratre, missis ad eum legatis, restitutus est. Ariarathe Cappadociæ rege mortuo, filius ejus Ariarathes regnum accepit, et amicitiam cum populo Romano per legatos renovavit. Res præterea adversus Ligures et [12] Corsos et Lusitanos vario eventu gestas, et motus Syriæ, mortuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodum reliquerat, continet. Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore [13] Demetrius, Seleuci filius, qui Romæ obses fuerat, clam, quia non dimittebatur a Romanis, interemit; et ipse in regnum receptus. L. Æmilio Paullo, qui Persen vicerat, mortuo, tanta [14] ejus abstinentia fuit, ut, cum ex Hispania et ex Macedonia immensas opes retulisset, vix ex auctione ejus redactum sit, unde uxori ejus dos solveretur.[15] Pomptinæ paludes a Cornelio Cethego consule, cui ea provincia evenerat, siccatæ, agerque ex iis factus.

Sigon.—9 *Depopularetur* al.—10 Inseritur in edd. antt. vox *eo*. 'Forte ex Ms. Jac. Susii et Plut. Æmil. p. 275. leg. *CCCXXXVII.*' Pigh.—11 *Ægyptiorum* al. Mox *a minore fratre e regno pulsus* Gron. Donjat. Crev.—12 *Et* del. al.—13 *Ejus* inserunt al. cum vett. libb. ap. Sigon. Mox *qui Romam obses missus fuerat* Gron. Donjat. Crev. Deinde *minime dimittebatur* legitur in edd. ante Sigon. Post hæc verba excidisse vox *elapsus* Gronovio videtur. —14 *L. Æmilius Paullus . . . . mortuus, cujus tanta* Gron. Donjat. Crev.— 15 Quatuor membranæ, teste Gron. *immensas opes et spolia retulisset, vix ex auctione ejus redactum sit, unde uxori ejus dos solveretur.*

LIB. XLVII.

Cn. Tremellio tribuno plebis mulcta dicta est, quod cum M. Æmilio Lepido pontifice maximo injuriose contenderat; sacrorumque, quam magistratuum,[16] jus potentius

16 Ex emend. Gron. pro *sacrorumque magistratuum*, quod promit Sigon. ex

Digitized by Google

fuit. Lex de ambitu lata. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta triginta[17] octo millia, trecenta quatuordecim. Princeps senatus lectus Æmilius Lepidus. Inter Ptolemæos fratres, qui dissidebant, fœdus ictum, ut alter in Ægypto,[18] alter Cyrenis regnaret. Ariarathes, Cappadociæ rex, consilio Demetrii, regis Syriæ, et viribus pulsus regno, a senatu restitutus est. Missi a senatu, qui inter Masinissam et Carthaginienses de agro judicarent. C. Marcius consul adversus Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnavit: cum quibus bello confligendi causa fuit, quod Illyrios,[19] populi Romani socios, vastaverant; eandemque gentem Cornelius Nasica consul domuit. Q. Opimius consul Transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida, Antipolim et Nicæam, vastabant, subegit. Præterea res in Hispania a compluribus parum prospere gestas continet. Consules anno quingentesimo nonagesimo octavo ab Urbe condita magistratum, peractis comitiis[20] insequentisque anni consulibus creatis, inire cœperunt. Mutandi comitia causa fuit, quod Hispani rebellabant. Legati, ad disceptandum inter Masinissam et Carthaginienses missi, renuntiaverunt, vim navalis materiæ se Carthagine deprehendisse. Aliquot prætores, a provinciis avaritiæ nomine accusati, damnati sunt.[1]

vet. lib. cum antea legeretur *sacrorum quoque magistratuum.*—17 *Viginti* Gron. Donjat. Crev.—18 Cum Voss. et duo Gud. Pall. sine præpositione habent *Ægypto;* J. F. Gron. legend. putat *alter Ægypti.*—19 *Illyricos* edd. ante Sigon.—20 ' Post *comitiis* Pigh. ad a. 600. inserit *deposuere,* et deinde legit *consules creati inire cœperunt.* At Drak. post *creatis* excidisse putat *abdicarunt, et novi consules Cal. Jan.* vel *Cal. Jan.* ante *inire.* Consules certe eo die magistratum hoc anno iniisse, Chronica Cassiodori et Mariani Scoti docent.' *Rupert.*—1 *Quidam prætores . . . accusati et damnati sunt* edd. ante Sigon.

LIB. XLVIII.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta viginti quatuor millia. Semina tertii belli Punici referuntur. Cum in finibus Carthaginiensium ingens

Digitized by Google

Numidarum exercitus, duce Ariobarzane,[2] Syphacis nepote, diceretur esse, M. Porcius Cato suasit, ut Carthaginiensibus, cum Ariobarzanem, specie[3] contra Masinissam regem, sed re vera contra Romanos, accitum in finibus haberent, bellum indiceretur. Contradicente P. Cornelio Nasica, placuit, legatos mitti Carthaginem, qui specularentur quid ageretur. Castigato senatu Carthaginiensium, quod contra fœdus et[4] exercitum et navales materias haberent, pacem inter eos et Masinissam facere voluerunt, Masinissa agro, de quo lis erat, cedente. Sed Gisgo, Hamilcaris filius, homo seditiosus, qui tunc in magistratu erat, cum senatus pariturum se judicio legatis[5] dixisset, ita bellum adversus Romanos suadendo concitavit, ut legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit. Id nuntiantes infestum jam senatum Carthaginiensibus infestiorem fecerunt. M. Porcius Cato filii, in prætura mortui, funus tenuissimo, ut valuit, (nam pauper erat,) sumtu fecit. Andriscus, qui se Persei filium, regis quondam Macedoniæ, ingenti asseveratione mentiretur, Romam missus. M. Æmilius Lepidus, qui princeps senatus ab[6] sextis jam censoribus erat lectus, antequam exspiraret, præcepit filiis, lecto se strato sine linteis, sine purpura[7] efferrent; in reliquum funus ne plus, quam æris denos, consumerent: imaginum specie, non sumtibus, nobilitari magnorum virorum funera solere. De veneficiis quæsitum. Publicia[8] et Licinia, nobiles fœminæ, quæ viros suos consulares necasse[9] insimulabantur, cognita causa, cum prætori pro se vades dedissent,[10] cognatorum decreto necatæ sunt. Gulussa, Ma-

2 *Maximus Numidarum exercitus, Archobarzane duce* Gron. Doujat. Crev. —3 *Ut Carthaginiensibus, qui exercitum, specie, &c.* eæd.—4 *Et* del. eæd.—5 *Legatorum* eæd. Mox, *ut legatis quomin. viol. fugam explicuerit* edd. ante Sigon. Al. *expedierit.*—6 Deerat olim τὸ *ab.*—7 'Forte cum Jac. Periz. leg. *strato linteis sine purpura:* vix enim *lintea* tanti pretii fuisse videntur, ut se illis efferri Lepidus prohiberet.' *Drak.* Mox, '*Ne plus, quam æris denos:* in ed. Camp. et Mss. Berg. et Boend. *æris decies*, in aliis Mss. *æris deuncem, deunce, decas* et *decus;* quod probabat Gron. [et in textum recepit,] et pro *decussis* vel *decusse* positum censebat. Sed hanc pecuniæ summam nimis exiguam, illam nimis magnam videri, monet Drak.' *Rupert.*—8 *Poblicia* edd. ante Sigon.—9 Ex emend. Gron. cum antea legeretur *viros suos necasse*, aut *viros suos singulares nec.*—10 *Prædes vadesque dedissent* Gron. Doujat.

Digitized by Google

sinissæ filius, denuntiavit, Carthagine delectus agi, classem comparari, et haud dubium bellum strui. Cum Cato suaderet, ut iis bellum indiceretur, P. Cornelio Nasica dicente, nihil temere faciundum, placuit, decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Postumius Albinus consules, cum delectum severe agerent, nec quenquam gratia dimitterent, ab tribunis plebis, qui pro amicis suis vacationem impetrare non poterant, in carcerem conjecti sunt. Cum Hispaniense bellum, parum prospere aliquoties gestum, ita confudisset civitatem Romanam, ut ne ii quidem invenirentur, qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Æmilianus processit, et excepturum se militiæ genus, quodcumque imperaturum esset, professus est. Quo exemplo omnes ad studium militandi concitavit. L. Lucullus consul, qui M. Claudio Marcello successerat, cum lacessere omnes Celtiberiæ populi viderentur, Vaccæos [11] et Cantabros et alias adhuc incognitas nationes [12] in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus [13] Scipio Æmilianus, L. Paulli filius, Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum tribunus militum occidit; et in oppugnatione Intercatiæ urbis majus etiam [14] periculum adiit. Nam murum primus [15] transcendit. Ser. Sulpicius Galba prætor male adversus Lusitanos pugnavit. Cum legati ex Africa cum oratoribus Carthaginiensium et Gulussa Masinissæ filio redissent, dicerentque, et exercitum [16] se et classem Carthagine deprehendisse, perrogari sententias placuit. Catone et aliis principibus senatui suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exerci-

Crev. Conj. Gron. *prædictos vades dedissent;* aut *a prætore die dicta vades dedissent.* Mox quidam Mss. *nuntiavit*, et deinde *haud dubie bellum strui.*—11 *Consul cum Claudio Marcello, cui successerat, cum, &c.* Gron. Doujat. *Consul* (*Claudius Marcellus, cui successerat, pacasse omnes Celtiberiæ populos cum videretur*) *Vaccæos, &c.* Crev.—12 *Cantabros et alias regiones* tantum edd. ante Sigon.—13 ' Vox *Africanus* delenda, (ut et in Eplt. XLIX. c. 6.) quia nondum id cognomen habebat, aut certe, si per prolepsin excusanda, post *Scipio* ponenda est.' *Drak.*—14 *In expugnatione captæ urbis majus multo* edd. ante Sigon. *Majus multo* habent etiam Gron. Doujat. Crev.—15 *Omnium* add. eæd.—16 Vet. lib. apud Sigon. *dicerentque se, et exercitum.* Mox, *prorogari sententiam* edd. ante Sigon. *Perrogatis sententiis* conj. J. F. Gron.

Digitized by Google

tus, quod [17] P. Cornelius Nasica dicebat, nondum sibi justam causam belli videri, placuit, ut bello abstinerent,[18] si Carthaginienses classem exussissent, et exercitum dimisissent; sin minus, proximi consules de Punico bello referrent. Cum locatum a censoribus theatrum exstrueretur; P. Cornelio Nasica auctore, tanquam inutile et nociturum publicis moribus, ex senatus consulto destructum est, populusque aliquamdiu stans ludos spectavit. Carthaginienses cum adversus [19] fœdus bellum Masinissæ intulissent, victi ab eo, annos habente nonaginta [20] duos, et sine pulpamine mandere et gustare panem tantum solito, insuper Romanum bellum meruerunt.

Paulo inf. *senatus* pro *senatui* Gron. Doujat. Crev.—17 *Exercitus*. *Quia vero* Gron. Doujat. Crev.—18 *Abstineretur* Crev. *Desisteretur* Gron. Doujat.—19 *Tum adv.* edd. ante Sigon. *Adversum* Gron. Doujat. Crev.—20 'Potius *duodenonaginta*. V. Wessel. Obss. 1. 24. et ad Epit. L. c. 6.... In fine hujus Epit. addunt Exc. Pithœi, *Motus præterea Syriæ et bella inter reges gesta referuntur; inter quos motus Demetrius Syriæ rex occisus erat.*' Rupert. *Gustare cibum* edd. ante Sigon. et *tantummodo solito* Gron. Doujat. Crev.

LIB. XLIX.

Tertii Punici belli initium altero [1] et sexcentesimo anno ab Urbe condita, intra quintum annum, quam erat cœptum, consummati.[2] Inter M. Porcium Catonem et Scipionem Nasicam, quorum alter sapientissimus vir in civitate habebatur,[3] alter etiam vir optimus a senatu judicatus erat, diversis certatum sententiis est, Catone suadente bellum, et ut tolleretur delereturque Carthago,[4] Nasica dissuadente. Placuit tamen, quod contra fœdus naves haberent, quod exercitum extra fines duxissent, quod socio populi Romani et amico Masinissæ arma intulissent, quod filium ejus

1 'Alii pro *altero* h. l. conjiciunt *quarto*, alii *quinto* secundum Varronis, vel potius *tertio* secundum Catonis, Livii, et Dodwelli chronologiam.' *Rupert.*—2 Legebatur ante Sigon. *consummatum omnino est*; et *consummatur*.—3 *Quorum alterum sapientissimum virum in civ. habebant* edd. ante Sigon. Mox *alter optimus vir etiam* Gron. Doujat.—4 *Et ut omnino deleretur Carthago* edd. ante Sigon. Mox *placuit nihilominus* eæd. *Tamen eo quod* Gron. Doujat.

Digitized by Google

Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepissent,[5] bellum iis indici. Priusquam ullæ copiæ in naves imponerentur, Uticenses legati Romam venerunt, se suaque omnia dedentes. Ea legatio, veluti omen, grata patribus, acerba Carthaginiensibus fuit. Diti patri ludi ad Terentum,[6] ex præcepto librorum [Sibyllinorum,] facti; qui anno centesimo, primo Punico bello, quingentesimo et altero anno ab Urbe condita, facti erant. Legati triginta Romam venerunt, per quos se Carthaginienses dedebant. Catonis sententia pervicit, ut in decreto perstaretur, et ut consules quam primum ad bellum proficiscerentur. Qui ubi in Africam transierunt, acceptis, quos imperaverant, trecentis obsidibus et armis omnibusque instrumentis bellicis,[7] si qua Carthagine erant; tunc, cum ex auctoritate patrum juberent, ut in alium locum, dum a mari decem millia passuum, ne minus,[8] remotum, oppidum facerent, indignitate rei ad rebellandum Carthaginienses compulerunt. Obsideri oppugnarique cœpta est Carthago ab L. Marcio, M'. Manilio consulibus.[9] In qua oppugnatione cum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum cohortibus suis irrupissent, et ab oppidanis graviter cæderentur, a Scipione Africano[10] expliciti sunt; per quem et castellum Romanorum, quod nocte expugnabant,[11] paucis equitibus juvantibus, liberatum est; castrorumque, quæ Carthaginienses, omnibus copiis ab urbe pariter egressi, oppugnabant, liberatorum is ipse præcipuam gloriam tulit. Præterea, cum ab irrita oppugnatione Carthaginis consul

Crev.—5 *Minime recepissent* edd. ante Gron.—6 '*Ad Tarentum* perperam omnes Mss. et Zosim. lib. II. pr. Vocem *Sibyllinorum* uncinis inclusi, quia eam scripti codd. ignorant, et *libri* simpl. dici solent.' *Rupert.* Mox '*anno centesimo*; adde *ante*, aut lege *ante annum centesimum*: nam in Mss. est *annum centesimum* et *anno centesimo a primo P. bello.*' Gron. *Anno primo Punici belli quingentesimo, &c.* edd. ante Sigon.—7 Ex conj. Gron. cum in Barb. legeretur *publicis.* In Gron. Doujat. legitur *et armis omnibus, instrumentisque belli.* —8 *Dum procul a mari . . . nec minus* Gron. Doujat. Mox 'pro *facerent* cum Gron. leg. *transferrent*, aut ex nonnullis libris *in alio loco . . . remoto. ad rebellandum* ex Ms. Leid. recepi pro *ad bellandum.*' Rupert.—9 *L. Martio, L. Manlio consulibus* edd. ante Sigon.—10 Delendum τὸ *Africano* Gron. putat ut in Epit. præced. '*Æmiliano* Lov. 2. quod præferrem, si plures codd. id vellent.' *Drak.* *Orfitiano* Pal. 1. et Exc. Pith.—11 *Oppugnabant* Gron. Doujat.

Digitized by Google

(alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum duceret adversus Hasdrubalem, qui cum altera[12] manu iniquum saltum insederat, suasit primo consuli, ne tam iniquo loco confligeret. Victus deinde complurium, qui et prudentiæ ejus et virtuti invidebant, sententiis, et ipse saltum ingressus est; cumque, sicut prædixerat, fusus fugatusque esset Romanus exercitus, et duæ cohortes ab hoste obsiderentur, cum exiguis equitum turmis in saltum reversus, liberavit eas et incolumes reduxit. Quam virtutem ejus et Cato, vir promtioris[13] ad vituperandum linguæ, in senatu sic prosecutus est, ut diceret, 'reliquos, qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere;'[14] et populus Romanus eo favore complexus,[15] ut comitiis plurimæ eum tribus consulem scriberent, cum hoc per ætatem non liceret. Cum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui, in fidem populi Romani dediti, a Ser. Galba[16] in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. Extat oratio in Annalibus ejus inclusa. Q. Fulvius Nobilior, et sæpe ab eo[17] in senatu laceratus, respondit pro Galba; ipse quoque Galba, cum se damnari videret, complexus duos filios prætextatos et Sulpicii Galli[18] filium, cujus tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur. Extant tres orationes ejus, duæ adversus[19] Libonem tribunum plebis rogationemque ejus, habitæ de Lusitanis, una contra L. Cornelium Cethegum, in qua Lusitanos propter sese[20] castra habentes cæsos fatetur, quod compertum habuerit, equo atque homine suo ritu[1] immolatis, per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse. Andriscus quidam,

Mox *castrisque, quæ Carthaginiensee* edd. ante Sigon.—12 'Voss. *alia;* Exc: Pith. non male *ampla.*' Rupert.—13 *Multo* additur in edd. antt.—14 *Umbris militare, Scip. vigore* edd. ante Sigon. Gron. ex Hom. Od. x. 495. conj. *volitare* pro *militare*, non male, judice Rupert.—15 *Et illum complexus est*, quatuor voces pro una *complexus* edd. ante Gron. Mox *complures* aut *quam plurimæ* mavult Gron. et *juberent* pro *scriberent*. Deinde *minime liceret* edd. ante Sigon.—16 *Qui ex fœdere populo Romano dediti a Sergio Galba* edd. ante Sigon. Mox *in Gallia* Gron. Doujat. Crev. improb. Drak.—17 *Etiam ab eo* edd. ante Sigon.—18 Ex emend. Gron. pro vulgat. *Cæii Sulpic.* in edd. priorr.—19 *Adversum* Gron. Doujat. Crev.—20 Vet. lib. apud Sigon. *prope se.*

Digitized by Google

ultimæ sortis homo, Persei regis se filium ferens et mutato nomine Philippus vocatus, cum ab urbe Romana,[2] quo illum Demetrius Syriæ rex ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugisset, multis ad falsam ejus fabulam,[3] velut ad veram, coëuntibus, contracto exercitu, totam Macedoniam aut voluntate incolentium, aut armis occupavit. Fabulam autem talem[4] finxerat. Ex pellice se et[5] Perseo rege ortum, traditum educandum Cretensi cuidam esse, ut in belli casus, quod ille cum Romanis gereret,[6] aliquod velut semen regiæ stirpis extaret. Perseo demortuo, Adramyttei[7] se educatum usque ad duodecimum annum ætatis, patrem eum esse credentem, a quo educaretur, ignarum generis fuisse sui. Affecto deinde eo, cum prope ad[8] vitæ finem ultimum esset, detectam tandem ibi originem suam, falsæque matri libellum datum, signo Persei regis signatum, quem sibi traderet, cum ad puberem ætatem venisset; obtestationesque ultimas adjectas, ut res in occulto ad id tempus servaretur. Pubescenti libellum traditum:[9] in quo relicti sibi duo thesauri a patre dicerentur. Tum scientem mulierem subditum se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus; atque obtestatam, ut prius, quam manaret ad Eumenem res, Perseo inimicum, excederet iis locis, ne interficeretur. Eo se exterritum, simul sperantem aliquod a Demetrio auxilium, in Syriam se contulisse; atque ibi primum, quis esset,[10] palam expromere ausum.

1 Deerat ante Sigon. vox *ritu*.—2 *Roma* et *Romam* al.—3 *Famam* quidam Mss. et mox *euntibus* pro *coëuntibus*.—4 *Hujusmodi* Gron. Doujat. Crev.—5 Ante Sigon. deerat *et*. Mox *Cyrthesæ* pro *Cretensi* edd. ante Sigon. qui veterem lectionem promit et probat *Cretæ se*.—6 *Ageret* edd. ante Sigon. prob. Gron.—7 *Adramytti* Gron. Doujat. Crev. Mox deerat ante Sigon. τὸ *eum*.—8 In Doujat. Crev. deest τὸ *ad*: in Gron. legitur *quum prope ultimum finem vitæ esset*. Mox '*detectam tandem ibi*, tum *originem suam falsæ matri et libellum datum* malebat Drak. qui et *ibi* pro *sibi* dedit ex emend. Jac. Periz.' *Rupert*.—9 *Tradidit* edd. ante Sigon. Mox *mulierem se subditum esse* Gron. *tum in scientem mulierem subditilium se esse* Doujat. ex ed. Ven. a. 1498. *Scienti* multi Mss. prob. Drak.—10 *Quis ipse omnino esset* edd. ante Sigon.

Digitized by Google

LIB. L.

Thessalia, cum et illam invadere armis atque occupare Pseudophilippus vellet, per legatos Romanorum auxiliis Achæorum defensa est. Prusias rex Bithyniæ, omniumque humillimorum vitiorum,[11] a Nicomede filio, adjuvante Attalo rege Pergami, occisus est. Habebat alium filium, qui, pro superiore ordine dentium, enatum habuisse unum os continens dicitur. Cum tres legatos[12] ad pacem inter Nicomedem et Prusiam faciendam Romani misissent, et unus ex iis multis cicatricibus sparsum[13] caput haberet, alter pedibus æger esset, tertius ingenio socors haberetur; dixit Cato, eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habere. In Syria, quæ eo tempore stirpe generis parem Macedonum regi,[14] inertia socordiaque similem Prusiæ regem habebat, jacente eo in ganea et lustris, Ammonius regnabat; per quem et amici omnes regis, et Laodice regina, et Antigonus, Demetrii filius, occisi. Masinissa, Numidiæ rex, major nonaginta annis decessit, vir insignis. Inter cetera opera juvenilia, quæ ad ultimum edidit, adeo, etiam versus in senectam, viguit, ut post sextum et octogesimum annum filium genuerit.[15] Inter tres liberos ejus, maximum natu Micipsam, Gulussam, Mastanabalem, qui etiam Græcis literis eruditus erat, P. Scipio Æmilianus (cum commune eis pater regnum reliquisset, et dividere eos arbitro[16] Scipione jussisset) partes administrandi regni divisit. Item

11 '*Omnium humilius morum atque vitiorum* Ms. Gud. prob. Gron. si *humilium* legatur. Quædam edd. addunt *fautor*.' Rupert. Mox *Attalo rege, Pergami occisus est* distinx. Gron. Doujat. Deinde *alterum* pro *alium* Gron. Doujat. Crev.—12 '*Tres legatos* pro *legatos* [quod reliq. edd.] recepi e c. Lov. 2. quod firmari aliis Mss. qui *in legatos* et *inde* (in) *legatos* præferunt, jam monuit Drak.' *Rupert.*—13 '*Sparsum* Lov. 2. et edd. tantum non omnes. In reliquis Mss. *plenum pene desertum, fractum, sarsum*, et *farsum*, quod recepit Sigon.' *Rupert.*—14 'Ita Ms. Leid. et Delrii, quos secutus sum, nec aliter Voss. Berg. Boend. et Lov. 2. nisi quod *pacem* habent. Male vulgo legitur *ex stirpe generis Persei, regis Macedonum;* [quod reliq. edd.] et nostra emendatio, quam etiam Delrius, Crev. et Drak. probarunt, verisimilior quam Gronoviana, *ex stirpe generis incerti, inertia cet.*' Rupert.—15 *Genuerit unum filium* edd. ante Sigon. Mox emd. del. *ejus*.—16 *Arbitrio* edd. ante Sigon. Mox edd. ante

Digitized by Google

Phamææ Himilconi, præfecto equitum Carthaginiensium, viro forti et cujus præcipua opera Pœni utebantur, persuasit, ut ad Romanos cum equitatu suo transiret.[17] Ex tribus legatis, qui ad Masinissam missi fuerant, Claudius Marcellus, coorta tempestate, fluctibus obrutus est. Carthaginienses Hasdrubalem, Masinissæ nepotem, quem prætorem habebant, proditionis suspectum, in curia occiderunt:[18] quæ suspicio inde emanavit, quod propinquus esset Gulussæ, Romanos auxilio juvantis.[19] P. Scipio Æmilianus, cum ædilitatem peteret, consul a populo dictus, quoniam per annos consulem fieri non licebat,[20] cum magno certamine suffragantis plebis,[1] et repugnantibus aliquamdiu patribus, legibus solutus et consul creatus est. M'. Manilius aliquot[2] urbes circumpositas Carthagini expugnavit. Pseudophilippus in Macedonia, cæso cum exercitu P. Juventio prætore, a Q. Cæcilio victus captusque est, et recepta Macedonia.[3]

Gron. *administrationem reg. div.* Deinde *Phaniæ* edd. ante Sigon.—17 *Suasit cum eq. suo ad Rom. transire* eæd.—18 *Interemerunt* Gron. Doujat. Crev.—19 '*Romanos auxilio juvantis* Exc. Pithœi, unde recepi pro vulg. *Romanorum auxilia juvantis.* [Quod Gron. Doujat. Drak. Crev.]' *Rupert.*—20 'Ita omnes Mss. et edd. ante Mogunt. quæ *decem* ante *annos* inseruit. *consuli* malebat Gron.' *Rupert.*—1 *Maximo cert. suffragantibus plebeiis* Gron. Doujat. Crev. Mox *aliquantulum* edd. ante Sigon.—2 *Nonnullas* eæd.—3 Ex emend. Sigon. cum esset *captusque relicta Macedonia.* Suspicatur Gron. legendum *et redacta in provinciam Macedonia.*

LIB. LI.

Carthago, in circuitu millia viginti tria passuum[4] patens, magno labore obsessa et per partes capta est, primum a Mancino legato, deinde a Scipione consule, cui extra sortem provincia Africa data erat.[5] Carthaginienses, portu novo (quia vetus obstructus a Scipione erat) facto et contracta clam[6] exiguo tempore ampla classe, infeliciter navali prælio pugnaverunt. Hasdrubalis quoque ducis eo-

4 *Viginti tria millia passus* Gron. Doujat. Vid. Nott. Varr.—5 *Data est* edd.

Digitized by Google

rum castra, ad Nepherim[7] oppidum loco difficili sita, cum exercitu deleta sunt a Scipione; qui tandem urbem expugnavit septingentesimo anno, quam erat condita. Spoliorum major pars Siculis, quibus ablata erant, reddita. Ultimo urbis excidio, cum se Hasdrubal Scipioni dedidisset, uxor ejus, quæ paucis ante diebus de marito impetrare non potuerat,[8] ut ad victorem transfugerent, in medium se flagrantis urbis incendium, duobus cum liberis, ex arce præcipitavit. Scipio exemplo patris sui naturalis,[9] Æmilii Paulli, qui Macedoniam vicerat, ludos fecit, transfugasque ac fugitivos bestiis objecit. Belli Achaici semina referuntur hæc: quod legati populi Romani ab Achaicis[10] pulsati sint Corinthi, missi, ut eas civitates, quæ sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent.

ante Sigon.—6 Carent edd. antt. verbo *clam.*—7 *Nesentem* edd. ante Sigon. Mox *difficillimo* Gron. Doujat. Crev.—8 *Maxime impetrare potuerat* edd. ante Sigon. Mox *transfugeret* Gron. Doujat. Crev.—9 *Naturalis* deerat ante Sigon. Mox *transfugas ac* legebatur ante Sigon.—10 *Ab Achæis* legendum vult Gron. Mox '*pulsati sint Corinthi, missi est.* ita pro *Corinthum missi* a vestigiis Mss. primus edidit Jac. Gron. monens, in eo emphasin esse, ibi id facinus patratum, quæ urbs inde exitium merita. Sed vulgatæ lect. [nempe *pulsati sint; Corinthum missi*] idem sensus est.' *Rupert.*

LIB. LII.

Cum Achæis, qui in auxilio Bœotos[11] et Chalcidenses habebant, Q. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello[12] conflixit: quibus victis, dux eorum Critolaus veneno sibi mortem conscivit. In cujus locum Diæus,[13] Achaici motus primus auctor, ab Achæis dux creatus, ad Isthmon a L. Mummio consule victus est; qui, omni Achaia in deditionem accepta, Corinthon ex senatus consulto diruit, quia ibi legati Romani[14] violati erant. Thebæ quoque et Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ. Ipse L.[15] Mummius abstinentissimum virum egit; nec quicquam ex iis opibus or-

11 *Bœotios* edd. ante Sigon.—12 *Bello* ab ed. Gron. abest.—13 *Dracus* edd. ante Sigon.—14 *Romanorum* edd. ante Sigon.—15 Vet. lib. apud Sigon.

Digitized by Google

namentisque, quæ prædives Corinthos habuit, in domum ejus pervenit. Q. Cæcilius Metellus de Andrisco triumphavit; P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus[16] de Carthagine et de Hasdrubale. Viriathus in Hispania primum ex pastore venator, ex venatore latro, mox justi quoque exercitus dux factus, totam Lusitaniam occupavit; M. Vetilium[17] prætorem, fuso ejus exercitu, cepit: post quem C. Plautius prætor nihilo felicius rem gessit: tantumque terroris[18] is hostis intulit, ut adversus eum consulari opus esset et duce et exercitu. Præterea motus Syriæ et bella inter reges gesta referuntur. Alexander, homo ignotus et incertæ stirpis, occiso (sicut ante dictum est) Demetrio rege, in Syria regnabat. Hunc Demetrius, Demetrii filius, qui a patre quondam ob incertos belli casus ablegatus Gnidon fuerat, contemta socordia inertiaque ejus, adjuvante Ptolemæo Ægypti rege, cujus filiam Cleopatram in matrimonium acceperat, bello interemit. Ptolemæus, in caput graviter vulneratus, inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, exspiravit, atque in locum ejus[19] frater minor Ptolemæus, qui Cyrenis regnabat, successit. Demetrius ab crudelitatem, quam per tormenta in suos exercebat, a Diodoto quodam, uno ex subjectis, qui Alexandri[20] filio, bimulo admodum, regnum asserebat, bello superatus, Seleuciam confugit. L. Mummius de Achæis triumphavit: signa ærea marmoreaque et tabulas pictas in triumpho tulit.

caret prænomine *L.* Mox al. *se virum.*—16 *P. Corn. Sc. Æmil. Af.* Gron. *P. Corn. Af. Sc. Æmil.* Doujat. Suspicatur Gron. verba *P. Corn. Af.* ex margine irrepsisse. Mox *τὸ de* ante *Hasd.* ignorant Gron. Doujat. Crev.—17 *Vitilium* Gron. Doujat.—18 *Terrorem* eæd. cum Crev.—19 ' Voss. et Gud. *conantur, expiravit. In locum ejus.*' J. F. Gron.—20 *Demetrius ob crud., quam exercebat per tormenta, invisus subjectis, a Diodoto quodam, qui Alexandri cet.* emend. Gron. *A Diodoro quodam* edd. ante Sigon.

LIB. LIII.

Ap. Claudius consul Salassos, gentem Alpinam, domuit. Alter Pseudophilippus in Macedonia a L. Tremellio quæ-

Digitized by Google

store cum exercitu cæsus est. Q. Cæcilius Metellus proconsul Celtiberos cecidit. A Q. Fabio proconsule pars magna [1] Lusitaniæ, expugnatis aliquot urbibus, recepta est. C. Julius senator Græce res Romanas scribit.

1 *Maxima* Gron. Doujat. Crev. *Partem magnam* Voss.

LIB. LIV.

Q. Pompeius consul in Hispania Termestinos subegit: cum eisdem et Numantinis pacem ab infirmitate [3] fecit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa civium capita trecenta [4] viginti octo millia, quadringenta quadraginta duo. Cum Macedonum legati conquestum de D. Junio Silano prætore [5] venissent, quod acceptis pecuniis provinciam spoliasset, et senatus de querelis eorum vellet cognoscere; T. Manlius Torquatus, pater Silani, petiit impetravitque, ut sibi cognitio mandaretur, et, domi causa cognita, filium condemnavit abdicavitque; ac ne funeri quidem ejus (cum suspendio vitam finisset) interfuit; sedensque domi potestatem consultantibus [6] ex instituto fecit. Q. Fabius proconsul rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit, pace cum Viriatho æquis conditionibus facta. Viriathus a proditoribus, consilio Servilii Cæpionis, interfectus est,[7] et ab exercitu suo multum comploratus ac nobiliter sepultus;[8] vir duxque magnus, et per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superior.

3 ‘Exc. Pith. et Norv. atque edd. ante Grut. *ob infirmitatem.* Utrumque nugatorium est, et forte leg. *pacem improbante po. Ro. fecit*, vel potius *pacem a p. Ro. infirmatam fecit.*’ Gron.—4 *Quadringenta* edd. ante Sigon. Mox *trecenta* pro *quadringenta* Gron. Doujat. Crev.—5 *Romam* add. Gron. *Conquestum venissent de D. Junio Silano prætore* Doujat. Crev. *De Junio Syllano* edd. ante Sigon.—6 ‘*Consulentibus* Exc. Pith. quod præfero: nam ‘consultare JCtos,’ pro consilium ab iis petere, vix credo usquam alibi legi.’ *Duk.*—7 *Interemptus est* Gron. Doujat. Crev. Mox *ab exercitu ejus multum imploratus* edd. ante Sigon.—8 *Nobilissime tumulatus* Gron. Doujat. Crev. Mox, *magnus, per quatuordecim* edd. ante Sigon.

Digitized by Google

LIB. LV.

P. Cornelio Nasica, cui cognomen Serapion[9] fuit ab irridente Curiatio tribuno plebis impositum, et D. Junio Bruto consulibus delectum habentibus, in conspectu tironum res saluberrimi exempli facta est: nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque sub furca diu virgis cæsus est, et sestertio nummo veniit. Tribuni plebis, quia non impetrarent,[10] ut sibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, consules in carcerem duci [11] jusserunt. Junius Brutus consul in Hispania iis, qui sub Viriatho militaverant, agros et oppidum [12] dedit, quod Valentia vocatum est. M. Popillius a Numantinis, cum quibus pacem factam senatus irritam fieri [13] censuerat, cum exercitu fusus fugatusque est.[14] C. Hostilio Mancino consule sacrificante, pulli ex cavea avolaverunt.[15] Conscendenti deinde navim, ut in Hispaniam proficisceretur, accidit vox, 'Mane, Mancine!' [16] quæ auspicia tristia fuisse, eventu probatum est. Victus enim a Numantinis et castris exutus, cum spes nulla servandi exercitus esset, pacem cum eis fecit ignominiosam, quam ratam esse senatus vetuit. Triginta millia Romanorum a Numantinorum millibus quatuor victa erant. D. Junius Lusitaniam, triginta urbium expugnationibus, usque ad occasum et oceanum perdomuit; et, cum fluvium Oblivionem [17] transire nollent milites, ereptum signifero signum ipse transtulit, et sic, ut transgrederentur persuasit.[18] Alexandri filius,[19] rex Syriæ, decem annos ad-

9 Al. *Serapio* et *Serapioni*. Mox, *Curatio* malit Sigon.—10 *Impetrarunt* edd. ante Sigon. *impetrarant* Gron. Doujat. Crev.—11 *Mitti* olim legebatur. Vid. Nott. Varr.—12 *Oppidumque* Gron. Doujat. Crev.—13 Ignorant quæd. edd. *τὸ fieri*.—14 *Τὸ est* del. Gron. Doujat. Crev.—15 '*Avolaverunt* e duobus Mss. recepi pro vulg. *evolaverunt*: nam portentum in eo est, quod aufugiunt, non quod in altum volant.' *Rupert*. Mox, *in navim* Gron. Doujat. Crev.—16 *Accidit audiri* '*Mane Mane Mancine*' Gron. Doujat. Crev. *Mancino aus. trist. f. probat. est* edd. ante Sigon.—17 '*Oblivionem* (qui et *Limæas*, *Limeas*, *Limia*, *Limius* et nunc *Lima* vocatur: sed forte leg. *fluvium Oblivionis*, quia sic aliis, et Græcis ὁ τῆς Λήθης, dicitur).' *Rupert*.—18 Vet. lib. apud Sigon. *Transgrederentur milites persuasit*.—19 'Videtur omissum nomen pueri, *Antio-*

Digitized by Google

modum habens, a Diodoto, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est, corruptis medicis,[20] qui, eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant, occiderunt.

chus, Alexandri filius.' J. F. Gron. Mox '*decem annos admodum habens:* sed in Epit. LII. extr. *bimulus admodum* dicitur. Difficultas hæc tolletur, si cum Delrii cod. *puero admodum* pro *bimulo a.* in Epit. LII. scribere liceat.' *Drak.* Deinde *Diodoro* edd. ante Sigon.—20 *Corruptis quidem medicis* eæd. Mox *ipsum* pro *eum* Gron. Doujat. Crev.

LIB. LVI.

D. Junius Brutus in Hispania ulteriore feliciter adversus Gallæcos[1] pugnavit. Dissimili eventu M. Æmilius Lepidus proconsul adversus Vaccæos rem gessit, clademque similem Numantinæ passus est. Ad exsolvendum Numantini fœderis religione populum, Mancinus, cum hujus rei auctor fuisset, deditus Numantinis, non est receptus. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta viginti tria millia, nongenta viginti tria.[2] Fulvius Flaccus consul Vardæos in Illyrico subegit. M. Cosconius[3] prætor in Thracia cum Scordiscis prospere pugnavit. Cum bellum Numantinum vitio ducum non sine pudore publico duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque Romano consulatus; quem cum illi capere ob legem, quæ vetabat, quenquam[4] iterum consulem fieri, non liceret, sicuti priori consulatu, legibus solutus est. Bellum servile, in Sicilia ortum, cum opprimi a præ-

1 '*Callaicos* aut *Callæcos* scribendum pro *Gallæcos*, quoniam et Græcis vocantur Καλλαϊκοὶ vel Καλλαίκοι, et ita ab opp. *Calle* dicti creduntur. Nomen hoc corruptum videtur, ex quo regio eorum Gallæcia seu Gallicia appellari cœpit.' *Rupert.*—2 Tà *nongenta viginti tria* desunt in Gron. Doujat. Crev. Drak. &c. '*Nongenta viginti tria:* hæc verba, quæ ob numeri præc. similitudinem exciderunt, adjeci e tribus Mss. Possis et e tribus aliis substituere n. *triginta tria.*' Rupert.—3 *Cæsonius* edd. ante Sigon. Mox pro *duraret* forte legendum putat Gron. *duceretur.*—4 'Pleræque edd. vett. perperam post *quenquam* inseruere *intra decem annos:* nam Mss. fere omnes ignorant hæc verba, et XII. anni interjecti sunt inter priorem et hunc Scipionis consu-

Digitized by Google

toribus non potuisset, C. Fulvio consuli mandatum est. Hujus belli [5] initium fuit Eunus servus, natione Syrus, qui, contracta agrestium servorum manu et solutis ergastulis, justi exercitus numerum implevit. Cleon [6] quoque, alter servus, ad septuaginta millia servorum contraxit; et, copiis junctis, contra populum Romanum exercitumque [7] ejus bellum sæpe gesserunt.

latum.' *Rupert.*—5 *Cujus belli* edd. ante Sigon.—6 *Cleo* Gron.—7 'Brevius uterque Pall. *adversus exercitum Romanum;* quod verius putarim.' *Gruter.* Mox, *sæpenumero gesserunt* edd. ante Sigon.

LIB. LVII.

Scipio Africanus Numantiam obsedit, et corruptum licentia luxuriaque exercitum ad severissimam [8] militiæ disciplinam revocavit. Omnia deliciarum instrumenta recidit; duo millia scortorum a castris ejecit; [9] militem quotidie in opere habuit, et triginta dierum frumentum ad [10] septenos vallos ferre cogebat: ægre propter onus incedenti dicebat, 'Cum gladio te [11] vallare scieris, vallum ferre desinito.' Alii, scutum parvum habiliter ferenti, scutum [12] amplius justo ferre jussit; neque id se reprehendere, quando melius scuto, quam gladio, uteretur. Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, fustibus [13] cecidit. Jumenta omnia, ne exonerarent militem, vendidit. Sæpe adversus eruptiones hostium [14] feliciter pugnavit. Vaccæi obsessi, liberis conjugibusque trucidatis, ipsi se interemerunt. Scipio amplis-

8 *Generosissimam* edd. ante Sigon.—9 *Rejecit* eæd. 'Τὸ *a* quidam Mss. ignorant, sed defendit Drak.' *Rupert.* Mox *omni die* pro *quotidie* edd. ante Sigon.—10 *Ac* pro *ad* legitur in vet. lib. apud Sigon.—11 *Recte* pro *te* legebatur ante Sigon.—12 Ex emend. Gruter. cum antea legeretur, *alii, nimirum parum habiliter scutum ferenti, eum scutum,* emend. Sigon. *alii nimis habiliter parvum scutum tenenti.* 'Forte cum Periz. leg. *alio ferente,* aut cum Drak. *alio ferente amplius eum scutum* (ita tres Mss.) *jussit ferre,* aut cum Gron. *alium ferentem.*' Rupert. Mox, *neque id reprehendere* emend. Periz. Vid. Nott. Varr. Deinde *quoniam* pro *quando* legebatur ante Sigon.—13 *Virgis* edd. ante Sigon.—14 *Contra hostium eruptiones* edd. ante Sigon. Mox *et con-*

Digitized by Google

sima munera, missa sibi ab Antiocho rege Syriæ, cum cetera aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit, omniaque ea [15] referre quæstorem in publicas tabulas jussit; ex iis se viris fortibus dona daturum. Cum undique Numantiam obsidione claussisset, et obsessos fame videret urgeri; hostes, qui pabulatum [16] exierant, vetuit occidi; quod diceret, velocius eos absumturos frumenti quod [17] haberent, si plures fuissent.

jugibus Gron. Doujat. Crev.—15 *Eaque omnia* edd. ante Gron.—16 *Videret urgeri hostes; qui pab.* Gron. Crev. Mox, *interimi* pro *occidi* eæd. cum Doujat.—17 *Absumpturos frumentum, quod, &c.* edd. ante Gron. Mox *quidem* ante *fuissent* scribunt edd. ante Sigon.

LIB. LVIII.

Ti. Sempronius Gracchus tribunus plebis, cum legem agrariam ferret adversus voluntatem senatus et equestris ordinis, 'ne quis ex publico agro plus, quam quingenta jugera, possideret,' [18] in eum furorem exarsit, ut M. Octavio collegæ, causam diversæ partis defendenti, potestatem lege lata abrogaret, seque et Gracchum fratrem [19] et Ap. Claudium socerum triumviros ad dividendum agrum crearet. Promulgavit et aliam legem agrariam, qua sibi latius agrum patefaceret,[20] 'ut iidem triumviri [1] judicarent, qua publicus ager, qua privatus esset.' Deinde, cum minus agri esset, quam quod dividi posset sine offensa etiam plebis,

18 '*Ne quis ex agro publico plus, quam D jugera, possideret;* quod vix credo Livium scripsisse: nam Ti. Gracchus referebat veterem legem Liciniam: (v. Liv. VI. 35. sq.) ea autem nullam *agri publici* mentionem faciebat, sed vetabat, *ne quis plus quingenta jugera possideret*, i. e. in universum quingenta, sine discrimine publicus, an privatus ager esset.' *Duk.* improb. Rupert. quem vid. *X.* vel *C. jugera* h. l. legitur in omnibus Mss. et edd. ante Sigon.—19 Vet. lib. apud Sigon. *et fratrem Caium.*—20 'Duo Mss. et edd. ante Grut. post. *qua si quis latius a. p.*, et Sigon. de Ant. Jur. Ital. II. 2. habet, *ut, si quis latius a. p.* i. e. ultra modum lege finitum agrum proferret. Hæc videtur esse sententia: nec tamen probatos scriptores Latinos ita loqui scio.' *Duk.* Vel *patefecit* vel *quo sibi* legendum censet Gron.—1 *Omnino* additur in edd. ante Sigon. Mox *qui*...*qui* pro *qua*...*qua* Rupert. conj. ex ed. Camp.

Digitized by Google

(quoniam eos ad cupiditatem amplum modum sperandi[2] incitaverat,) legem se promulgaturum ostendit, 'ut iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quæ regis Attali fuisset, divideretur.' Hæredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignitatibus[3] commotus graviter senatus, ante omnes T. Annius consularis, qui, cum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum delatusque plebi, rursus in eum pro rostris concionatus est. Cum iterum tribunus plebis creari vellet Gracchus, auctore P. Cornelio Nasica, in Capitolio ab optimatibus[4] occisus est, ictus primum fragmentis subselliorum, et inter alios, qui in eadem seditione occisi erant, insepultus in flumen projectus. Res præterea in Sicilia vario eventu adversus fugitivos gestas continet.

—2 *Ad cupiditatem amplam modo sperandi* edd. ante Gron. Mox post *ostendit* add. *ob id* edd. ante Sigon.—3 Ex emend. Gron. pro *indignationibus* in edd. priorr. Mox '*T. Annius cos.* ita IV. Mss. et *T. Amnius* Voss. de quo T. Annio v. Plut. Gracch. p. 831. Hinc recte pro *C.* vel *A.* vel *M. Antonius consul*, quæ alii scripti et editi libri præferunt, Drak. substituit *T. Annius consularis*, ut sit T. Annius, qui a. U. 600. consul fuit; nisi ex Festo v. 'Satura' leg. *T. Annius Luscus.* Idem monet, Sigon. male emendasse *P. Mucius* (Scævola) *consul*, [quod Gron. Doujat. Crev.] quem, occiso demum Graccho, ex somno quasi excitatum dicunt Cic. p. Domo 34. p. Planco 36. Val. Max. III. 2. 7. Aur. Vict. de Viris Ill. c. 64.' *Rupert.*—4 *A primatibus* edd. ante Sigon.

LIB. LIX.

Numantini, fame coacti, ipsi se per vicem[5] tradentes trucidaverunt. Captam urbem Scipio Africanus delevit, et de ea triumphavit, quartodecimo anno post Carthaginem deletam. P. Rupilius[6] consul in Sicilia cum fugitivis debellavit. Aristonicus, regis Eumenis filius, Asiam occupavit, cum, testamento Attali regis delata[7] populo Romano, libera esse deberet. Adversus eum P. Licinius Crassus consul, cum idem pontifex maximus esset, (quod nun-

5 Malit Drak. *in vicem.* Post *vicem* scribunt *tradentes* edd. ante Sigon.—

Digitized by Google

quam antea factum erat,) extra Italiam profectus, prælio victus et occisus est.[8] M. Perperna[9] consul victum Aristonicum in deditionem accepit. Q. Pompeius et Q. Metellus, tunc primum uterque ex plebe facti censores, lustrum condiderunt. Censa sunt civium capita trecenta septemdecim[10] millia, octingenta viginti tria, præter pupillos et viduas. Q. Metellus censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores liberorum creandorum causa. Extat oratio ejus, quam Augustus Cæsar, cum de maritandis ordinibus ageret, velut in hæc tempora[11] scriptam in senatu recitavit. C. Atinius Labeo tribunus plebis Q. Metellum censorem, a quo in senatu legendo præteritus erat, de saxo dejici[12] jussit: quod ne fieret, ceteri tribuni plebis auxilio[13] fuerunt. Cum Carbo tribunus plebis rogationem tulisset, ut eundem tribunum plebis, quoties vellet, creare[14] liceret; rogationem ejus P. Africanus gravissima oratione dissuasit; in qua dixit, 'Ti. Gracchum jure cæsum videri.' Gracchus[15] contra suasit rogationem; sed Scipio tenuit. Bella inter Antiochum Syriæ et Phraatem Parthorum regem gesta, nec magis quietæ res Ægypti referuntur. Ptolemæus, Evergetes cognominatus, ob nimiam[16] crudelitatem suis invisus, incensa a populo regia, clam Cypron profugit; et, cum sorori ejus Cleopatræ, quam (filia ejus virgine per vim compressa, atque in matrimonium ducta) repudiaverat, regnum a populo datum esset, infensus filium, quem ex illa habebat, Cypri occidit, caputque ejus et manus et pedes matri misit. Seditiones a triumviris Fulvio Flacco et C. Graccho et C. Papirio[17] Carbone, agro dividendo creatis, excitatæ: quibus cum P. Scipio Africanus adversaretur, fortisque ac validus de die[18] domum se recepisset, mortuus

6 Ex emend. Sigon. pro *P. Atilius*.—7 Al. *legata*.—8 *Interemptus est* Gron. Doujat. Crev.—9 *Perpenna* edd. ante Sigon.—10 Malit Sigon. *trecenta sexaginta octo*. Habent al. *trecenta tredecim*.—11 *Eo tempore* edd. ante Sigon.—12 Grutero videtur spuria vox *dejici*: et omnino h. l. stultissima ed. vulg.—13 *Quam maxime* add. edd. ante Sigon.—14 *Plebis*... *creari* Gron. Doujat. Crev. *Plebis* et Drak.—15 *C. Gracchus* emend. Gron.—16 *Suam* add. edd. ante Sigon. Mox *in Cypron* ante Gron. legebatur.—17 Deest in Gron. Doujat. et al. nomen *Papirio*. Mox ante Sigon. præponebatur τῷ *agro* verbum *de*.—18 *Pridie* omnes fere Mss. et edd. ante Crev. Roëll. conj. *eo*

Digitized by Google

in cubiculo inventus est. Suspecta fuit, tanquam ei venenum dedisset, Sempronia uxor, hinc maxime, quod soror esset Gracchorum, cum quibus simultas Africano fuerat. De morte tamen ejus nulla quæstio acta. Eo [19] defuncto, seditiones triumvirales acrius exarserunt. C. Sempronius consul contra Iapydas primo rem male gessit: mox victoria cladem acceptam emendavit virtute D. Junii Bruti, ejus, qui Lusitaniam subegerat.

die.—19 *Quo* pro *eo* legebatur ante Sigon.

LIB. LX.

L.[20] Aurelius consul rebellantes Sardos subegit. M. Fulvius Flaccus primus Transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium [1] Massiliensibus adversus Salluvios Gallos, qui fines Massiliensium populabantur. L. Opimius prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit. Pestilentia in Africa ab ingenti locustarum multitudine [2] et deinde necatarum strage fuisse traditur. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta nonaginta millia septingenta [3] triginta sex. C. Gracchus, Tiberii frater, tribunus plebis, eloquentior quam frater, perniciosas aliquot leges tulit; (inter quas frumentariam, 'ut semisse et triente frumentum plebi daretur:' alteram legem agrariam, quam et frater ejus tulerat: tertiam, qua equestrem ordinem, tunc cum senatu consentientem, corrumperet, 'ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur,[4] et, quia illis temporibus

20 Ignorant edd. antt. prænomen *L.* Mox 'Cf. Pigh. Ann. ad a. 627. *rebellantes* pro *bellantes* ex ejus emend. receptum. *Pellitos Sardos* conj. Gron.' *Rupert.* Deinde *omnium* post *primus* add. Gron. Doujat. Crev.—1 *Missus auxilio* Gud. Mox 'Livium incuriæ vel oblivionis arguit Periz. Anim. Hist. c. 8. p. 346. *Transalpinos Gallos* et *Salvios* aut *Salluvios Ligures* conj. Cluver. Ital. Ant. I. 7. p. 50. suspicans, Salluvios non recte Gallos dici.' *Rupert.*—2 *A maxima multitudine locustarum* edd. ante Sigon.—3 *Trecena ... septingena* Gron. Doujat. Crev.—4 'Locus impeditissimus et forte corruptus: nam nusquam alibi scriptum est, lege hac DC. equites in

Digitized by Google

trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur,' id est, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet) et, continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur, et una in solo dirutæ Carthaginis; quo ipse triumvir creatus coloniam deduxit. Præterea res a Q. Metello consule adversus Baliares[5] gestas continet; quas Græci Gymnesias appellant, quia æstatem nudi exigant: Baliares a teli missu appellati, aut[6] a Baleo, Herculis comite, ibi relicto tunc, cum Hercules ad Geryonem navigaret. Motus quoque Syriæ referuntur, in quibus Cleopatra Demetrium virum suum et Seleucum filium, indignata[7] quod, occiso patre ejus a se, injussu suo diadema sumsisset, interemit.

senatum allectos fuisse.' *Duk.* *Tunc senatui cens.* Gud. Pro *equitibus* habent Mss. *equitum* et *equite.* Mox deest vox *tantum* in edd. ante Sigon.—5 *Baleares* Gron. Doujat. Crev.—6 *Vel* pro *aut* eæd.—7 *Multum indignata* edd. ante Sigon.

LIB. LXI.

C. Sextius proconsul, victa Salluviorum[8] gente, coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam[9] e calidis frigidisque fontibus atque a nomine suo ita appellatas. Cn. Domitius proconsul adversus[10] Allobrogas ad oppidum Vindalium feliciter pugnavit. Quibus bellum inferendi causa fuit, quod Teutomalium,[11] Salluviorum regem, fugientem recepissent et omni ope juvissent, quodque Æduorum agros, sociorum populi Romani, vastassent. C. Gracchus, seditioso tribunatu acto, cum Aventinum quoque armata multitudine[12] occupasset, a L. Opimio consule, ex senatus consulto vocato ad arma populo, pulsus et occisus

8 *Salviorum* h. l. et inf. Gron. Doujat. Crev.—9 *Ab aq. copia* malit Gron. Mox *et calidis et frigidis* Gron. Doujat. Crev.—10 *Contra* eæd. Mox *Vindalum* Ms. Leid. teste Rupert.—11 Pro *Teutomalium* Mss. *Crotoniculum, Cortomoculum, Teutomolum, Toutomotulum, Teutomotulum;* et edd. vett. *Teutomglum*

Digitized by Google

est;[13] et cum eo Fulvius Flaccus consularis, socius ejusdem furoris. Q. Fabius Maximus consul, Paulli nepos, adversus Allobrogas et Bituitum, Arvernorum regem, feliciter[14] pugnavit. Ex Bituiti exercitu cæsa millia hominum centum viginti. Ipse, cum[15] ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset, Albam custodiendus datus est, quia contra pacem videbatur, ut in Galliam remitteretur. Decretum quoque est, ut Congentiatus,[16] filius ejus, comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti. L. Opimius, accusatus apud populum a Q. Decio tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem conjecisset, absolutus est.[17]

et *Teutonialum.*' Rupert.—12 *Arm. quoque mult.* edd. ante Sigon.—13 *Interemptus est* Gron. Doujat. Crev. Mox *Flaccus socius ejusd.* edd. ante Sigon. —14 *Multum feliciter* eæd. Mox '*Ex Bituiti* (*Bitinti* Ms. Berg.) *exercitu cæsa millia k. CXX.*; ita Mss. (præter Boend. qui *CCXX.* habet) et Appian. Gall. I. 2. at *CL. millia* ap. Oros. v. 14. *CXXX. millia* ap. Plin. VII. 50. *CC. millia* ap. Strab. IV. 185. et 191. Cf. Pigh. l. l.' *Rupert.*—15 *Et cum ipse* Gron. Doujat. Crev. Mox *Albæ* Gron. Doujat.—16 'Mss. *Congenatus, Congienatus, Congenetiatus, Cognoncaticus, Congonnetiacus, Congomietiacus,*' Rupert.—17 *Liberatus est* edd. ante Sigon.

LIB. LXII.

Q. Marcius consul Stœnos,[18] gentem Alpinam, expugnavit. Micipsa, Numidarum rex, mortuus regnum tribus filiis reliquit, Adherbali, Hiempsali, et Jugurthæ, fratris filio, quem,[19] adoptaverat. L. Cæcilius Metellus Dalmatas subegit. Jugurtha Hiempsalem fratrem bello petiit, quem victum occidit:[20] Adherbalem regno expulit: is a senatu restitutus est. L. Cæcilius Metellus, Cn. Domitius Ahenobarbus,[1] censores, duos et triginta senatu moverunt. Præterea motus Syriæ regum continet.

18 Ex Oros. frag. fast. triumph. Mss. habent *Stonos*, (quod Gron. Doujat. Crev.) *Stenos, Stinos, Sarmes, Sarmos.* Edd. antt. habent *C. N. Martius coss. Sarmios.*—19 *In filium* add. edd. ante Sigon. Mox *obsedit* pro *subegit* eæd.—20 *Interemit* Gron. Doujat. Crev. *Qui victus cecidit* et *occidit* Mss. Mox *qui a senatu* edd. ante Gron.—1 *Ænobarbus* et *amoverunt* edd. ante Sigon.

Digitized by Google

LIB. LXIII.

Cato Porcius[2] consul in Thracia male adversus Scordiscos pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta nonaginta quatuor millia, trecenta triginta sex. Æmilia, Licinia, Marcia, virgines Vestales, incesti damnatæ sunt: idque incestum quemadmodum et commissum, et deprehensum, et vindicatum sit,[3] refertur. Cimbri, gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt. Ab iis Papirius Carbo consul cum exercitu fusus est. Livius Drusus consul adversus Scordiscos, gentem a Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnavit.[4]

2 'IV. Mss. C. *Porcius*, non minus recte.' *Rupert.*—3 *Judicatum sit* edd. ante Sigon.—4 *Magnumque honorem tulit* add. Gron. Doujat. Crev.

LIB. LXIV.

Adherbal, bello petitus a Jugurtha et in oppido Cirta[5] obsessus, contra denuntiationem senatus ab eo occisus est. Ob hoc ipsi Jugurthæ bellum indictum; idque[6] Calpurnius Bestia consul gerere jussus, pacem cum Jugurtha injussu populi et senatus fecit. Jugurtha, fide publica evocatus ad indicandos auctores consiliorum[7] suorum, quod multos pecunia in senatu corrupisse dicebatur, Romam venit; et propter cædem, admissam in regulum quendam, nomine Massivam, qui regnum ejus populo Romano invisi affectabat,[8] Romæ interfectum, cum periclitaretur, causam capitis dicere jussus, clam profugit, et, cedens[9] Urbe, fertur dixisse: 'O Urbem venalem et cito perituram, si emtorem invenerit!' A. Postumius legatus infeliciter prælio adversus Jugurtham gesto pacem quoque adjecit ignominiosam, quam non esse servandam senatus censuit.[10]

5 *Cirtha* Gron.—6 *Etiam* inserunt edd. ante Sigon.—7 *Ad indicandum cons. auctores* eæd.—8 *Appetebat* Gron. Doujat. Crev.—9 *Discedens* edd. ante Sigon.—10 *Jugurtham gesto conflixit, pacemque etiam multum ignominiosam adjecit, quam quidem minime esse serv. sen. cens.* edd. ante Sigon.

Digitized by Google

LIB. LXV.

Q. Cæcilius Metellus consul duobus prœliis Jugurtham fudit, totamque Numidiam[11] vastavit. M. Junius Silanus consul adversus Cimbros infeliciter pugnavit. Legatis Cimbrorum sedem et agros, in quibus consisterent,[12] postulantibus senatus negavit. M. Minucius proconsul adversus[13] Thracas prospere pugnavit. L. Cassius consul a Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. Milites, qui ex ea clade superaverant,[14] obsidibus datis et dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.

11 *Et universam Num.* edd. ante Sigon.—12 *Considerent*, in ed. Ascens. a. 1513. primum exhibitum, habent etiam Gron. Doujat. Crev.—13 *Contra* eæd. Mox *feliciter quidem* edd. ante Sigon.—14 '*Superaverant* restitui pro *superaverunt* [in Gron. Doujat. Drak. Crev.] quod demum exhibet ultima ed. Grut.' *Rupert.*

LIB. LXVI.

Jugurtha, pulsus a C. Mario[15] Numidia, auxilio Bocchi, Maurorum regis, adjutus est; et, cæsis prœlio Bocchi quoque copiis, nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere, vinctus ab eo, et Mario traditus est: in qua re præcipua opera L. Cornelii Syllæ, quæstoris Marii, fuit.

15 Delendam putat Jac. Gron. voculam *ex*, quæ in Gron. Doujat. Crev. præponitur *Numidia*.

LIB. LXVII.

M. Aurelius Scaurus, legatus consulis, a Cimbris fuso exercitu, captus est, et, cum, in consilium ab iis evocatus, deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod

Digitized by Google

diceret, Romanos vinci non[16] posse, a Boiorige rege, feroci juvene, occisus est. Ab iisdem hostibus Cn. Manlius[17] consul et Q. Servilius Cæpio proconsul, victi prælio castrisque binis exuti sunt. Militum millia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta. Secundum populi Romani jussionem,[18] Cæpionis, cujus temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, primi post regem Tarquinium;[19] imperiumque ei abrogatum. In triumpho C. Marii ductus ante currum ejus Jugurtha cum duobus filiis, et in carcere necatus est.[20] Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat; eique propter Cimbrici belli metum continuatus per complures annos magistratus est.[1] Secundo et tertio absens consul creatus, quartum consulatum dissimulanter captans consecutus est. Cn. Domitius pontifex maximus populi suffragio creatus est. Cimbri, vastatis omnibus quæ inter[2] Rhodanum et Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati sunt; reversique in Galliam, bellicosis se Teutonis conjunxerunt.[3]

16 *Minime* pro *non* legebatur ante Sigon. Mox *a Bolo rege* omnes Mss. Sed vocem *rege* delendam forsan putat Rupert. Del. Gron. Crev.—17 'Alii *Mallius* Græce aut liquescente pronuntiatione; at perperam *Manilius*, et C. vel *M. Manlius*.' Rupert. *C. Manlius, et Q. Cæpio proconsules, &c.* edd. autt.—18 '*Secundum populi Rom. jussionem:* verba ineptissima, et aut omnino delenda, aut mutanda; Gron. qui conj. *quadraginta, secundum Arausionem. Cæpionis cet.* In Exc. Pith. *secundum aprausionem;* in reliquis Mss. *secundum a po. Ro. ausionem*, vel *auxionem* vel *jussionem*. Vulgatum interpretari conatur Corradus ad Cic. Brut. p. 247.' *Rupert.*—19 *Primeque post r. T.* edd. ante Sigon.—20 Deerat olim verb. *est.*—1 Vet. lib. apud Sigon. *consulatus est.* Mox *Consulatu secundo et tertio absens consul creatus. Quartum consulatum, &c.* Gron. Doujat. Crev.—2 *Circa* pro *inter* edd. ante Sigon.—3 'In Mss. h. l. *imbellicosis* vel *in bellicosis;* et cur Teutoni præ aliis *bellicosi* prædicentur, causæ parum esse dicit Gron. Hinc conj. *Ambronibus se et Teutonis c.* non improb. Crev. quoniam Epit. seq. Ambrones et Teutoni simul castra Marii oppugnasse dicantur. Sed Scheffer et Oudend. ad Obs. recte monent, ibi quoque nullam fieri Ambronum mentionem, et emendationem illam longius a vulgato abire. Ille potius legendum censebat *belli causa*, et hic *in belli casus se Teutonis c.* quod lectione Mss. firmatur.' *Rupert.*

LIB. LXVIII.

M. Antonius prætor in Ciliciam[4] maritimos prædones

Digitized by Google

persecutus est. C. Marius consul summa vi oppugnata a Teutonis et Ambronibus castra defendit: duobus deinde prœliis circa Aquas Sextias eos hostes delevit, in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintum consul creatus est: triumphum oblatum, donec et[5] Cimbros vinceret, distulit. Cimbri, repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat, et ad flumen Athesim castellum editum insederat reliqueratque, cum, virtute sua expliciti, fugientem proconsulem exercitumque consecuti, in Italiam trajecissent,[6] junctis ejusdem Catuli et C. Marii exercitibus, prœlio victi sunt ab eis: in quo cæsa traduntur hostium[7] centum quadraginta millia, capta sexaginta. Marius, totius civitatis consensu exceptus, pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno contentus fuit. Primores civitatis, qui aliquamdiu[8] ut novo homini, ad tantos honores evecto, inviderant, conservatam ab eo rempublicam fatebantur. Publicius Malleolus, matre occisa, primus[9] insutus culeo, in mare præcipitatus est. Ancilia cum strepitu mota esse, antequam Cimbricum bellum consummaretur, referuntur. Bella præterea inter Syriæ reges gesta[10] continet.

4 *In Sicilia* edd. ante Sigon.—5 Carent edd. ante Sigon. *τῷ et.*—6 '*Qui fauces Alpium obsederat . . . consecuti*, verba non satis sana, in quibus admodum variant Mss. Ex iis et Plut. Mar. p. 418. 419. Gron. conj. *obsidebat, flumen Athesim transgressi castellum editum, quod insederat, ut relinqueret, effecerunt. Qui tamen in castello fuerunt* (hæc tria verba excidisse putabat) *virtute sua expliciti, fugientem p. e. c. sunt. In Italiam cum deinde trajecissent eet.* Alia tentabat Pigh. Annal. ad a. 652.' *Rupert.* Edd. ante Sigon. *ubi virtute sua.*—7 *Hominum* edd. ante Sigon. et mox *receptus* pro *exceptus* eæd.—8 *Aliquantulum* eæd.—9 *Interempta, primus omnium* Gron. Doujat. Crev.—10 *Τὸ gesta* abest ab edd. ante Sigon.

LIB. LXIX.

L.[11] Appuleius Saturninus, adjuvante C. Mario et per milites occiso A. Nonio[12] competitore, tribunus plebis per

11 *Cn.* pro *L.* legebatur ante Sigon. Mox *per clientes* conj. Gron. pro *per*

Digitized by Google

vim creatus, non minus violenter tribunatum, quam petierat, gessit; et, cum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, eo quod in eam non juraverat,[13] diem dixit: qui cum a bonis civibus defenderetur, ne causa[14] certaminum esset, in exilium voluntarium Rhodum profectus est, ibique legendo et audiendis magnis viris avocabatur.[15] Profecto C. Marius, seditionis auctor, qui sextum consulatum per tribus sparsa pecunia emerat, aqua et igni interdixit. Idem Appuleius Saturninus tribunus plebis C. Memmium candidatum consulatus,[16] quem maxime adversarium actionibus suis timebat, occidit.[17] Quibus rebus concitato senatu, (in cujus causam et C. Marius, homo varii et mutabilis ingenii consiliique semper secundum fortunam, transierat, cum eum tueri minime posset) oppressus armis cum Glaucia prætore et aliis ejusdem furoris sociis, bello[18] quodam interfectus est. Q. Cæcilius Metellus ab exilio, ingenti totius civitatis favore, reductus est. M'. Aquillius proconsul[19] in Sicilia bellum servile excitatum confecit.

milites.—12 *Numio* legebatur ante Sigon.—13 *Eo quod in eam minime jurasset* edd. ante Sigon. *qui in eam non juraverat* Gud.—14 *Majorum* add. Gron. Doujat. Crev.—15 Ex emend. Gron. '*vacabat* ed. Frob. a. 1535. et hinc alii prob. Crev. In Mss. plerisque *audiendo magnos viros advocabat* et *advocabatur:* sed *avocabatur* in Lov. 2. et Exc. Pith.' *Rupert.* —16 'Post *candidatum consulatus* priores edd. inserunt *petiturum*, sed ed. Camp. et omnes Mss., præter Norvic. perpetuam asseclam editionum, omittunt. Illud probant Gron. et Graev. ad h. l. et ad Suet. Aug. 10. hoc vero Duk. Crev. Drak. et plerique intpp. Suet.' *Rupert.*—17 *Interemit* Gron. Doujat. Crev. Mox *ejus* pro *cujus* legebatur ante Gron.—18 'Pro *bello* Sigonius conj. *a Rabirio*, Freinsh. ad Flor. III. 16. 7. *telo*, et Gron. *a Scaura* aut *a servo.*' Rupert.—19 *M. Aquillius consul* edd. ante Sigon.

LIB. LXX.

Cum M'. Aquillius de pecuniis repetundis causam diceret, ipse judices rogare noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore ejus discidit, ut honestas cicatrices ostenderet: quibus conspectis,[20] indubitanter

20 'Verba *quibus conspectis* absunt a VII. Mss. non modo commode, sed

Digitized by Google

absolutus est. Cicero ejus rei solus auctor. T.[1] Didius proconsul adversus Celtiberos feliciter pugnavit. Ptolemæus, Cyrenarum rex, cui cognomentum Apioni fuit, mortuus hæredem populum Romanum reliquit, et ejus regni civitates senatus liberas esse jussit. Ariobarzanes in regnum Cappadociæ a L. Cornelio Sylla reductus est. Parthorum legati, a rege Arsace missi, venerunt ad Syllam, ut amicitiam populi Romani peterent. P. Rutilius, vir summæ innocentiæ, quoniam legatus Q. Mucii proconsulis[2] a publicanorum injuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus, in exilium missus est. C. Sentius[3] prætor contra Thracas infeliciter pugnavit. Senatus, cum impotentiam equestris ordinis in judiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, ut ad se judicia transferrentur,[4] sustinente causam ejus M. Livio Druso tribuno plebis; qui, ut vires sibi acquireret, perniciosa spe largitionum[5] plebem concitavit. Præterea motus Syriæ regum continet.

etiam eleganter.' *Gron.*—1 Prænomen *T.* deest; et mox *Apionis* legitur in edd. ante Sigon.—2 *C. Marii proc.* edd. ante Sigon.—3 '*C. Sentius* 3 Mss. In aliis *Septius, Servius, Sericius, Census;* in edd. antt. *C. Geminius* prob. Crev. quia Sentius his quidem temporibus prætor Macedoniæ fuisse videatur, sed 'contra Thracas feliciter pugnaverit.' v. Oros. v. 18. Plut. Sylla p. 458. Cic. p. Planco 8. p. Pis. 34. et Verr. III. 93. Noris. Cenot. Pis. 3. 9. Pigh. Annal. ad a. 661–672. Hinc *feliciter* pro *infeliciter* h. l. conj. Sigon.' *Rupert.*—4 Voss. *transferrent.* Gud. *transferret.*—5 Voss. et Gud. *largitione.* Videtur tollendum *τὸ spe.*

LIB. LXXI.

M. Livius Drusus, tribunus plebis, ut majoribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios et Italicos populos spe civitatis Romanæ solicitavit; iisque adjuvantibus, per vim legibus agrariis frumentariisque latis, judiciariam quoque pertulit, 'ut æqua parte judicia penes senatum et equestrem ordinem essent.' Cum deinde promissa sociis civitas præstari non posset, irati Italici defectionem agitare cœperunt. Eorum coitus conjurationesque et ora-

Digitized by Google

tiones[6] in conciliis principum referuntur. Propter quæ Livius Drusus, invisus etiam senatui factus,[7] velut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est.

6 *Conjurationes orationesque* edd. ante Gron. Sup. pro *coitus* conj. Duk. *cœtus* vel *coitiones*, et Ms. Berg. *conventus*.—7 *Etiam sen. inc. fact.* edd. ante Gron. In Voss. deest τὸ *invisus*.

LIB. LXXII.

Italici populi defecerunt, Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani, initio belli a Picentibus moto.[8] Q. Servilius proconsul[9] in oppido Asculo cum omnibus civibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est. Saga populus sumsit. Ser. Galba, a Lucanis comprehensus, unius fœminæ opera, ad quam devertebatur, captivitate exemtus est. Æsernia et Alba coloniæ ab Italicis obsessæ sunt. Auxilia deinde[10] Latini nominis externarumque gentium missa populo Romano, et expeditiones invicem expugnationesque urbium referuntur.

8 '*Initio belli a P. orto* e vet. libro Sigon. et Gron. refrag. Drak. qui monet, movere bellum passim dici pro incipere. Num vero et initium belli?' *Rupert.*—9 '*Q. Servilius proc.* Ms. Boend. et Appian. l. l. Plerique Mss. h. l. et Oros. v. 18. et Vellei. II. 15. *Q. Servius*, prob. Jac. Gron.' *Rupert.*—10 *Demum* pro *deinde* legebatur ante Sigon.

LIB. LXXIII.

L. Julius[11] Cæsar consul male adversus Samnites pugnavit. Nola colonia in potestatem Samnitium venit cum L. Postumio prætore, qui ab iis interfectus[12] est. Complures populi ad hostes defecerunt. Cum P. Rutilius consul male[13] adversus hostes Marsos pugnasset, et in prælio

11 *Julius* abest ab edd. ante Sigon. ut inf. ab edd. Gron. Doujat. Crev.—12 *Interemptus* eæd.—13 Ms. Leid. *male*; reliqui *parum prospere*, (quod

Digitized by Google

cecidisset, C. Marius, legatus ejus, meliore[14] eventu cum hostibus conflixit. Ser. Sulpicius Pelignos prælio[15] fudit. Q. Cæpio, legatus Rutilii, cum obsessus prospere in hostes erupisset, et ob eum successum æquatum ei cum C. Mario esset imperium, temerarius factus et circumventus insidiis, fuso exercitu cecidit. L. Julius Cæsar consul feliciter adversus Samnites pugnavit. Ob eam victoriam Romæ saga posita sunt: et, ut varia belli fortuna esset, Æsernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. Sed C. Marius prælio Marsos fudit, Herio Asinio, prætore Marrucinorum, occiso. C. Cæcilius[16] in Gallia Transalpina Salluvios rebellantes vicit.

Gron. Doujat. Crev.)—14 *Quidem* olim inserebatur.—15 Τὸ *prælio* aberat ab edd. ante Sigon.—16 *Fudit. Herio Asinio,... occiso, C. Cæcilius, &c.* distinx. Gron. Pro *Herio* est in Mss. et edd. antt. *Hernio, Hirnio,* et *Hirno.* Pro *Salluvios* habent Gron. Doujat. Crev. ut sup. *Salvios.*

LIB. LXXIV.

Cn. Pompeius Picentes prælio fudit et obsedit: propter quam victoriam Romæ prætextæ et alia magistratuum insignia sumta sunt.[17] C. Marius cum Marsis dubio eventu pugnavit. Libertini tum primum militare cœperunt. A. Plotius[18] legatus Umbros, L. Porcius prætor Marsos,[19] cum uterque populus defecisset, prælio vicerunt. Nicomedes in Bithyniæ, Ariobarzanes in Cappadociæ regna reducti sunt. Cn. Pompeius consul Marsos acie vicit. Cum ære alieno oppressa esset civitas, A. Sempronius Asellio[20] prætor, quoniam secundum debitores jus dicebat, ab iis, qui fœnerabantur, in foro occisus est. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

17 *Aliaque mag. ornamenta insignia s. s.* Malit Rupert. *resumta.*—18 *Aurelius Plotius* edd. ante Sigon.—19 ' Pro *Marsos* leg. forte *Etruscos* ex Oros. v. 18. Floro III. 18. 13. et Appiano B. C. I. 49. nam Marsi jam ante defecerant et primi omnium Italicorum bellum moverant.' *Duker.*—20 *Asellius* edd. ante Sigon.

Digitized by Google

LIB. LXXV.

A. Postumius Albinus legatus, cum classi praeesset,[1] infamis crimine proditionis, ab exercitu suo interfectus est. L. Cornelius Sylla legatus Samnites prælio vicit, et bina castra eorum expugnavit. Cn. Pompeius Vestinos in deditionem accepit. L. Porcius consul, rebus prospere gestis fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat,[2] cecidit. Ea res hostibus victoriam ejus prælii dedit. Coscenius et Lucceius Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem, occiderunt, compluraque eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sylla Hirpinos domuit, Samnites multis prælliis fudit, aliquot populos recepit; quantisque raro quisquam alius[3] ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus.

1 'Sed eum *classi præfuisse*, et Romanos omnino classibus usos esse in bello sociali, nemo tradit. Hinc verba *cum classi praeesset* delenda, et pro iis in *obsidione castrorum hostilium*, quæ cum aliis, ex initio Epit. seq. inculcatis, in quibusdam Mss. leguntur, reponenda putabat Drak. Forte leg. *legatus cum castris praeesset.*' Rupert.—2 *Oppugnat* malit Drak.—3 Ignorant edd. ante Sigon. *τὸ alius.*

LIB. LXXVI.

A. Gabinius legatus, rebus adversus Lucanos prospere gestis, et plurimis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpicius legatus Marrucinos cecidit, totamque[4] eam regionem recepit. Cn. Pompeius proconsul Vestinos et Pelignos in deditionem accepit. Marsi quoque, a L. Murena et Cæcilio Pinna legatis[5] aliquot prælliis fracti, pacem petierunt. Asculum a Cn.

4 *Universamque* Gron. Doujat. Crev. 'Mox verba *Cn. Pompeius . . . accepit* absunt a Ms. Berg. repetita forte ex Epit. præc. *recepit* Ms. Boend. verum id verbum modo præcessit.' *Drak.*—5 *Cæc. Pio legatis* Crev. ex emend. Sigon. *Cæc. Pio legato* Doujat. Mox *petere pacem caperunt* Voss. et Gud.—

Digitized by Google

Pompeio captum est, cæsis et a Mam. Æmilio legato Italicis.[6] Silo Pompædius, dux Marsorum, auctor hujus rei, in prælio cecidit. Ariobarzanes Cappadociæ, Nicomedes Bithyniæ regno a Mithridate Ponti rege pulsi sunt. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque[7] continet.

6 *Cæsis a Mam.... legatis Ital.* edd. ante Sigon. Mox *belli* pro *rei* malunt Cluver. Crev.—7 *Populationesque* abest ab edd. ante Sigon.

LIB. LXXVII.

Cum P. Sulpicius tribunus plebis, auctore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, 'ut exules revocarentur, et novi cives libertinique distribuerentur in tribus, et ut Marius[8] adversus Mithridatem Ponti regem dux crearetur,' et adversantibus consulibus Q. Pompeio et L. Syllæ vim intulisset, occiso Q. Pompeio[9] consulis filio, genero Syllæ; L. Sylla consul cum exercitu in Urbem venit, et adversus factionem Sulpicii et Marii in ipsa Urbe pugnavit eamque expulit: ex qua[10] duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater et filius,[11] judicati sunt. P. Sulpicius, cum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus et occisus est. Servus, ut præmium promissum indici[12] haberet, manumissus[13] et ob scelus proditi domini de saxo dejectus est. C. Marius filius in Africam trajecit. C. Marius pater, cum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis, et, cum missus ad occidendum eum servus, natione Gallus, majestate tanti viri perterritus recessisset, impositus publice in navim[14] delatus est in Africam. L. Sylla civitatis statum ordinavit: exinde colonias deduxit. Q. Pompeius consul, ad accipiendum[15] a

8 *Consul* vel *cons. Marius* Mss. unde *C. Marius* conj. Drak.—9 Sic ex conj. Sigon. cum prius legeretur *occisoque Pompeio.*—10 *Ex quo* edd. ante Sigon.—11 Magis placet Gron. *Cali Marii pater et filius.*—12 Ita pro *promissi indicii* ex emend. Gron. Sigon. ex vet. lib. *promissum indicii.*—13 *Est* add. Gron. Doujat. Crev.—14 *Publice navi* emd. And. *publice in navi.*—15 *Ad capiendum* edd. ante Sigon.

Digitized by Google

Cn. Pompeio proconsule exercitum profectus, consilio ejus occisus est. Mithridates, Ponti rex, Bithynia et Cappadocia occupatis, et pulso Aquillio legato, Phrygiam, provinciam populi Romani, cum ingenti exercitu intravit.

LIB. LXXVIII.

Mithridates Asiam occupavit: Q. Oppium proconsulem, item Aquillium legatum, in vincula conjecit; jussuque ejus, quicquid civium Romanorum in Asia fuit, uno die trucidatum est. Urbem Rhodum, quæ sola in fide permanserat, oppugnavit, et aliquot præliis navalibus victus recessit. Archelaus, præfectus regis, in Græciam cum exercitu venit; Athenas occupavit. Præterea trepidationem [16] urbium insularumque, aliis ad Mithridatem, aliis ad populum Romanum civitates suas trahentibus, continet.

16 Gud. cum Camp. *trepidationes.*

LIB. LXXIX.

L.[17] Cornelius Cinna, cum perniciosas leges per vim atque arma ferret, pulsus Urbe a Cn. Octavio collega cum sex tribunis plebis; [18] imperioque ei abrogato, corruptum Ap. Claudii exercitum in potestatem suam redegit, et bellum Urbi intulit, arcessito C. Mario ex Africa cum aliis exulibus: in quo bello duo fratres, alter ex Pompeii exercitu, alter ex Cinnæ, ignorantes concurrerunt; [19] et, cum victor spoliaret occisum, agnito fratre, ingenti lamentati-

17 Prænomen *L.* deest in edd. ante Sigon. 'Mox verba *atque arma* non extant in quibusdam Mss. Sed *vim* et *arma* passim jungi, et vim multis modis fieri posse, sed præcipue fieri armis, monent Duk. et Drak.' *Rupert.*— 18 '*Cum Sex. Publio tri. pl.* Boend. Berg. et ed. Camp. Suspicarer *cum M. Virgilio tr. pl.* nisi a vulg. lect. id nimis recederet. Non minus tamen ab ea recedunt nomina reliquorum hujus anni tribunorum pl. v. Pigh. Annal. ad a. 666. An leg. *a Cn. Octavio collega et sex tribunis plebis?*' Rupert. Mox edd. ante Sigon. omittunt *ei* post *imperioque.*—19 Gud. *corrue-*

Digitized by Google

one edita, rogo ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit, et eodem igni consumtus est. Et cum opprimi inter initia potuissent,[20] Cn. Pompeii fraude, qui, utramque partem fovendo, vires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit, et consulis segnitie confirmati Cinna et Marius quatuor exercitibus, ex quibus duo [1] Q. Sertorio et Carboni dati sunt, Urbem circumsederunt. Ostiam coloniam Marius expugnavit et crudeliter diripuit.

runt. Mox *mortuum spoliaret* edd. ante Sigon.—20 *Potuisset* Gron. Doujat. cum edd. ante Gron.—1 *Quorum duo* Gron. Doujat. Crev.

LIB. LXXX.

Italicis populis a senatu civitas data est. Samnites, qui soli arma retinebant,[2] Cinnæ et Mario se conjunxerunt. Ab iis Plautius [3] cum exercitu cæsus est. Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio Janiculum occupaverunt,[4] et fugati ab Octavio consule recesserunt. Marius Antium [5] et Ariciam et Lanuvium colonias devastavit. Cum nulla spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem et perfidiam et ducum et militum, qui corrupti aut pugnare nolebant, aut ad diversas partes [6] transibant, Cinna et Marius in Urbem recepti sunt: qui, velut captam, eam cædibus et rapinis vastarunt, Cn. Octavio consule occiso et omnibus adversæ partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro, L. et C. Cæsare,[7] quorum capita in rostris posita sunt. Crassus filius ab equitibus Fimbriæ occisus.[8] Pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit. Et citra ulla comitia con-

2 *Recipiebant* edd. ante Sigon.—3 *Plantius* eæd. Epit. LXXIV. *A. Plotius* dicitur.—4 'Vet. lib. *oppugnaverunt.* Occupasse tamen ait App. Itaque nihil muto.' *Sigon.*—5 *Antium quidem* et mox *nulla omnino spes* edd. ante Sigon. *Lanuvium* pro *Lavinium* est ex emend. Cluv. Ital. Ant.—6 Voss. et Gud. *in diversas part.*—7 *L. et C. Cæsaribus* vult Gron. prob. Crev. Τὸ *L.* deerat ante Sigon. et mox τὸ *sunt.*—8 *Interemptus* Gron. Doujat. Crev.—

Digitized by Google

sules in sequentem annum se ipsos renuntiaverunt: eodemque die, quo magistratum inierant, Marius[9] Sex. Licinium senatorem de saxo dejici jussit; editisque multis sceleribus, Idibus Januariis decessit: vir, cujus si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit: adeo, quam rempublicam armatus servavit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter[10] evertit.

9 *Eodem die, quo . . . inerant, Marius* edd. ante Sigon.—10 Carent edd. antt. adv. *hostiliter*.

LIB. LXXXI.

L. Sylla Athenas, quas Archelaus, præfectus Mithridatis, occuparat, circumsedit et cum magno[11] labore expugnavit: urbi libertatem, et civibus, quæ habuerant, reddidit. Magnesia, quæ sola in Asia civitas in fide manserat, summa virtute adversus Mithridatem defensa est. Præterea Thracum in Macedonia continet gesta.[12]

11 *Maximo* Gron. Doujat. Crev.—12 Habent eædem ex emend. Sigon. *Præterea transitus Thracum in Maced. continet*, cum antea legeretur *Præterea e Thracibus in Maced. gesta continet*.

LIB. LXXXII.

Sylla copias regis, quæ, Macedonia occupata, in Thessaliam venerant, prælio vicit, cæsis hostium centum millibus, et castris quoque expugnatis. Renovato deinde bello, iterum exercitum regis fudit ac delevit. Archelaus cum classe regia Syllæ se tradidit. L. Valerius Flaccus consul, collega Cinnæ, missus, ut Syllæ succederet, propter avaritiam invisus exercitui suo, a C. Fimbria legato ipsius, ultimæ audaciæ homine, occisus est, et imperium ad Fimbriam translatum. Præterea expugnatæ in Asia urbes a Mithri-

Digitized by Google

date et crudeliter direpta provincia,[13] incursionesque Thracum in Macedoniam, referuntur.

13 Malit Rupert. ex Ms. Boend. *direptæ provinciæ.*

LIB. LXXXIII.

C. Fimbria in Asia, fusis prælio aliquot præfectis[14] Mithridatis, urbem Pergamum cepit, obsessumque regem, non multum abfuit, quin caperet. Urbem Ilion, quæ se potestati Syllæ reservabat, expugnavit ac delevit, et magnam partem Asiæ recepit. Sylla multis[15] prœliis Thracas cecidit. Cum L. Cinna et Cn. Papirius Carbo, ab se ipsis consules per biennium creati, bellum contra Syllam pararent,[16] effectum est per L. Valerium Flaccum principem senatus, qui orationem in senatu habuit, et per eos, qui concordiæ studebant, ut legati ad Syllam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu suo, quem invitum cogebat naves conscendere et adversus Syllam proficisci, interfectus est.[17] Consulatum Carbo solus gessit. Sylla, cum in Asiam trajecisset, pacem cum Mithridate fecit, ita ut is cederet provinciis[18] Asia, Bithynia, Cappadocia. Fimbria, desertus ab exercitu, qui ad Syllam transierat, ipse se percussit, impetravitque de servo suo, præbens cervicem, ut se occideret.[19]

14 Quidam Mss. et edd. antt. *aliquot copiis M.*—15 Mss. *Sylla compluribus* et *Sylla enim pluribus.*—16 Mss. *præparent, præparavrent, et reparavrent.* Mox *quidem* post *effectum* add. edd. ante Sigon.—17 *Interemptus est* Gron. Doujat. Crev.—18 *Provinciis* del. eæd. Malit Crev. *provincia,* quoniam Bithyn. et Capp. non fuere eo tempore provinciæ Rom. sed regna.—19 *Impetravitque a servo . . . ut eum omnino interficeret* edd. ante Sigon. *Interficeret* Gron. Doujat. Crev.

LIB. LXXXIV.

Sylla legatis, qui a senatu missi erant, futurum se in potestate senatus respondit, si cives, qui pulsi a Cinna ad

Digitized by Google

se confugerant,[20] restituerentur. Quæ conditio cum justa senatui videretur, per Carbonem factionemque ejus, cui bellum videbatur utilius, ne conveniret, effectum est. Idem Carbo, cum ab omnibus oppidis Italiæ coloniisque[1] obsides exigere vellet, ut fidem eorum contra Syllam obligaret, consensu senatus prohibitus est.[2] Novis civibus senatus consulto suffragium datum est. Q. Metellus Pius, qui partes optimatium secutus erat, cum in Africa bellum moliretur, a C. Fabio prætore pulsus est; senatusque consultum per factionem Carbonis et Marianarum partium factum est, ut omnes ubique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque et triginta tribus distributi sunt. Præterea belli apparatum, quod contra Syllam excitabatur,[3] continet.

20 *A Cinna pulsi ad se fugerant* edd. ante Gron.—1 *Coloniisque* deerat ante Sigon.—2 Carent verb. *est* edd. ante Sigon.—3 *Belli apparat. contra Syllam, quod plurim. excitab.* eæd.

LIB. LXXXV.

Sylla in Italiam cum exercitu trajecit, missisque legatis, qui de pace agerent, a consule C. Norbano[4] violatis, eundem Norbanum prælio vicit. Et cum L. Scipionis alterius consulis, cum quo per omnia id egerat, ut pacem jungeret, nec potuerat, castra oppugnaturus esset, universus exercitus consulis, solicitatus per emissos a Sylla milites, signa ad Syllam transtulit. Scipio, cum occidi posset, dimissus est. Cn. Pompeius, Cn. F. ejus, qui Asculum ceperat, conscripto[5] voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Syllam venerat; ad quem se nobilitas omnis conferebat, ita ut deserta Urbe ad castra veniretur. Præterea expeditiones per totam Italiam utriusque partis ducum referuntur.

4 *Et ab consule* Gron. *et a consule* Doujat. *a consule Cn. Carbone, et C. Norbano* edd. ante Sigon.—5 'Voss. *ceperat scriptus cum scripto.* Gud. *ceperat scriptus conscripto.* Fortasse *ceperat, privatus, conscripto, &c.*' J. F. Gron.

Digitized by Google

LIB. LXXXVI.

Cum C. Marius, C. Marii filius, consul ante annos viginti per vim creatus esset, C. Fabius[7] in Africa propter crudelitatem et avaritiam in prætorio suo vivus exustus est. L. Philippus legatus Syllæ Sardiniam, Q. Antonio prætore pulso et occiso, occupavit. Sylla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis, velut erepturus civitatem et suffragii jus nuper datum, fœdus percussit. Idemque, ex fiducia jam certæ victoriæ, litigatores, a quibus adibatur, vadimonia Romam differre[8] jussit, cum a parte diversa Urbs adhuc teneretur. L. Damasippus prætor, ex voluntate C. Marii consulis cum senatum contraxisset,[9] omnem, quæ in Urbe erat, nobilitatem trucidavit: ex cujus numero Q. Mucius Scævola pontifex maximus fugiens in vestibulo ædis Vestæ occisus est. Præterea bellum a L. Murena[10] adversus Mithridatem in Asia renovatum continet.

7 'Scribe, deleta conjunctione, *C. Marius . . . creatus est. C. Fabius, &c.*' J. F. Gron. 'Non dubito quin mendum sit in Epit. Liv. et pro *XX.* minimum reponi debeat *XXV.* ut ei sic conveniat cum auct. de Vir. Ill. Velleius tamen annos numerat *XXVI.*; App. etiam *XXVII.*' Vossius ad Vell.—8 *Deferre* olim legebatur. Ex vett. libb. emend. Sigon. et *vadimonium* promit.—9 *Convocasset* malit Rupert.—10 'Al. [ut Gron. Crev.] scribunt *Muræna*, nomen deducentes a pisce qui Gr. *μύραινα* dicitur.' *Rupert.*

LIB. LXXXVII.

Sylla C. Marium, exercitu ejus fuso deletoque ad Sacriportum, in oppido Præneste obsedit: urbem Romam ex inimicorum manibus recepit. Marium erumpere tentantem repulit. Præterea res a legatis ejus, eadem ubique fortuna partium, gestas continet.

LIB. LXXXVIII.

Sylla Carbonem, exercitu ejus fuso[11] ad Clusium, ad Faventiam Fidentiamque cæso, Italia expulit: cum Sam-

Digitized by Google

nitibus, qui soli ex Italicis populis nondum arma posuerant, juxta urbem Romanam ante portam Collinam debellavit; recuperataque republica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinavit. Octo millia deditorum in villa[12] publica trucidavit: tabulam proscriptionis posuit: Urbem ac totam Italiam cædibus replevit: inter quas omnes Prænestinos inermes concidi[13] jussit: Marium, senatorii ordinis virum, cruribus brachiisque fractis, auribus præsectis et effossis oculis, necavit. C. Marius, Prænestæ obsessus a Lucretio Ofella,[14] Syllanarum partium viro, cum per cuniculum captaret evadere, septus ab exercitu, mortem sibi conscivit, id est,[15] in ipso cuniculo, cum sentiret se evadere non posse,[16] cum Pontio Telesino, fugæ comite, stricto utrimque gladio, concurrit; quem cum occidisset, ipse[17] saucius impetravit a servo, ut se occideret.

11 Additur τὸ *fuse* a Gronov. ex aliquot Mss.—12 *Vis* edd. ante Sigon. Mox *proposuit* pro *posuit* conj. Drak.—13 *Interimi* edd. ante Sigon.—14 *Asella* eæd.—15 ' In verbis *id est* aliquid vitii hærere, locum etiam hunc non integrum esse, et varias potius sententias de morte Marii, ut in Velleii II. 27. relatas fuisse, certe non eadem genera mortis memorari, jam monuit Duk.' *Rupert.*—16 *Minime posse* edd. ante Gron.—17 *Ipse* deerat ante Sigon.

LIB. LXXXIX.

M. Brutus,[18] a Cn. Papirio Carbone, qui Cossuram appulerat, missus nave piscatoria Lilybæum, ut exploraret, an ibi Pompeius esset, et circumventus a[19] navibus, quas Pompeius miserat, in se mucrone verso, ad transtrum navis obnixus corporis pondere, incubuit. Cn. Pompeius, in Siciliam cum imperio a senatu missus, Cn. Carbonem, qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit. Sylla, dictator factus, quod nemo unquam fecerat,[20] cum fascibus

18 *L. Brutus* edd. ante Sigon. Mox *Cossaram* pro *Corcyram* primus substituit Sigon.—19 Τὸ *a* deest in Gron. Doujat. Crev. Mox *mucroni* pro *mucrone* conj. Gron. et *in se mucrone verso . . . ei incubuit* Drak. Deinde *occubuit* edd. ante Gron.—20 ' Hæc verba ab inepto aut sciolo homine inserta putabant Lips. et Voss. ad Cæs. quia dictatoribus semper *XXIV. fasces* et secures

Digitized by Google

viginti quatuor processit. Rebus[1] novis reipublicæ statum confirmavit, tribunorum plebis potestatem minuit, et omne jus legum ferendarum ademit. Pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim; senatum ex equestri ordine supplevit: proscriptorum liberis jus petendorum honorum eripuit, et bona eorum vendidit; ex quibus plurima primo[2] rapuit. Redactum est sestertium ter millies quingenties. Q. Lucretium Ofellam, consulatum adversus voluntatem suam petere ausum, jussit occidi[3] in foro, et, cum hoc indigne ferret populus Romanus, concione advocata, se jussisse dixit. Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum et Hiarbam, regem Numidiæ,[4] bellum molientes, victos occidit;[5] et, quatuor et viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod nulli[6] contigerat, ex Africa triumphavit. C. Norbanus consularis proscriptus, in urbe Rhodo cum comprehenderetur, ipse se occidit. Mutilus,[7] unus ex proscriptis, clam capite adoperto ad posticas ædes Bastiæ[8] uxoris cum accessisset, admissus non est, quia illum proscriptum diceret; itaque se transfodit, et sanguine suo fores uxoris[9] respersit. Sylla Nolam in Samnio recepit: quadraginta septem legiones[10] in agros captos deduxit, et eos iis divisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum, in deditionem accepit. Mitylenæ quoque in Asia, quæ sola urbs post victum Mithridatem arma retinebat, expugnatæ dirutæque sunt.

prælatas fuisse testantur Polyb. III. 87. Dionys. Hal. Plut. App. et Dio. Al. legendum putabant *quod nemo*, sc. eo tempore viventium, *unquam viderat*, vel *Sylla dictator perpetuus, quod nemo unquam fuerat.'* Rupert.—1 '*Legibus* pro *rebus* bene conj. Gron. *Regibus* Ms. Leid.' *Rupert. Rebusque novis* edd. ante Sigon.—2 ' Mss. Leid. Barb. et Gud. minor pro *primo* habent *præmia*, probb. Gron. et Drak. qui *præmia* passim prædas, manubias dici monent. Aliquid potius intercidisse putabat Crev. ut Sylla dictus sit *plurima primo rapuisse*, deinde cetera *redegisse* in publicum.' *Rupert.*—3 *Interimi* al.—4 *Hieram regem Numidarum* edd. ante Sigon. al. *Iarbam r. N.*—5 *Interemit* h. l. et inf. Gron. Doujat. Crev.—6 *Quod quidem nemini* edd. ante Sigon.—7 *Mutilius, Mutillus* et *Metellus* al.—8 ' Leid. *Hastiæ*. Neutrius gentis quisquam meminit, et forte leg. *Hostiæ.*' Drak. *Ad posticum ædis B.* edd. ante Sigon.—9 *Uxoris* deest in edd. ante Sigon.—10 *LXVII. legiones* Boend. et ed. Camp. *XXVII. leg.* conj. Drak.

Digitized by Google

LIB. XC.

Sylla decessit, honosque ei a senatu habitus est, ut in Campo Martio sepeliretur. M. Æmilius [11] Lepidus, cum acta Syllæ tentaret rescindere, bellum excitavit, et a Q. Catulo collega Italia pulsus est, et in Sardinia, frustra bellum molitus, periit. M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam obtinebat,[12] a Cn. Pompeio occisus est.[13] Q. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitavit. L. Manlius proconsul et M. Domitius legatus [14] ab Herculeio quæstore prælio victi sunt. Præterea res a P. Servilio proconsule adversus Cilicas gestas continet.

11 *Æmilius* deest in edd. ante Gron.—12 *Tenebat* al. cum edd. ante Gron. —13 Quidam Mss. apud Gron. interponunt Q. *Sertorii viri bellicosissimi* (aut *bellacissimi*) *gesta referuntur*, ' cui forte connectendum,' ait Gron. '*qui proscriptus*.'—14 *L. Manlius . . . M. Antonius leg.* edd. ante Sigon. et mox eadem habent *Hertuleio*.

LIB. XCI.

Cn. Pompeius, cum adhuc eques [15] esset, cum imperio consulari adversus Sertorium missus est. Sertorius aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. Ap. Claudius proconsul Thracas pluribus præliis vicit. Q. Metellus proconsul L. Herculeium, quæstorem Sertorii,[16] cum exercitu cecidit.

15 ' *Eques* c. Voss. Reliqui *quæstor* et *equester*: unde *eques R.* (Romanus) conj. Drak.' *Rupert.*—16 *Omni* add. al. Quidam Mss. apud Gron. habent *cecidit atque fugavit* aut *ceciditque at. fug.*

LIB. XCII.

Cn. Pompeius dubio eventu cum Sertorio pugnavit, ita ut singula [17] ex utraque parte cornua vicerint. Q. Metel-

Digitized by Google

lus Sertorium et Perpernam[18] cum duobus exercitibus prælio fudit: cujus victoriæ partem cupiens ferre[19] Pompeius parum prospere pugnavit. Obsessus deinde Cluniæ[20] Sertorius, assiduis eruptionibus non leviora damna obsidentibus intulit.[1] Præterea ab Curione proconsule in Thracia res gestas adversus Dardanos, et Q. Sertorii multa crudelia in suos facta continet; qui plurimos ex amicis et secum proscriptis,[2] crimine proditionis insimulatos, occidit.

17 Conj. Gron. *ita ut sinistra.*—18 *Q. Sertorius Metellum et Perpernam, &c.* edd. ante Sigon.—19 *Partem ejus cupiens auferre* edd. ante Sigon.—20 *Calagurii* eæd. *clinæ* Barb. *climæ* Gud. *Clume* alter: *cluviæ* Voss.—1 *Tulit* pro *intulit* legebatur ante Sigon.—2 *Amicorum et sec. proscriptorum* edd. ante Sigon.

LIB. XCIII.

P. Servilius proconsul in Cilicia Isauros domuit, et aliquot urbes piratarum expugnavit. Nicomedes, Bithyniæ rex, moriens populum Romanum fecit hæredem, regnumque ejus in provinciæ formam redactum est. Mithridates, fœdere cum Sertorio icto, bellum populo Romano intulit. Apparatus deinde regiarum copiarum pedestrium navaliumque; et, occupata Bithynia, M. Aurelius Cotta consul ad Chalcedonem prælio a rege victus; resque[3] a Pompeio et Metello adversus Sertorium gestæ,[4] qui omnibus belli militiæque artibus par fuit. Quos etiam, ab obsidione Calagurris[5] oppidi depulsos, coëgit diversas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam.

3 *Ab rege victus est. Resque* Gron. Doujat. Crev.—4 'Suadente Drak. recepi lectionem omnium Mss. nisi quod post *Sertorium* adjeci *gestæ* ex ed. Camp. in qua certe *gestas* legitur. Ita *apparatus, victus* et *res* pendent a verbo *referuntur* aut simili, quod supplendum est; ut 'concio ejus bona' Epit. c. et alia. Sigonius et deinde reliqui editores post *Sertorium* inseruere *gestas continet*, quæ ratio durior est et scabriorem efficit orationem. Mox *omnibus belli militiæque artibus*, forte leg. *o. bellis* (quæ cum Pompeio et Metello gessit) *militiæ a. par fuit* illis; Drak. *belli, militiæ* Boend. Sed non est forsan, quod pleonasmus ille displiceat.' *Rupert.*—5 *Calagurii* Gron. Doujat. Crev.

Digitized by Google

LIB. XCIV.

L. Licinius Lucullus[6] consul adversus Mithridatem equestribus prœliis feliciter pugnavit, et expeditiones aliquot prosperas fecit, poscentesque pugnam milites a seditione inhibuit. Deiotarus, Gallogræciæ tetrarches, præfectos[7] Mithridatis, bellum in Phrygia moventes, cecidit. Præterea res a Cn. Pompeio in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.

6 *Licinius* aberat ante Gron. apud quem habet Voss. *P. Lic. cons.* Gud. *A. Lic. Luc.* Min. *Publius Lucius Luc.*—7 *Præfectos* edd. ante Sigon.

LIB. XCV.

C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit. Quatuor et septuaginta gladiatores[8] Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt, et, congregata servitiorum ergastulorumque multitudine, Crixo et Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum et P. Varinium[9] prætorem prælio vicerunt. L. Lucullus proconsul ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque delevit; pulsumque Bithynia regem, variis belli ac naufragiorum casibus fractum, coëgit in Pontum profugere.

8 *CCCCLXX. glad.* Berg. et Leid. LXXVIII. fuisse dicit Plut. alii vero pauciores. Mox *et ergastulorum* edd. antt. *ex ergastulis* in Mss. legit Putean. prob. Duk.—9 '*P. Varinium* ex emend. Sigon. restitui. *P. Vorenum* edd. vett. *P. Varcenum* Voss. *P. Varenum* plerique Mss. et edd. recentt.' *Rupert.*

LIB. XCVI.

Q. Arrius prætor Crixum, fugitivorum ducem, cum viginti millibus hominum cecidit. Cn. Lentulus consul[10] male adversus Spartacum pugnavit. Ab eodem L. Gellius consul et Q. Arrius prætor acie victi sunt. Sertorius a

Digitized by Google

M'. Antonio et M. Perperna et aliis conjuratis in convivio interfectus est, octavo ducatus sui anno; magnus dux, et adversus duos imperatores, Pompeium et Metellum, sæpe par, vel[11] frequentius victor; ad ultimum desertus et proditus. Imperium partium ad Marcum[12] translatum est, quem Cn. Pompeius victum captumque interfecit, ac recepit Hispanias decimo fere anno, quam cœptum erat[13] bellum. C. Cassius proconsul et Cn. Manlius prætor male adversus Spartacum pugnaverunt; idque bellum M. Crasso prætori mandatum est.

10 Vox *consul* deerat ante Sigon.—11 *Ut* pro *vel* legebatur ante Sigon. prob. Gron. modo intelligatur τὸ *ita* in præec. verbis.—12 *Marium* edd. ante Sigon. In Lov. 2. legitur *M. Perpernam* prob. Rupert.—13 *Est* Gron. Doujat. Crev. et mox eæd. omittunt τὸ *et* ante *Cn. Manlius*.

LIB. XCVII.

M. Crassus prætor primum cum parte fugitivorum, quæ ex Gallis Germanisque constabat, feliciter pugnavit, cæsis hostium[14] triginta quinque millibus et duce eorum Gannico. Cum Spartaco dein debellavit,[15] cæsis cum ipso millibus sexaginta. M. Antonius prætor bellum adversus Cretenses, parum prospere gestum,[16] morte sua finivit. M. Lucullus proconsul Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto adversus Mithridatem feliciter pugnavit, cæsis hostium amplius quam sexaginta millibus. M. Crassus et Cn. Pompeius consules facti (sed Pompeius, ante quam quæsturam gereret, ex equite Romano) tribunitiam potestatem restituerunt.[17] Judicia quoque per L. Aurelium Cottam[18] præto-

14 *Inimicorum* edd. ante Sigon. Mox *Gannico* pro *Granico* recepit Rupert. ex Mss. et Frontino. *C. Cannicius* dicitur Plut.—15 '*Dein debellavit* cum Crev. reposui pro *deinde bellavit*. Drak. malebat *deinde debellavit*, quia *dein* sæpe quidem in Livio, at nunquam aut rarissime in Epitomis occurrat.' *Rupert.* Mox *quadraginta* pro *sexaginta* al.—16 'Ita revocavi ex Mss. et edd. ante Grut. quæ substituit *parum p. susceptum*; (et secutæ sunt reliquæ.)' *Rupert.*—17 *Facti sunt* * *sicut Pompeius, &c. rest.* edd. ante Sigon. qui de conjectura inter *facti* et *Pompeius* interposuit *ut Crassus ex prætura, sic.* Τὸ *sed* ante *Pomp.* del. Gron. Doujat. Crev.—18 *M. Aurel. Cott.* edd. ante Sigon.

Digitized by Google

rem ad equites Romanos translata sunt. Mithridates, desperatione rerum suarum coactus, ad Tigranem Armeniæ regem confugit.

LIB. XCVIII.

Machares,[19] filius Mithridatis, Bospori rex, ab L. Lucullo in amicitiam receptus est. Cn. Lentulus et L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quatuor et sexaginta senatu motis: a quibus, lustro condito,[20] censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia. L. Metellus prætor in Sicilia[1] adversus piratas prospere rem gessit. Templum Jovis in Capitolio, quod incendio consumtum ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est.[2] L. Lucullus in Armenia Mithridatem et Tigranem et ingentes[3] utriusque regis copias pluribus præliis fudit. Q. Metellus proconsul, bello sibi adversus Cretenses mandato, Cydoniam urbem obsedit. C.[4] Triarius, legatus Luculli, adversus Mithridatem parum prospere pugnavit. Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem summamque victoriæ imponeret, seditio militum tenuit, quia sequi nolebant, id est, quia[5] legiones Valerianæ, impleta a se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt.

19 *L. Achares* edd. ante Sigon.—20 *Lustrum conditum est* eæd. Mox '*CCCCL. millia*; ita omnes editi: at Mss. *DCCC. m.*, *DCCCCL. m.*, *DCCCC.* et *DCCCCL. m.* habent, et Phlegon (in Bibl. Phot. cod. 92.) *DCCCCX. m.*' Rupert.—1 *Cilicia* edd. ante Sigon.—2 'Ita omnes Mss. et ed. Camp. sed reliquæ edd. ante Sigon. *consumtum erat, refectum a Q. C. d. est.*' Rupert.—3 *Immensas* Gron. Doujat. Crev. Mox *multis certaminibus* pro *pluribus prœliis* edd. ante Sigon.—4 *L.* pro *C.* legitur in Gron. Doujat. Crev.—5 *Qui sequi nolebant: id est, legiones, &c.* Gron. Doujat. Crev.

LIB. XCIX.

Q. Metellus proconsul Gnosson et Lyctum et Cydoniam et alias plurimas urbes[6] expugnavit. L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatu-

Digitized by Google

ordecim gradus proximi[7] assignarentur. Cn. Pompeius, lege ad populum lata, persequi piratas jussus, qui commercium annonæ intercluserant, intra quadragesimum diem toto mari eos expulit; belloque cum iis in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis agros et urbes dedit. Præterea res gestas a Q. Metello adversus Cretenses continet, et epistolas Metelli et Cn. Pompeii in vicem missas. Queritur Metellus, gloriam sibi rerum[8] gestarum a Pompeio præripi, qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones. Pompeius[9] rationem reddit, hoc se facere debuisse.

6 *Civitates* al.—7 '*Proximi*, cui? Forte excidit *orchestræ*, aut leg. *primi*, sc. post orchestram.' *Duk.*—8 *Gloriam rerum ab se* Gron. Donjat. et al. —9 *Romæ* inserebatur ante Sigon.

LIB. C.

C. Manilius[10] tribunus plebis magna indignatione nobilitatis legem tulit, ut Pompeio Mithridaticum bellum mandaretur. Concio ejus bona. Q. Metellus, perdomitis[11] Cretensibus, liberæ in id tempus insulæ leges dedit. Cn. Pompeius, ad gerendum bellum adversus Mithridatem profectus, cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit; equestri prælio Mithridatem vicit. Præterea bellum inter Phraatem Parthorum regem et Tigranem Armeniorum,[12] ac deinde inter Tigranem filium patremque gestum, continet.

10 *C. Manlius* edd. ante Sigon.—11 *Domitis* eæd. Mox *tulit* pro *dedit* habent eæd.—12 *Reg. Parthor. et Tig. Arm. regem* edd. ante Gron. Mox ante Sigon. legebatur *ac demum inter fil.*

LIB. CI.

Cn. Pompeius Mithridatem, nocturno prælio victum, coëgit Bosporon profugere. Tigranem in deditionem ac-

Digitized by Google

cepit, eique, ademtis Syria, Phœnice,[13] Cilicia, regnum Armeniæ restituit. Conjuratio eorum, qui in petitione consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis consulibus, oppressa est. Cn. Pompeius, cum Mithridatem persequeretur, in ultimas ignotasque gentes penetravit. Iberos Albanosque, qui transitum non dabant,[14] prælio vicit. Præterea fugam Mithridatis per Colchos Heniochosque, et res ab eo in Bosporo gestas continet.

13 *Phœnicia* edd. ante Sigon.—14 *Albanos, qui transitum minime dabant* eæd.

LIB. CII.

Cn. Pompeius in provinciæ formam Pontum redegit. Pharnaces, filius Mithridatis, bellum patri intulit. Ab eo Mithridates obsessus in regia, cum veneno sumto parum profecisset ad mortem, a milite Gallo, nomine Bitœto,[15] a quo, ut adjuvaret se, petierat, interfectus est. Cn. Pompeius Judæos subegit: fanum eorum in Hierosolyma,[16] inviolatum ad id tempus, cepit. L. Catilina, bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo prætore et Cethego et pluribus aliis[17] conjuravit de cæde consulum et senatus, incendiis Urbis et opprimenda republica; exercitu quoque in Etruria comparato. Ea conjuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est.[18] Catilina Urbe pulso, de reliquis conjuratis supplicium sumtum est.

15 '*Bitæto* ex emend. Sigon. *Bitocho, Biteco, Biroco, Bithocco, Bitheco* Mss. et edd. vett.' *Rupert.* Mox *a quo, ut juvaretur petierat* edd. ante Sigon. —16 *Hierosolymæ* Gron. Doujat. Crev.—17 Ab edd. ante Sigon. abest τὰ *aliis;* et mox τὰ *et* ante *opprim.*—18 '*Extincta est* Boend. et ed. Camp. ut ap. Oros. VI. 6. Sed ex glossa id natum pute.' *Drak.*

LIB. CIII.

Catilina a C. Antonio proconsule cum exercitu cæsus est.[19] P. Clodius accusatus, quod in habitu muliebri[20] in

Digitized by Google

sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset, et uxorem[1] maximi pontificis stuprasset, absolutus est. C. Pontinius[2] prætor Allobrogas, qui rebellaverant, ad Solonem domuit. P. Clodius ad plebem transiit. C. Cæsar Lusitanos subegit; eoque consulatus candidato, et captante rempublicam invadere, conspiratio inter tres principes civitatis facta est, Cn. Pompeium, M. Crassum, C. Cæsarem. Leges agrariæ a Cæsare consule cum magna[3] contentione, invito senatu et altero consule M. Bibulo, latæ sunt. C. Antonius proconsul in Thracia parum prospere rem gessit. M. Cicero, lege a P. Clodio tribuno plebis lata, quod indemnatos cives necavisset, in exilium missus est. Cæsar, in provinciam Galliam profectus, Helvetios, vagam gentem, domuit; quæ, sedem quærens, per provinciam Cæsaris Narbonem[4] iter facere volebat. Præterea situm Galliarum continet. Pompeius de liberis Mithridatis, Tigrane et Tigranis filio, triumphavit; Magnusque a tota concione consalutatus est.

19 Carent edd. ante Sigon. τῷ *est*.—20 *Mulieris* Gron. Doujat. Crev.—1 *Cumque uxorem* eæd. *Cum intrasset et uxorem* Voss. et Gud. '*Uxorem maximi pontificis* ex emend. virorum doctorum pro ʀ. *Metelli pontificis* vel *Ponti* et *Pontii* et *Pon.* quas lectiones ex compendio scripturæ *M. Pont.* vel ex eo ortas putant, quod Metellus Pius pontifex max. fuerit ante Cæsarem. Quæ conjecturæ si veræ sunt, erravit certe auctor Epit. cum aliis, aut minus apte *max. pont.* pro *prætoris* dixit.' *Rupert.*—2 'Nomen ejus varie scribitur in Mss. fastis et lapidibus, *Pontinus, Pontinius, Pomtinus, Pomptinus, Pomptinius.*' Rupert.—3 *Maxima* edd. ante Gron.—4 'Forte *Narbonensem*, sc. in aliam Galliam, quæ non erat provincia; Gron. *Narbonem* abest a e. Leid. et potest abesse ob præc. *provinciam Galliam.*' Drak. Mox '*Pompeius de liberis Mithridatis . . . triumphavit*, sed jam A. U. 692. ad quem v. Pigh. Hinc ordinem rerum verborumque vel librarii turbarunt, vel ipse auctor, ut in Epit. CXXXIX. extr. Præterea Gron. emend. *Pompeius de Mithridate, ductis ante currum Mithridatis liberis et Tigrane, Tigranis filio, triumphavit.*' Rupert.

LIB. CIV.

Prima pars libri situm Germaniæ moresque continet. C. Cæsar, cum adversus[5] Germanos, qui Ariovisto duce in Galliam transcenderant, exercitum duceret, rogatus ab Æduis et Sequanis, quorum ager possidebatur, trepidationem militum, propter metum novorum hostium ortam, allo-

Digitized by Google

cutione exercitus inhibuit, et victos prælio Germanos Gallia[6] expulit. M. Cicero, Pompeio inter alios orante et T. Annio[7] Milone tribuno plebis agente, ingenti gaudio senatus ac totius Italiæ, ab exilio reductus est. Cn. Pompeio per quinquennium annonæ cura mandata est. Cæsar Ambianos, Suessiones, Veromanduos, Atrebates, Belgarum populos, quorum ingens multitudo[8] erat, prælio victos in deditionem accepit; ac deinde contra Nervios unius civitatis cum magno[9] discrimine pugnavit, eamque gentem delevit; quæ bellum gessit, donec ex sexaginta[10] millibus armatorum trecenti superessent; ex sexcentis senatoribus tres tantum evaderent. Lege lata de redigenda in provinciæ formam Cypro, et publicanda pecunia regia, M. Catoni administratio ejus[11] rei mandata est. Ptolemæus, Ægypti rex, ob injurias, quas patiebatur a suis, regno pulsus, Romam venit. C. Cæsar Venetos, gentem oceano junctam, navali prælio vicit. Præterea res a legatis ejus eadem fortuna gestas continet.

5 *Contra* Gron. Donjat. Crev. Mox *descenderant* edd. ante Gron.—6 *Omni* inserunt edd. antt.—7 *Ti. Antonio* edd. ante Sigon. qui mox vocem *agente* add. prob. Drak.—8 *Quorum quidem maxima multi.* edd. ante Sigon.—9 *Unam harum civitatum cum maximo* Gron. Crev. Sed malebant eæd. quod habet Doujat. *unam horum* (sc. Belgarum) *civitatem.*—10 Codices admodum variant. *Quadringentis* Gron. Doujat. Crev. et mox *tantummodo.*—11 *Ejusdem* edd. ante Sigon. Mox 'verba *regno pulsus* absunt a c. Leid. et, quod jam Duk. et Drak. monuere, suspecta sunt, quia Ptolemæus sponte regno cessit, et injurias non tam passus est, quam civibus propter exactiones pecuniarum intulit, neque ob illas, sed ob has rex pelli solet, nisi post *regno pulsus* intelligi potest *ut ferebat* aut *querebatur.* Cf. Plut. Cat. Min. p. 776. et Pomp. p. 645. Dio XXXIX. 12–16. *ob injurias, quas patiebantur, a suis regno pulsus* edd. vett. forte rectius.' *Rupert.*

LIB. CV.

Cum C. Catonis[12] tribuni plebis intercessionibus comitia tollerentur, senatus vestem mutavit. M. Cato[13] in petitione præturæ, prælato Vatinio,[14] repulsam tulit. Idem, cum legem impediret, qua provinciæ consulibus[15] in quinquennium, Pompeio Hispaniæ, Crasso Syria et Par-

12 *M. Catonis* edd. ante Sigon.—13 *C. Cato* Gron.—14 *P. Vatinio* scrib.

Digitized by Google

thicum bellum, Cæsari Gallia et Germania dabantur, a C. Trebonio tribuno plebis, legis auctore, in vincula ductus est. A. Gabinius proconsul Ptolemæum reduxit in regnum Ægypti, ejecto[16] Archelao, quem sibi regem asciverant. Cæsar, victis Germanis in Gallia cæsisque,[17] Rhenum transcendit, et proximam partem Germaniæ domuit: ac deinde oceano in Britanniam, primo parum prospere tempestatibus adversis, trajecit; iterum parum[18] felicius; magnaque multitudine hostium cæsa, aliquam partem insulæ in potestatem redegit.[19]

putat Gron.—15 *Provinciæ consulares* edd. ante Sigon.—16 *Rejecto* eæd.—17 *Victis Germanis et in Gallia cæsis* Gron. Donjat. Crev. Mox *τὸ et* ante *prox.* deerat olim.—18 Vocem *parum* ex verbis præcc. perperam repetitam putant Gron. et Drak.—19 *Reliquam . . . redigit* edd. ante Sigon.

LIB. CVI.

Julia Cæsaris filia, Pompeii uxor, decessit; honosque ei a populo habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. Gallorum aliquot[20] populi, Ambiorige duce Eburonum,[1] defecerunt; a quibus Cotta et Titurius,[2] legati Cæsaris, circumventi insidiis, cum exercitu, cui præerant, cæsi sunt: et cum aliarum quoque legionum castra oppugnata magno labore defensa essent, interque eos, qui in Nerviis præerat, Q. Cicero,[3] ab ipso Cæsare hostes prælio fusi sunt. M. Crassus, bellum Parthis illaturus, Euphratem fluvium transiit, victusque prælio, in quo et filius ejus cecidit, cum reliquias exercitus in collem recepisset, evocatus in colloquium ab hostibus, velut de pace acturis,[4] quorum dux erat Surenas, comprehensus, et, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est.

20 *Multi* edd. ante Sigon.—1 Emend. Gron. *Ambiorige duce, rege Eburonum*, cum prius legeretur *Ambiorige, duce Eburonum.*—2 *T. Aurunculeius* edd. ante Sigon. apud quem habet vet. lib. *T. Veturius.*—3 ' Ceterum cum Gron. leg. *interque ea, quibus in Nerviis* (male *Treviris* Mss. et edd. antt.) *præerat Q. Cicero*, vel cum Drak. *inter quæ ejus, qui in N. p., Q. Ciceronis.*' Rupert.—4 *Ut de pace acturus* edd. ante Sigon.

Digitized by Google

LIB. CVII.

C. Cæsar, Treviris in Gallia victis, iterum in Germaniam transiit; nulloque ibi hoste invento, reversus in Galliam, Eburones et alias civitates, quæ conspiraverant, vicit, et Ambiorigem in fuga persecutus est.[5] P. Clodii, a T. Annio Milone, candidato consulatus, Appia via ad Bovillas occisi, corpus plebs in curia cremavit. Cum seditiones inter candidatos consulatus, Hypsæum, Scipionem, et Milonem essent, qui armis ac vi contendebant; ad comprimendas eas Cn. Pompeius legatus[6] a senatu consul tertium factus est, absens et solus, quod nulli alii unquam contigit.[7] Quæstione decreta de morte P. Clodii, Milo judicio damnatus in exilium actus est. Lex lata est,[8] ut ratio absentis Cæsaris in petitione consulatus haberetur, invito et contradicente M. Catone. Præterea res gestas a C. Cæsare adversus Gallos, qui prope universi, Vercingentorige Arverno duce, defecerunt, et laboriosas obsidiones urbium continet: inter quas Avarici Biturigum, et Gergoviæ Arvernorum.

5 'Ante *persecutus est*, quod frigide dicitur, excidisse *frustra* conj. Duk.' *Rupert.*—6 *Delegatus* aut *rogatus* malit Gron.—7 *Nemini unquam cont.* edd. ante Sigon.—8 Ex emend. Sigon. cum antea legeretur *lex dicta*, et in vet. lib. *lex data*.

LIB. CVIII.

C. Cæsar Gallos ad Alesiam[9] vicit, omnesque Galliæ civitates, quæ in armis fuerant, in deditionem accepit. C. Cassius, quæstor M. Crassi, Parthos, qui in Syriam transcenderant, cecidit. In petitione consulatus M. Cato repulsam tulit, creatis consulibus Ser. Sulpicio,[10] M. Marcello. C. Cæsar Bellovacos cum aliis Gallorum populis domuit. Præterea contentiones inter consules de succes-

9 '*Alexiam* Mss. et edd. vett. male.' *Rupert.*—10 Add. *et* Gron. Doujat.

Digitized by Google

sore C. Cæsari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, ut Cæsar ad petitionem consulatus veniret, cum is lege lata in id[11] tempus consulatus provincias obtinere deberet, resque a M. Bibulo in Syria gestas continet.

Crev.—11 'Del. τὸ *id*, et leg. *in tempus consulatus*, h. e. in solidum decennium.' *Gron.*

LIB. CIX.

Causæ civilium armorum[12] et initia referuntur, contentionesque de successore C. Cæsari mittendo, cum se dimissurum exercitus negaret, nisi a Pompeio dimitterentur.[13] Et C. Curionis tribuni plebis primum adversus Cæsarem, dein pro Cæsare actiones continet.[14] Cum senatus consultum factum esset, ut successor Cæsari mitteretur, M. Antonio et Q. Cassio tribunis plebis, quoniam intercessionibus id senatus consultum impediebant, Urbe pulsis, mandatum est a senatu[15] consulibus et Cn. Pompeio, ut viderent, ne quid respublica detrimenti caperet. C. Cæsar, bello inimicos persecuturus,[16] cum exercitu in Italiam venit; Corfinium cum L. Domitio et L. Lentulo[17] cepit, eosque dimisit. Cn. Pompeium ceterosque partium ejus Italia expulit.

12 Vid. Nott. Varr.—13 *Exercitum .... dimitteretur* edd. ante Sigon.—14 *Primum adversus Cæsarem de populo Romano Cæsare actiones continet* vet. lib. apud Sigon.—15 *Mandatum ab senatu* Gron. Doujat. Crev.—16 *Persecutus* edd. ante Sigon.—17 *P. Lent.* mavult Rupert. Mox *universosque ejus part. Ital. omnino exp.* edd. ante Sigon.

LIB. CX.

C. Cæsar Massiliam, quæ portas ipsi clauserat, obsedit; et, relictis in obsidione Urbis ejus legatis, C. Trebonio[18] et D. Bruto, profectus in Hispaniam, L. Afranium et M. Petreium, legatos Cn. Pompeii, cum septem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit, omnesque incolumes dimisit, Varrone quoque legato Pompeii cum exercitu in potes-

Digitized by Google

tatem suam redacto. Gaditanis civitatem dedit. Massilienses, duobus navalibus prœliis victi, post longam obsidionem potestati Cæsaris [19] se permiserunt. C. Antonius, legatus Cæsaris, male contra Pompeianos in Illyrico rebus gestis, captus est. In quo bello Opitergini Transpadani, Cæsaris auxiliares, rate sua ab hostilibus navibus clausa, potius, quam in potestatem hostium [20] venirent, inter se concurrentes occubuerunt. C. Curio, legatus Cæsaris in Africa, cum prospere adversus Varum,[1] Pompeianarum partium ducem, pugnasset, a Juba rege Mauritaniæ cum exercitu cæsus est. C. Cæsar in Græciam trajecit.

18 *Relictis in obsidione C. Trebonio* edd. ante Sigon.—19 *In potestatem Cæsaris* eæd.—20 *Inimicorum* eæd.—1 Ex emend. Sigon. cum prius legeretur *cum adversus Pomp. par. ducem Varronem.*

LIB. CXI.

M. Cœlius Rufus [2] prætor, cum seditiones in Urbe concitaret, novarum tabularum spe plebe solicitata, abrogato magistratu pulsus Urbe, Miloni exuli, qui fugitivorum exercitum contraxerat, se conjunxit. Uterque, cum bellum molirentur, interfecti sunt. Cleopatra, Ægypti regina, a Ptolemæo fratre regno pulsa est. Propter Q. Cassii [3] prætoris avaritiam crudelitatemque Cordubenses in Hispania cum duabus Varronianis legionibus a partibus Cæsaris desciverunt. Cn. Pompeius, ad Dyrrachium [4] obsessus a Cæsare, et, præsidiis ejus cum magna clade diversæ partis expugnatis, obsidione liberatus, translato in Thessaliam bello, apud Pharsaliam acie victus est. Cicero in castris remansit, vir nihil minus quam ad bella natus; omnibusque adversarum partium, qui se potestati victoris permiserunt, Cæsar ignovit.

2 *C. Cæcilius Rufus* edd. ante Sigon.—3 'Pro *Cassii* in Mss. et edd. antt. male legitur *Catuli* et *Catii:* pro vulg. *Varianis* [quod Gron. Donjat. Crev.] (Ms. Leid. *Varrianis*) ex emend. Jac. Gron. substitui *Varroïanis* i. e. *Varronianis.*' Rupert.—4 *Ad Brundusium* edd. ante Sigon.

Digitized by Google

LIB. CXII.

Trepidatio victarum partium in[5] diversas orbis terrarum partes et fuga referuntur. Cn. Pompeius, cum Ægyptum petisset, jussu Ptolemæi regis pupilli, auctore Theodoto præceptore, cujus magna apud regem[6] auctoritas erat, et Pothino, occisus est ab Achilla, cui id facinus erat delegatum, in navicula, antequam in terram exiret. Cornelia uxor et Sex. Pompeius filius Cypron[7] refugerunt. Cæsar, post tertium diem insecutus, cum ei Theodotus caput Pompeii et annulum obtulisset, et infensus est, et illacrymavit: sine periculo[8] Alexandriam tumultuantem intravit. Cæsar, dictator creatus, Cleopatram in regnum Ægypti reduxit, et inferentem bellum iisdem auctoribus Ptolemæum, quibus Pompeium interfecerat, cum magno suo discrimine vicit. Ptolemæus dum fugit, in Nilo navicula subsedit. Præterea laboriosum M. Catonis in Africa per deserta cum legionibus iter, et bellum a Cn. Domitio contra Pharnacem parum[9] prospere gestum continet.

5 *Per* pro *in* Gron. Doujat. Crev.—6 *Cujus apud regem maxima, &c.* edd. ante Gron.—7 *In Cyprum* eæd.—8 'Gron. non male conj. *et offensus est, et illacrumavit; nec sine periculo cet.*' Rupert.—9 *Phraatem Parthum* edd. ante Sigon.

LIB. CXIII.

Confirmatis in Africa Pompeianis partibus, imperium earum P. Scipioni delatum est, Catone, cui ex æquo deferebatur imperium,[10] cedente. Et cum de diruenda urbe Utica propter favorem civitatis ejus in Cæsarem deliberaretur, idque ne fieret, M. Cato tenuisset, Juba suadente, ut diruueretur; tutela ejus et custodia mandata est Catoni. Cn. Pompeius, Magni filius,[11] in Hispania, contractis viribus, quarum ducatum nec Afranius, nec Petreius excipere vole-

10 *Imperium*, suadente Sigon. del. Gron. Doujat. Crev.—11 *Inde Pompeius*

Digitized by Google

bant, bellum adversus Cæsarem renovavit. Pharnaces, Mithridatis filius, rex Ponti,[12] sine ulla belli mora victus est. Cum seditiones Romæ a P. Dolabella tribuno plebis, legem ferente de novis tabulis, excitatæ essent, et ex ea causa plebs tumultuaretur, inductis a M. Antonio magistro equitum in Urbem militibus, octingenti e plebe cæsi sunt. Cæsar veteranis cum seditione missionem postulantibus dedit; et, cum in Africam trajecisset, contra copias Jubæ regis cum discrimine magno pugnavit.

Gron. Doujat. *Pompeii Magni fil.* edd. ante Sigon.—12 '*Ex Ponto* plerique Mss. et edd. ante Mognnt. Forte leg. *in Ponto,* (ut ap. Oros. vi. 16.) vel *rex Bospori,* vel *regis Ponti.*' Rupert.

LIB. CXIV.

Bellum in Syria Cæcilius Bassus, eques Romanus Pompeianarum partium, excitavit, relicto[13] a legione Sex. Cæsare, quæ ad Bassum transierat, occisoque eo. Cæsar Scipionem prætorem,[14] Afranium Jubamque vicit ad Thapsum, castris eorum expugnatis. Cato, audita re, cum se percussisset Uticæ, et, interveniente filio, curaretur, inter ipsam curationem rescisso vulnere exspiravit, anno ætatis quadragesimo octavo. Petreius Jubam seque interfecit. P. Scipio in nave circumventus honestæ morti vocem quoque adjecit:[15] quærentibus enim imperatorem hostibus dixit, 'Imperator bene se habet.' Faustus et Afranius occisi. Catonis filio venia data. Brutus, legatus Cæsaris, in Gallia Bellovacos rebellantes prælio[16] vicit.

13 *Et* præponunt edd. ante Sigon. Mox *transierat: occisoque eo, Cæsar, &c.* Gron. Doujat. 'Vox *eo* forte del. aut leg. cum Periz. (Anim. Hist. c. 4. p. 176. sq.) *occiso eo,* vel cum Drak. *occisoque. Et* vel *C. Cæsar cet.*' Rupert.—14 *Proconsulem* legend. putat Gron. probb. Drak. et Periz. nisi malis *Petreium,* non improb. Rupert.—15 Videtur Gronovio excidisse *parem* aut *memorabilem.* —16 Ab edd. ante Sigon. aberat τὸ *prælio.*

Digitized by Google

LIB. CXV.

Cæsar quatuor triumphos duxit, ex Gallia, ex Ægypto, ex Ponto, ex [17] Africa. Epulum et omnis generis spectacula dedit.[18] M. Marcello consulari, senatu rogante, reditum concessit: qui Marcellus beneficio ejus frui non [19] potuit, a Cn. Magio Cilone cliente suo Athenis occisus. Recensum [20] egit, quo censa sunt civium capita centum quinquaginta millia. Profectusque in Hispaniam adversus Cn. Pompeium,[1] multis utrimque expeditionibus factis et aliquot urbibus expugnatis, summam victoriam cum magno discrimine ad Mundam urbem consecutus est. Pompeius Sextus effugit.

17 *Et* pro *ex* legebatur ante Gron.—18 *Edidit* edd. ante Gron.—19 *Minime* eæd. 'Gud. *qui beneficio ejus Marcellus, &c.* Ex hoc verborum ordine jam facile est videre legendum esse *quo beneficio:* quanquam perinde est *quo Marcellus ben. ejus.*' J. F. Gron. Mox *P. Mag. Chilone* edd. ante Sigon.—20 'In plerisque Mss. *censum; et censum; Romæ censum.*' Rupert.—1 *Contra Sext. Pomp.* edd. ante Sigon.

LIB. CXVI.

C. Cæsar ex Hispania quintum triumphum egit. Et, cum plurimi maximique honores [2] ei a senatu decreti essent, inter quos ut 'Pater Patriæ' appellaretur, et sacrosanctus ac dictator in perpetuum esset, invidiæ causam adversus eum præstitere, quod senatui deferenti hos honores, cum ante ædem Veneris Genitricis sederet, non [3] assurrexit; et quod a M. Antonio consule collega suo, inter Lupercos currente, diadema capiti suo impositum in sella reposuit; et quod Epidio Marullo et Cæsetio Flavo tribunis plebis, invidiam ei tanquam regnum affectanti moventibus, potestas abrogata est. Ex iis causis conspiratione in eum facta, (cujus capita fuerunt M. Brutus et C. Cassius, et ex Cæsaris partibus D. Brutus et C. Trebonius,[4]) in Pompeii curia [5]

2 *Multi, quam maximique honores* edd. ante Sigon.—3 *Minime* eæd.—4 *M.*

Digitized by Google

occisus est viginti tribus vulneribus, occupatumque ab interfectoribus ejus Capitolium. Oblivione deinde cædis ejus a senatu decreta, obsidibus Antonii et Lepidi liberis acceptis, conjurati a Capitolio descenderunt. Testamento Cæsaris hæres ex parte dimidia institutus C. Octavius sororis nepos[6] et in nomen adoptatus est. Cæsaris corpus, cum in campum Martium ferretur,[7] a plebe ante rostra crematum est. Dictaturæ honos in perpetuum sublatus est. C. Amatius,[8] humillimæ sortis homo, qui se C. Marii filium ferebat, cum apud credulam plebem seditiones moveret, necatus est.[9]

Brut. et C. Treb. et C. Cass. et ex Cæs. part. D. Brut. eæd.—5 *Pompeii in curia* Gron. Doujat. Crev.—6 *Ex sorore nepos* quidam Mss. et edd. vett.—7 Vet. lib. apud Sigon. *deferretur.*—8 'Male *Chamaces, Chamates, Carmates, Cammates, Camartes* Mss. et edd. ante Sigon.' *Rupert.*—9 *Interfectus est* edd. ante Gron.

LIB. CXVII.

C. Octavius Romam ex Epiro venit, (eo enim illum Cæsar præmiserat, bellum in Macedonia gesturus,) omnibusque[3] prosperis exceptus etiam nomen 'Cæsaris' sumsit. In confusione rerum ac tumultu Lepidus pontificatum maximum intercepit.[4] Sed M. Antonius consul cum impotenter dominaretur legemque de permutatione provinciarum per vim tulisset, et Cæsarem quoque, petentem, ut sibi adversus percussores avunculi[5] adesset, magnis injuriis affecisset; Cæsar, et sibi, et reipublicæ vires adversus eum paraturus, deductos in colonias veteranos excitavit.[6] Legiones quoque quarta et Martia signa ab Antonio ad Cæsarem tulerunt.[7] Deinde et complures sævitia M. Antonii, passim in castris suis trucidati, quia et suspecti erant, ad Cæsarem desciverunt. D. Brutus, ut petenti

3 *Omnibusque* Doujat. cum edd. ante Sigon.—4 *Lepidum pontificem maximum interemit* edd. ante Sigon.—5 '*Avunculi magni* dicendum erat.' *Sigon.* Mox *affecit. Cæsar ut sibi, &c.* edd. antt.—6 *Excivit* malit Rupert.—7 *Transtulerunt* malunt Duk. et Crev. Mox *M. Antonii, passim in castris suis trucidantis, qui suspecti erant* conj. Gron. vel *ob sævitiam:* deinde *et ad Cæsarem* edd. ante Sigon.

Digitized by Google

Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupavit. Præterea discursus utriusque partis virorum ad accipiendas provincias apparatusque belli continet.

LIB. CXVIII.

M. Brutus in Græcia sub prætextu reipublicæ et suscepti contra M. Antonium belli, exercitum, cui Vatinius præerat, cum provincia in potestatem suam redegit. C. Cæsari, qui primus reipublicæ[8] arma sumserat, proprætoris imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis, adjectumque, ut senator esset. M. Antonius D. Brutum Mutinæ obsedit; missique ad eum a senatu legati de pace parum ad eam componendam valuerunt. Populus Romanus saga sumsit. M. Brutus in Epiro C. Antonium prætorem cum exercitu potestati suæ subjecit.

8 'Pro *primus reip.* cum Sigon. leg. *pro rep.* aut potius cum Gron. et Duk. *privatus* (privatoque consilio et sumtu) *pro rep.*' Rupert. Mox *pro populo Rom.* legebatur ante Sigon. vice *propratoris;* et *prætoriis ornam.* mallet Sigon. vice *consularibus ornam.*

LIB. CXIX.

C. Trebonius in Asia fraude P. Dolabellæ occisus est. Ob id facinus Dolabella hostis a senatu judicatus est. Cum Pansa consul male adversus Antonium pugnasset, A. Hirtius consul cum exercitu superveniens, fusis M. Antonii copiis, fortunam utriusque partis æquavit. Victus deinde ab Hirtio et Cæsare Antonius in Galliam confugit, et M. Lepidum cum legionibus, quæ sub ipso erant, sibi junxit; hostisque a senatu cum omnibus, qui intra præsidia ejus essent, judicatus est. A. Hirtius, quia post victoriam in ipsis hostium castris ceciderat,[9] et C. Pansa, e vulnere, quod in adverso prælio exceperat, defunctus, in Campo

9 *Qui post vict. suam in inimicorum cast. cec. &c.* edd. ante Sigon. Mox *L.*

Digitized by Google

Martio sepulti sunt. Adversus C. Cæsarem, qui solus e tribus ducibus supererat, parum gratus senatus fuit, qui, D. Bruto, obsidione Mutinensi a Cæsare liberato, honore triumphi decreto, Cæsaris militumque ejus mentionem non satis gratam habuit. Ob quæ C. Cæsar, reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia, Romam cum exercitu venit, et, perculsis adventu ejus iis, qui in eum iniqui erant, cum annos novemdecim [10] haberet, consul creatus est.

Pansa Gron. Doujat. Crev.—10 *Annos XVII.* edd. ante Sigon. Mss. apud Gron. *decem et novem ann. decem et octo ann.*

LIB. CXX.

Cæsar consul legem tulit de quæstione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset, postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus, absentes damnati sunt. Cum M. Antonio vires Asinius quoque Pollio et Munatius Plancus, cum exercitibus suis adjuncti, ampliassent, et D. Brutus, cui senatus, ut persequeretur Antonium, mandaverat,[11] relictus a legionibus suis, profugisset; jussu Antonii, in cujus potestatem venerat, a Capeno Sequano [12] interfectus est. C. Cæsar pacem cum Antonio et Lepido fecit, ita ut tresviri reipublicæ constituendæ per quinquennium essent [13] ipse et Lepidus et Antonius, et ut suos quisque inimicos proscriberent: in qua proscriptione plurimi equites Romani, centum triginta senatorum nomina fuerunt,[14] et inter eos L. Paulli fratris M. Lepidi, et L. Cæsaris Antonii avunculi, et [15] M. Ciceronis. Hujus, occisi a Popillio legionario milite, cum haberet annos sexaginta

11 *Mandavit* edd. ante Sigon.—12 ' Forte cum Drak. leg. *jussu Antonii a Camelo*, vel *Camillo*, vel, ut ap. Liv. XLI. 1. *Catmelo Sequano, in cujus p. venerat.*' Rupert. Mox *interemptus est. Cæsar pacem cum M. Antonio* Gron. Doujat. Crev.—13 *Cons. quidem per quin. præessent*, edd. ante Sigon. Mox *Anton. ut suos* Gron. Doujat. Crev.—14 *Fuerunt* edd. ante Sigon.—15 *Et* deerat ante

Digitized by Google

tres, caput quoque cum dextra manu[16] in rostris positum est. Præterea res a M. Bruto in Græcia gestas continet.

Sigon. et mox ante eum legebatur *cujus occisi.*—16 *Cap. quoque cum manu* edd. ante Sigon. apud quem habet vet. lib. *caput cum manu.*

LIB. CXXI.

C. Cassius, cui mandatum a senatu erat, ut Dolabellam hostem judicatum bello persequeretur, auctoritate reipublicæ adjutus, Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem provincia erant, in potestatem suam redegit. Dolabellam, in urbe Laodicea obsessum, mori coëgit. M. quoque Bruti jussu C. Antonius captus, occisus est.

LIB. CXXII.

M. Brutus adversus Thracas parum[17] prospere rem gessit; omnibusque transmarinis provinciis exercitibusque in potestatem ejus et C. Cassii redactis, coierunt Smyrnæ uterque ad ordinanda belli futuri consilia. M. Messallæ Poplicolam[18] fratrem victum communi consilio condonaverunt.

17 Vocem *parum* delendam Rupert. et al. monuere.—18 *Publicolam* Gron. Crev. Mox ' *Vinctum* Exc. Pith. *junctum* edd. vett. *conjunctum* ed. Parm. *insidiarum convictum* ex Dione conj. Gron. *fratrem* sc. adoptatum a Gellio quodam, retento cognomine gentis Valeriæ. Cf. Drak.' *Rupert.*

LIB. CXXIII.

Sex. Pompeius, Magni filius, lectis ex Epiro proscriptis ac fugitivis, cum exercitu diu, sine ulla loci cujusquam possessione,[19] prædatus in mari, Messanam oppidum in

19 ' Quomodo exercitum habere et cum eo diu in mari prædari potuit, qui ' nullam loci cujusquam possessionem ' habebat? Si manum illam ' proscriptorum ac fugitivorum,' quos ex Epiro legerat, exercitum vocavit, non

Digitized by Google

Sicilia primum, deinde totam provinciam occupavit; occisoque A. Pompeio Bithynico prætore,[20] Q.[1] Salvidienum legatum Cæsaris navali prælio vicit. Cæsar et Antonius cum exercitibus in Græciam trajecerunt, bellum contra Brutum et Cassium gesturi. Q. Cornificius in Africa T. Sextium, Cassianarum partium ducem, prælio vicit.[2]

admodum proprie locutus est.' *Duk.*—20 *Occisoque a Pompeio A. Bithynico prætore* edd. ante Sigon.—1 Q. del. edd. antt. additque *Rufum* Suet.—2 'Cum Sigon. et Drak. forte leg. Q. *Cornificium in Africa Cassian. p. ducem T. Sextius p. vicit.*' Rupert. Legendum *Cæsarianarum p.* putat Henr. Vales.

LIB. CXXIV.

C. Cæsar et Antonius apud Philippos vario eventu adversus Brutum et Cassium pugnaverunt, ita ut dextra utriusque[3] cornua vincerent, et castra quoque utrimque ab iis, qui vicerant, expugnarentur. Sed inæqualem fortunam partium mors Cassii fecit; qui, cum in eo cornu fuisset, quod pulsum erat, totum exercitum fusum ratus, mortem sibi conscivit. Altero deinde prælio victus M. Brutus et ipse vitam finivit, exorato Stratone fugæ comite, ut sibi gladium adigeret;[4] idemque fecerunt principum Romanorum circiter quadraginta, inter quos Q. Hortensius erat.

3 *Utriusque aciei* vel *utrorumque* vel *utrimque* legend. vult Gron.—4 *Addiceret, annorum erat ætatis quadraginta* edd. ante Sigon. *Adjiceret* et *adiceret* al. Mox '*idemque fecerunt p. R.... erat* hæc recepi ex Exc. Pith. pro vulg. *annorum circiter XL. inter quos Q. H. occisus est* [quod reliquæ edd.] quæ saltem manca sunt.' *Rupert.*

LIB. CXXV.

C. Cæsar, relicto trans mare Antonio, quæ provinciæ ex partitione imperii in potestatem ei cesserant, reversus[5] in Italiam veteranis agros divisit. Seditiones exercitus

5 'Ita ed. Camp. et omnes fere Mss. quos secutus sum, nisi quod in his *ex parte imperii potestate recesserant*, et in ed. Camp. *ei cesserat* legitur; quæ jam ita emendavere Gron. et Crev. qui tamen *ejus* pro *ei* conjecere. *C. Cæsar, relicto Antonio, transmarinæ provinciæ ex parte imperium ei cessit: reversus*

Digitized by Google

sui, quas corrupti a Fulvia, M. Antonii uxore, milites adversus[6] imperatorem suum concitaverant, cum gravi periculo inhibuit. L. Antonius consul, M. Antonii frater, eadem Fulvia consiliante, bellum Cæsari intulit; receptis in partes suas populis, quorum agri veteranis assignati erant, et M. Lepido, qui custodiæ Urbis cum exercitu præerat, fuso,[7] hostiliter in Urbem irrupit.

cett. perperam omnes edd. præter Camp.' *Rupert.*—6 *Contra* Gron. Doujat. Crev. Mox *grandi* pro *gravi* edd. ante Sigon.—7 *Scisso* pro *fuso* eæd.

LIB. CXXVI.

C. Cæsar, cum esset annorum viginti trium, obsessum in oppido Perusia[8] L. Antonium conatumque aliquoties erumpere et repulsum fame coëgit in deditionem venire, ipsique et omnibus militibus ejus ignovit. Perusiam diruit: redactisque in potestatem[9] suam omnibus diversæ partis exercitibus, bellum citra ullum sanguinem confecit.

8 *Perusiæ* Gron. Doujat. Crev.—9 *Diruit. Redactis in pot.* eæd.

LIB. CXXVII.

Parthi, Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat, duce, in Syriam irruperunt, victoque Decidio[10] Saxa, M. Antonii legato, totam eam provinciam occupaverunt. M. Antonius, cum ad bellum contra Cæsarem gerendum incitaretur, uxore Fulvia dimissa, ne concordiæ ducum obstaret,[11] pace facta cum Cæsare, sororem ejus Octaviam in

10 *Didio* edd. ante Sigon.—11 'Cf. Dio XLVIII. 4. sq. XXIV. 27–31. Plut. Anton. p. 926–930. Appian. B. C. v. 8. sq. L. 52–66. Ex quibus locis partim cum Gron. partim cum Duk. legendum videtur *incitaretur ab uxore Fulvia, ea amissa,* (i. e. mortua; nam de divortio Antonii nihil usquam proditum est) *quæ concordiæ ducum obstabat;* vel potius *gerendum paratus esset,* (ita c. Leid. pro *incitaretur,* quod in 5 Mss. deest) *uxore Fulvia amissa* cet. Præterea

Digitized by Google

matrimonium duxit. Q. Salvidienum, consilia nefaria contra Cæsarem molitum, indicio suo protraxit,[12] isque damnatus mortem sibi conscivit. P. Ventidius, Antonii legatus, Parthos, prælio victos, Syria expulit, Labieno eorum duce occiso. Cum vicinus Italiæ hostis Sex. Pompeius Siciliam teneret, et commercium annonæ impediret,[13] cum eo postulatam pacem Cæsar et Antonius fecerunt, ita ut Siciliam provinciam haberet. Præterea motus Africæ et bella ibi[14] gesta continet.

copulam *et* ante *pace facta* excidisse crediderim.' *Rupert.*—12 Ante Gruter. *detexit* legebatur.—13 *Ann. commeatum impediret* edd. ante Sigon.—14 *Ibi* del. Gron. Doujat.

LIB. CXXVIII.

Cum Sex. Pompeius rursus latrociniis mare infestum redderet, nec pacem, quam acceperat, præstaret, Cæsar, necessario adversus eum bello suscepto, duobus navalibus prælliis dubio eventu pugnavit. P.[15] Ventidius, legatus M. Antonii, Parthos in Syria prælio vicit, regemque eorum occidit.[16] Judæi quoque a legatis Antonii subacti sunt. Præterea belli Siculi apparatum continet.

15 *L.* pro *P.* legebatur ante Sigon. Mox *prælio* omittunt ante eum edd.—16 *Interemit* Gron. Doujat. Crev. Mox *Judæorum quoque legati ab Ant. interemti s.* edd. ante Sigon.

LIB. CXXIX.

Adversus Sex. Pompeium vario eventu navalibus prælliis[17] pugnatum est, ita ut ex duabus Cæsaris classibus altera, cui Agrippa præerat, vinceret; altera, quam Cæsar duxerat, deleta, expositi in terram milites in magno peri-

17 *Certaminibus* Gron. Doujat. Crev. Mox *ut duar. classium Cæsaris* edd.

Digitized by Google

culo essent.[18] Victus deinde Pompeius in Siciliam profugit. M. Lepidus, qui ex Africa velut ad societatem belli, contra Sex. Pompeium a Cæsare gerendi, trajecerat, cum bellum Cæsari quoque inferret,[19] relictus ab exercitu, abrogato triumviratus honore, vitam impetravit. M. Agrippa navali corona a Cæsare donatus est: qui honos nulli[20] ante eum habitus erat.

ante Sigon.—18 *Exp. in terr. in quam maximum per.* eæd. Mox *ex Sicilia* malit Drak.—19 *M. Lepidus ex Afr. . . . trajecerat, ei bellum quoque cum Cæsar inferret* edd. ante Sigon.—20 *Nemini* Gron. Doujat. Crev. Mox *est* pro *erat* edd. ante Sigon.

LIB. CXXX.

M. Antonius, dum cum Cleopatra luxuriatur,[1] tarde Mediam ingressus, bellum cum legionibus octodecim et sexdecim millibus equitum Parthis intulit; et cum, duabus legionibus amissis, nulla re prospere cedente, retro rediret, insecutis subinde Parthis, et ingenti trepidatione, et magno totius exercitus periculo, in Armeniam reversus est, viginti et uno diebus trecenta millia fuga emensus. Circa octo millia hominum tempestatibus amisit: tempestates quoque infestas super tam infeliciter susceptum Parthicum bellum culpa sua passus est; quia hyemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram festinat.

1 *Luxuriaretur* Gron. Doujat. Crev. Ms. ap. Gron. *Dum M. Antonius cum Cleop. luxuriatur.*

LIB. CXXXI.

Sex. Pompeius, cum in fidem M. Antonii veniret,[2] bellum adversus eum in Asia moliens, oppressus a legatis ejus, occisus est.[3] Cæsar seditionem veteranorum, cum magna pernicie motam, inhibuit: Iapydas et Dalmatas et Pannonios subegit. Antonius Artavasdem,[4] Armeniæ re-

2 *Venisset* malit Gron.—3 *Oppressus est* edd. ante Sigon. apud quem habet vet. lib. *oppressus a legatis ejus occisus est.*—4 ' *Artavasdes* quibusdam *Artabazes*, et Dioni utroque modo, dicitur, nomenque ejus in Mss. et hujus

Digitized by Google

gem, fide data perductum, in vincula conjici jussit, regnumque Armeniæ filio suo, ex Cleopatra nato, dedit; quam uxoris loco, jam pridem captus amore ejus, habere cœperat.

Epit. et scriptorum modo laudatorum in varias formas distortum reperitur.' *Rupert.*

LIB. CXXXII.

Cæsar in Illyrico Dalmatas domuit. Cum M. Antonius ob amorem Cleopatræ, ex qua duos filios habebat, Philadelphum et Alexandrum, neque in Urbem venire vellet, neque, finito triumviratus tempore,[5] imperium deponere, bellumque moliretur, quod Urbi et Italiæ inferret, ingentibus tam navalibus quam terrestribus copiis ob hoc contractis, remissoque Octaviæ sorori Cæsaris repudio, Cæsar in Epirum cum exercitu trajecit. Pugnæ deinde navales et prælia equestria secunda Cæsaris referuntur.

5 Gud. *neque finito ejus tempore triumviratus, &c.*

LIB. CXXXIII.

M. Antonius, ad Actium classe victus, Alexandriam profugit; obsessusque a Cæsare, in ultima rerum desperatione, præcipue occisæ Cleopatræ falso rumore impulsus, se ipse interfecit. Cæsar, Alexandria in potestatem redacta,[6] Cleopatra, ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte defuncta, in Urbem reversus, tres triumphos egit; unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium de[7] Cleopatra, imposito fine civilibus bellis altero et vigesimo anno. M. Lepidus, Lepidi, qui triumvir fuerat, filius, conjuratione contra Cæsarem facta, bellum moliens, oppressus et occisus est.

6 *Ac* excidisse putat Rupert. Mox *Cleopatra . . . occubuit* edd. ante Sigon. —7 *Ex* pro *de* legebatur ante Sigon. Mox *altero et trigesimo* ante eum edd.

Digitized by Google

LIB. CXXXIV.

Cæsar, rebus compositis et omnibus provinciis in certam formam redactis, Augustus quoque cognominatus est; et mensis Sextilis in honorem ejus appellatus est.[8] Cum ille conventum Narbone ageret, census a tribus Galliis, quas Cæsar pater vicerat, actus. Bellum adversus[9] Bastarnas et Mœsos et alias gentes a M. Crasso gestum refertur.

8 Conj. Gron. *ut et mensis Sextilis in h. e. a.* et Periz. *ut et m. Sextilis in h. e. ita appellatus.* Mox *egit* pro *ageret* legebatur ante Sigon.—9 *Contra* Gron. Doujat. Crev. Mox *τὸ gestum* deerat ante Sigon.

LIB. CXXXV.

Bellum a M. Crasso adversus Thracas, et a Cæsare adversus Hispanos gestum refertur; et Salassi, gens Alpina, perdomiti.

LIB. CXXXVI.

Rætia[10] a Ti. Nerone et Druso, Cæsaris privignis, domita. Agrippa, Cæsaris gener, mortuus; et a Druso[11] census actus est.

10 Duos libros h. l. deesse putat Sigon. ut expleatur numerus librorum centum quadraginta duorum quos Petrarcha a Livio scriptos esse ait. Prob. Crev.—11 *Mortuus: ab Druso* Gron. Doujat. Crev.

LIB. CXXXVII.

Civitates Germaniæ, cis Rhenum et trans Rhenum positæ, oppugnantur a Druso; et tumultus, qui ob censum exortus in Gallia erat, compositus; ara Cæsari[12] ad confluentem Araris et Rhodani dedicata, sacerdote[13] creato C. Julio Vercundari Dubio Æduo.

12 *D. Cæsari* Gron. Doujat. Crev. ex emend. Sigon.—13 *Sacerdoteque* edd. ante Sigon. Mox *Vercondaridubio* Gron. Doujat. Crev. ' *C. Julio Verecunda Rudibrio Æduo* Barber. et Gud. *C. Julio Iracondati dubrio eduo* Voss. *C. Julio Vercon. Claridubrio Adrio* Gud. alter.' *J. F. Gron.*

Digitized by Google

LIB. CXXXVIII.

Thraces domiti a L. Pisone;[14] item Cherusci, Tencteri, Chatti, aliæque Germanorum trans Rhenum gentes subactæ a Druso referuntur. Octavia, soror Augusti, defuncta, antea amisso filio Marcello; cujus monumenta sunt theatrum et porticus, nomine ejus dedicata.[15]

14 *A Scipione* edd. ante Sigon. Mox *Cauci* pro *Chatti* eæd.—15 *Ejus nomini dicata* eæd. *dicata* etiam Gron. Doujat. Crev.

LIB. CXXXIX.

Bellum adversus Transrhenanas gentes a Druso gestum refertur; in quo inter primores pugnaverunt Senectius et Anectius[16] tribuni, ex civitate Nerviorum. Dalmatas et Pannonios Nero, frater Drusi, subegit. Pax cum Parthis facta est,[17] signis a rege eorum, quæ sub Crasso et postea sub Antonio capta erant, redditis.

16 'Verba *Senectius et Anectius cet.* corrupta esse, ex Mss. probabile fit.' *Rupert.*—17 'Hæc vero jam facta sunt A. U. 734. Hinc Massonus suspicabatur, vel vocem *ante* post *facta est* excidisse, vel hæc verba librariorum errore loco mota et huc detrusa esse. Cf. ad Epit. CIII. 10. et Duk. ad h. l.' *Rupert.*

LIB. CXL.

Bellum adversus Germanorum trans Rhenum civitates, gestum a Druso, refertur. Ipse ex fractura,[18] equo super crus ejus collapso, tricesimo die, quam id acciderat, mortuus est. Corpus a Nerone fratre, qui, nuntio valetudinis[19] evocatus, raptim accurrerat, Romam pervectum[20] et in C. Julii tumulo conditum. Laudatus est a Cæsare Augusto vitrico, et supremis ejus plures honores additi.

18 *A fract.* Gron. Doujat. Crev.—19 Inseritur *ejus* in vet. lib. apud Sigon. Mox *occurrerat* et *accucurrerat* al.—20 *Revectum* edd. ante Sigon. Mox eæd. del. τὸ *est* post *laudatus*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be return
the Library on or before the last
stamped below.
A fine of five cents a day is inc
by retaining it beyond the spe
time.
Please return promptly.

Digitized by Google

Widener Library
3 2044 098 646 177

Digitized by Google